JOANNIS A LASCO

OPERA

ACCEDIT VITAE AUCTORIS ENARRATIO.

JOANNIS A LASCO

OPERA

TAM EDITA QUAM INEDITA

RECENSUIT

VITAM AUCTORIS

ENARRAVIT

A. KUYPER

THEOL. DOCT.

TOMUS PRIMUS.

AMSTELODAMI, APUD FREDERIC. MULLER. | HAGAE-COMITUM, APUD MARTIN. NIJHOFF.

1866.

JOANNIS A LASCO

OPERA

TAM EDITA QUAM INEDITA

DUOBUS VOLUMINIBUS COMPREHENSA

COLLEGIT, AD FIDEM VETUSTISSIMARUM EDITIONUM, UT ET CHARTACEORUM CODICUM EMENDATE EDIDIT, COMMENTATIONEM CRITICAM PRAEMISIT

A. KUYPER
THEOL. DOCT.

VOLUMEN II.

PRAEFATIO.

SUNT tres fere anni, ex quo Lasci biographiam cum operum ipsius editione curare me velle in specimine Academico scribebam. Iam suaviter subinde tarditatem accusare coeperunt amici, nimis lente trahi opus quod susceperam haud ambigue per occasionem conquesti. Et sane dandum iis est, mihi, non ipsis vertendum esse, si iam iam in incili Lascum haerere suspicati sint. Celerius ruit tempus et aequalium mens cum ipso, quam ut nuda, simplex omnique apparatu destituta aliquot libellorum recognitio tantum sibi merito temporis spatium praeripiat. Quid levius, quid tam nullius fere negotii videtur, quid ocius denique ultro ad metam properat, quam bona parte expressa iam typis divulgataque opuscula denuo praelo submittere, eorum typographica obiter corrigere revisaque emendare specimina et brevi adsperso praefamine, uno duobusve voluminibus comprehensa, nitidiore forma in lucem ea edere! Sentio me excusatione egere, et pro virili ita causam tuebor, ut, quorum reprehensio cum benevolentia coniuncta sit, ii saltem a culpa me eximant. Nimirum vixdum manus ad laborem adhibuissem essemque primi Lasci opusculi editionem aggressus, quum longe aliae occupationes in ipso fere limine me necopinato ab instituto prorsus avocarent: offerebatur namque sacrum ministerium apud Reformatos, qui Bisdae sunt, Gelriae haud infimi pagi. Sat sciunt qui ipsi has rerum vicissitudines vitaeque rationis subierint mutationes, quem in modum omnem seriem laborum perturbent animique sensum, in longe diversum eum rapientes, concutiant et commoveant, longamque diem eos quoque ob omni serio studio contineant, quibus tantalea alioqui inest sitis laboris.

Habet praeterea hoc cum reliquis disciplinis Theologia apud populares commune, ut qui vitae alimonia ab ea expetant, nonnisi horis subsecivis et si quid datur a muneribus otium colere eam possint; quare nemo melius omne principium molestum esse experitur, quam si quis haec duo coniungere studeat, ut religiose susceptum exequatur munus, et simul etiam libere expediteque Musis aures praebeat. Ego sane lubens confiteor, me per integrum annum et dimidium plenam fere laboris habuisse intercapedinem, et postea quoque sat saepe adeo domesticis publicisque negotiis occupatum fuisse atque obrutum, ut iterum iterumque ab instituto et recepto tandem opere digredi et interrumpere quod dicitur telam coactus sim: nec potuisse semper pro meo arbitratu redordiri! Aliud quoque mox rusticae vitae incommodum accedebat, quod crudeliter me et nimis dudum vexavit. Quid enim prodest, dulce tibi dari otium, si summa librorum inopia, quominus eo fruereris, impeditus es? Mihi crede! rara haec in pagis remotioribus studiorum supellex in causa iam fuit multis, cur prorsus desisterent a labore, quibus ceteroquin in deliciis esse solebat. Magna quidem parte Bibliothecarum praefecti liberalitate sua τοὺς ἐν τῇ διατριβῇ artium cultores sublevare possunt, inque dies magis plus quam credi posset mansuete et urbane admodum expedire pergunt. Quid autem si in nulla vicina urbe, si nusquam in patria bibliotheca tam exquisite ornata cupediisque referta reperitur, quae apparatum tuum possideat? Quid, si tam rari sunt libelli, quibus utendum est, ut vix unum alterumve exemplar omnia simul Europae totius Musea teneant, quae quo magis cupedias suas in pretio habeant, eo difficilius pretiosum, quo gloriantur, exemplar curis tuis committere itinerisque vicissitudini exponere parata sunt? Quid si leges patriae, quales in Anglia latas esse dolemus, omnem librorum emissionem acriter et severe vetant? Et tamen haec omnia in apparatu editionis nostrae conquirendo perpetuo fere et crudelissime nos afflixerunt. Emdâ, Argentorato, Francofurto, Parisiis, Berolino, Gothâ, Cassellâ, Dublino, Londino, Cantabrigiâ, Oxoniâ, Regiomonte, Petropoli quidem scripta Lasci evocanda mihi erant. Grato quidem animo ultro fateor: rogantem me repulsam ferre plerumque noluerunt, sed quantus eheu quamque fastidiosus epistolarum petitionumque daedaleus fere labyrinthus

permeandus mihi fuit! quam inextricabiles latebrosaeque resolvendae ambagines, priusquam hospes tamdiu deprecatus exoptatissime tandem domum intrabat. Taceo tempus, quod tantum litterarum commercium quotidie fere absumit, taceo taedium, quod creat! Sed finge te ad finem editionis libelli, quem postremum typis mandari curasti. Sequentem ordiri cupis. Ast longe remotus abest. Dudum antea, ut ad tempus adesset, eum enixe precatus es, sed moras nexit et iterum iterumque appellari cupit. Sistis gradum petitionemque repetis; etiam paullisper cunctaris; parvi adhuc temporis addis moram, — quid faciendum sit diu haeres incertus; tandem ut unquam obtemperet vereri primum, ne veniat desperare mox incipis, et ne omne collabatur aedificium tuum, locum ei designatum alii libello concedas necesse est. Quam grave hoc iam sit incommodum, unde iusta argumenti distributio ubique fere confundatur et perplexa passim nascatur libellorum quos edis series, quis non intelligit? At tandem se offert et necopinato limen subit; verum post unam alteramve hebdomadem sibi viam resolvendam esse statim post salutationem tibi dicit, nec posse se diutius domi tuae commorari. Propere igitur imaginem ipsius scripto delineare conaris et ecce! opusculi iterum quod in manu erat diu interrumpitur editio.

Dabo huius rei exemplum, luculentum satis ut opinor, ne ludere verbis et fictas opiniones me praetexere quis existimet. Legeram in parvo Epistolarum Melanchthonis syllabo, quem Faber initio huius aevi publici iuris fecerat, eum Regiomontii Prussiae, in archivis secretis Regiis manu scriptum dudumque conclamatum Lasci opusculum de *doctrina Eccl. Fris. Orient.* suis conspexisse oculis. Cl. de Wal, qui Leidae ius profitetur, tunc auctor mihi fuit ut suo nomine hoc opusculum mihi procurandum commendarem Clo. Iacobson, qui Regiomontii similem quam ille apud nostrates provinciam tenet. Peramice me vere honestus ille vir excipit et suavi admodum epistola, se in archivis regiis circumspecturum esse mihi pollicetur. Fuit hoc mense Augusti anni 1862. Prima die anni sequentis iterum mihi officiosissime scribit et perquisitionis suae messem accurate descriptam mihi indicat. Dicit se quidem quatuordecim et quot excurrit Lasci ineditas epistolas reperisse, sed ne vestigium sese obtulisse eius opusculi, quod Faber se vidisse asseveret; se tamen

in posterum quoque causae meae memorem fore, et una cum collega suo, Cl. ERDMANN, theol. professore, pretiosum libellum venaturum esse; — si exemplar epistolarum, quas detegisset, habere cuperem, suo nomine bonas in ea re gratias Cli. Erdmann implorarem; quod igitur feci. Semiennium tandem post (11 Aug. '63) responsum accipio, quo cum benevolentiae suae protestatione mihi suadebat Erdmannius, ne in scripto litteras Lasci peterem. Se brevi illas editurum esse in opere, quod sub manu haberet, de vi quam Prutenica Reformatio in Ecclesiam Polonicam effecisset: sic sine ullo negotio me quaesitas epistolas in promptu habiturum; praesertim cum leges de emissione codicum scriptorum e tabulario Regio latae admodum difficiles essent et severae. Si nihilominus tamen propositi tenacior in consilio persisterem, ad autoritatem virorum tabulario Regio praefectorum mihi esse decurrendum. Itaque mense Augusti petitionem dedi ad virum doct. MECKELBURG, ut meis sumptibus sua gratia scedulas illas quatuordecim descriptas curare vellet. Ille autem respondere, se absque iussu et autoritate ministri Regii rogatum mihi largiri nullo modo posse. Ego Berolini rem meam agere, gratia Cl. DE VRIES apud principes viros Ranke, Mörner et Pertz, dum illam viseret urbem, officiosissime commendatus. Tandem praefectus Arch. Regiom. se iussu ministri regii, quod rogavissem, libentissime mihi procuraturum esse rescribit. Promissis stetit, et sic denique factum est, ut per tot ambages et irremeabiles circumflexiones ad diem 30 Martii a. 1864 epistolas illas elegantissime planeque nitide exscriptas Regiomontio acciperem.

Quoties autem de *Epitome doctr. Eccl. Phr. Orient.* mentionem, ne obduceretur oblivione, inieceram, toties mihi ab eo respondebatur, nihil eiusmodi e scriniis suis protrahi potuisse, nisi scedulam adulteratam satis atque corrosam in qua nihil praeter titulum opusculi, cum anni quo scriberetur indicio, legendum erat. Quis quaeso post tot tantosque irritos plane conatus non mecum Epitomen illam conclamavisset! Sed ecce! ad ipsum mane d. 15 Aug. 1864 tabellarius epistolam Regiomontio datam mihi adfert, qua aestimatissimus et modis omnibus de me meritus ille Arch. Reg. praefectus me certiorem reddit, praeter omnem spem atque exspectationem desideratam diu arden-

tibusque evocatam precibus illam *Epitomen*, dum thecse tabularii reviderentur ad omnium stupefactionem antrum, quo hucusque furtim sese absconderat, subito reliquisse et quasi de mortuis resurrexisse ad vitam, aliis quibusdam insuper ineditis hucusque Lascianiis concomitatam. Sine mora rem ulterius percontor et feliciter adinventi thesauri accurate descriptum exemplar mihi postulo. Uno mense post (Sept. 1864) blanda utpote eximii viri urbanitate certior fio, ad ferme trecenta folia totius codicis ambitum accedere, neque sibi igitur, quod dolebat, neque scribis suis ad describendum tam copiosum volumen otium a labore superesse. Nihil itaque restare, si utcunque codicis exemplum habere cuperem, quam ut mea manu eum Regiomontii in ipsis bibliothecae aedibus exscriberem. Etenim ut ipse libellus summi magistratus autoritate in patriam mihi mitteretur, pendulam admodum aut potius nullam esse spem. Alioqui tabularium quotidie per duas et quod excurrit horas patere foreque mihi ergo duos ut minimum menses in illam Prussiae remotam satis urbem devertendum. Quod quum muneris suscepti ratio prorsus vetaret, optio mihi facienda erat, vellemne Lasci opera absque Epitoma illa in lucem edere, an vero gratiam et favorem talium mihi virorum, in quibus ea residet dignitas quae ne in politicis quidem facile spernitur, ita conciliare possem, ut sui nominis autoritatem in meam gratiam apud summum Prussiae magistratum interponere vellent. Nihil opus est addere, quale ceperim consilium, et potius faustam praedicare malo fortunam quae usquequaque tentabundi conamina tam egregie secundavit. Peramanter vir cons. Bodel Nyenhuis me commendavit viro et cons. et vere illustri Groen van Prinsterer, qui demum Berolini rem meam qua est benevolentia et urbanitate strenue egit, tum apud Comitem a Zuylen a Nyevelt, qui apud Regem Prussiae nostri Regis legatione tunc temporis fungebatur, tum apud virum plur. vener. Kögel, concionatorem in Prussia regium. Praeterea vir cons. Cremers, qui patriae res extraneas sub Rege curat, perquam benigne petitionem ad se datam accepit, ut Regis nomine atque augustis Illius auspiciis codex ille apud magistratum Prussiae in meum usum sollicitaretur. Quid plura! coniunctis viribus id tandem viri illi spectatissimi, quorum

mitis benignitas haud facile dignis efferretur laudibus, apud Comitem a BISMARCK-SCHÖNHAUSEN anctoritate sua interposita effecerunt, ut pretioeissimus libellus Regiomontio mihi mittere tabularii praefectus iuberetur; cuius demum cura LASCI EPITOME DOCTRINAE domum intravit ad diem Paschatis anni huius aevi sexagesimi quinti, i. e. *annos tres* post eam epistolam datam, quam primam hac de re Regiomontinm miseram.

Unius tantum libelli historiam narravi, et quanquam in reliquis mihi procnrandis opuscnlis minus plerumque lubrica via ad scopum pervenire mihi contigit, adeo ut ex ungue leonem definiens trucius atque horridius effingeres monstrum, qnam reapse me oppressit et quassavit, nullus tamen dubito, me ab omnis procrastinationis atque desidiae culpâ prorsus liberatum iri coram prudenti iudici qui re accuratius perpensa aequi bonique consulere velit. Longus snm video et nimis fortasse excusandi me stndio indnlsi; sed longa historia est et quae per haud ita contemnendum vitae spatium me perpetuo tam acriter excruciavit et exagitavit assidue, ut finem fere nesciat innocentiam meam strenue tuendi probandique desiderium. Quod tamen pervelim ne quis maligne aut subirate in eorum, qnos honoris causa appellavi, contumeliam dictum esse putet. Pluris, sit Deo gratia! beneficia, qnae aliorum in me confert benevolentia, aestimare didicit cor meum, quam ut tam vilis tamque abiecta excusandi ratio unquam placere mihi posset.

Et hoc iam amici et qni cnm iis tardum editionis successum aegre tulerint, dictum sibi habeant. Est autem aliis quoque respondendum idque gravius, qui non absque nausea forsan omne meum editionis argumentnm fastidiose satis improbant, oleum ac operam me perdidisse clamantes memoriam renovando reformatorculi tam ignoti tamque obscnri, ut nomen eius spatiosissima vix exhibeant historiae compendia, scripta certe nemo desideret. Si qui sint inter hos, qui propterea aeternae oblivioni Lascum nostrum vovere mallent, ne ipsi viderentur ad nomen usqne ignoravisse hominem, quem tamen eventus grata memoria nostra haud uno nomine dignum plane fuisse docebit, hi satis ipsi intelligent, spero, me nihil morari posse eorum a stultitia profectam obtrectationem et mea vice fastidire malesanum eorum inscitiae suffugium. Qnod ridiculum est suaviter ridere

potes, frustra vero refutare conaberis. Quis enim hoc quaeso non saepius expertus est, praeiudicatam opinionem furca licet expuleris, tamen usque recurrere. Qui ita iudicent, hi igitur hebetudine sua gaudeant et pace mea pergant magnum virum spernere. Sunt tamen et alii quibuscum serie disceptandum mihi erit, et quorum iudicium plurimi facio ipse. Suum Lasco honorem illi numquam detrectabunt. Ingeniosa animi solertia et subtili, quo splendent, acumine iudicii prudentius in mundi theathro dispicere didicerunt, quam ut unquam vilibus apploderent, aut gravi vultu aspernarentur quicquid praeclarum et honestum oculis spectandum praebeatur. Lascum etiam diu iam aspexerunt, neque infimae notae hominem eum fuisse satis sibi habent conspectum. Quare laudant eum atque diligunt et suum in sacrorum instauratione pondus ultro ipsi deferunt, et tuerentur, si quis maligne eius memoriam carpere sibi sumeret. Cur vel sic tamen institutum nostrum improbent, rogas? Dicunt sc. Lasci memoriam iam exstare, et apud omnes, qui studio historiae ecclesiasticae oblectantur, bene satis nomen ipsius audire! Longe alia nostro tempore investiganda perscrutanda inque lucem protrahenda esse, quae mira hucusque negligentia consopita iacent. Esse quidem principes quosdam omniumque veluti oculis expositos et vere illustres viros, quorum vitae decursus totius quo vixerunt temporis imaginem refert. Horum vitae descriptionem plus semel reficiendiam instaurandamque esse, ét quoniam in iis contemplandis suo quaeque modo gaudet aetas, ét quia hinc lividiae livore suffundi, illinc caeca admiratione deaurari solet eorum memoria. Inter istiusmodi vero praeclaros plane et spectatissimos viros Lascum a nemine recenseri neque iure locum tenere posse. Certo, etiamsi dari posset, in eius vitae enarratione talia ad diluciditatem desiderari, quae accuratiore perscrutatione indigerent, tamen inconsultum prorsus et temerarium admodum institutum esse, novam eius operum recensionem curare velle. Quasi stupenda copia librorum, quos praeter auctorem legit nemo, indies supervacaneis libellis coacervandis agglomerari assidue deberet! Habet quidem suas illecebras, anecdota eruere detectaque aliis legenda exhibere; sed in eo praesertim discrimine homo vere doctus cernitur, quod quum minorum gentium dii omnia quaelibet promiscue

edere suoque nomine adornare solent, vir sagax contra iudicium semper adhibeat et cum delectu distinguens, quisquiliis abiectis, nonnisi diu spectata probataque prelo submittat. Num igitur omnia quae fertilis tulit reformatorum aetas, repetita editio manet? Vere portentosa vis membranarum in variis thecis, cistis, tabulariis et monasteriis ubilibet sparsa in catalogos iam recensita, inedita tamen hucusque iacet; incredibilis praeterea et monstrosa prorsus chartarum copia est, quas nemo hucusque oculis inspexit tetigitve manu. Num igitur haec typis mandari debent sine discrimine aut delectu omnia? Vae posteritati! quam tale diluvium manet. Musei Alexandrini fatum dolemus omnes: at barbaries illa tali ferme diluvio anteponenda esset!

Quid dicam? Theocriteum illud

ἄμμες δὲ βροτοὶ, οἱ δὲ βροτούς βροτοὶ ἀείδωντι

nostro quoque aevo non tam insanum dictum esset. Nobis etiamnum dulce semper videtur et amoenum proavorum imaginem diu contemplare et arte quadam delineatam aequalibus spectandum exhibere. Hoc, lubens fateor, me quoque infestavit contagium, et in Lascum meum incidi! Non quod contendam Polonum Baronum illum heroibus utcunque humani generis annumerandum esse, splendere eum inter primarios et eximios illos viros, de quibus anceps quaerit poeta

τοιῷδε φωτὶ τίς ξυμβήσεται
τίν' ἀντιτάξω, τίς φερέγγυος;

Qui eminet, latere nescit. Itaque per duo fere saecula Lascum latuisse revera et tot tantisque viris etiamnum obscurum satis hominem esse, palam efficit, circumspectius de eo docendum esse. Vel sic tamen egregie fallunt, qui eum ad infimum fere locum inter reformatores relegant. Vir fuit haud uno nomine Bullingero Bucero Pomerano acquiparandus, et qui Martyrem Myconium Oecolampadium multis numeris superat. Certo iniuria utpote Hagenbachius eum in compendio suo, Reformatorum vitas cum operum delectu exhibenti, eodem ipsum loco cum Lamberto Vadiano et Farello posuit. Evincunt hoc summae quas in republica et Ecclesia egit partes. Evincit late spargens epistolarum quod cum tot insignibus viris, tot regibus et principibus per totum vitae decursum habuit commer-

cium. Evincunt hoc denique aequalium de ipso toto coelo divergentia et saepe e diametro sibi invicem opposita iudicia. Namque hoc certum est: splendoris et bonae notae indicium exstare, si quis scriptis et actionibus suis in admirationem rapuerit alterum, alterum ad iram stimulaverit inter aequales. Rogas, cur minus tamen eluceat in historia quam Bullingerus, minus prodire in scenam videatur? Responsum accipe. Bullingerus Ecclesiam instituit diu perduraturam et quae suam memoriam pie coleret per saecula. Num vero ideo Lasco anteponetur, quod hic in patria sua Ecclesiam condiderit, quae Papae legati et societatis Iesu machinationibus iam iam collapsa sit? Num ideo Lasci nomen nigra obducetur litura, quod Ecclesia Frisiae-Orientalis sacrorum instaurationem popularibus suis quam extraneo homini acceptam referre maluerit? Lasco ne vertendum est Exsulum Batavorum Ecclesias, quas et Londini et Emdae et Francofurti ad Moenam instituit, stabilivit, omnes simul vere paterno amore complexus est, sublatas mox evanuisse, simulatque Belgicae provinciae palam ab Hispaniae Rege defecissent? Nullius pretii idcirco eius scripta existimabis, quod tanti ponderis tamque periculosa et dentata ea habuerint Inquisitionis magistri, ut sedulo conquisita flammis comburenda ea devoverint? Aequius iam revera Bertramius olim et Gerdesius, nostro saeculo Dörner, Bartels, Goebel, Lechler, Seise et Hofstede de Groot de eo tulerunt iudicium et in sua quisque provincia nimis laudem insignis viri praeconati sunt, quam ut tam praeiudicatis opinionibus longe esset occurrendum. Et tamen vitae ipsius narrationes quae exstant (et quae, si Bartelsii libellulus, octoginta vix pagellis constans, excipiatur, omnes praeteriore saeculo conscriptae sunt) accurate definitam eius imaginem delineare nemo serie contendet, et quoties aliud agentes obiter mentionem de ipso fecerunt viri docti, luculenter utpote, quam parum vitam ipsius perspectam haberent, suis in quos induci se passi sunt erroribus passim declaraverunt. Profecto, non sum is, qui in re dubia alto supercilio illud αὐτὰρ ἐγὼ βασεῦμαι ἐμὴν ὁδὸν dissuadentibus obiicerem, sed vero rem indubitatissimam tueor, nec proprio consilio, sed suasu potius virorum, quorum plurimum valet apud m auctoritas et e quibus Cl. Moll et Hofstede

de Groot honoris causa nominare mihi liceat, editionem aggressus sum. Neque hoc tantum. Permulti etiam, quibus forte fortuna sive cum Lasco sive cum uno alterove e scriptis ipsius familiaritatem iungere contigerat, suaviter admodum epistolis dandis institutum mihi congratulati sunt. Quin imo haud unus, se iam ipsum in eodem argumento aliquantulum lucubravisse mihi scribebat: mox vero ad alia digressum esse ob summam suppellectilis sibi procurandae difficultatem. Quod denique praetermittere nefas esset. Vitam Lasci, Belgis utcunque maxima fere ex parte deditam, e Belgis descripsit hucusque nemo. Siluit ad hunc usque diem patria neque ullum se dignum monumentum exegit eximio illi viro, cui inter Reformatores secundi ordinis plurimum certe debet. Beneficia autem sensisse nec referre gratias, Ecclesia nostra indignum esse, quis non sentit? Et hoc igitur mihi in caussa fuit, cur Ioannis à Lasco memoriam renovando ét a multis desideratum ét mihi iucundum ét Ecclesiae meae nomine pium simul officium recepisse mihi viderer.

Iam ad operum eius editionem transeamus, quae, ut spero, multis facilius etiam quam auctoris biographia approbari poterit. Non immerito fortasse dicam, absque scriptorum editione nec vitam ipsius paullulum accuratius enarrari, neque imaginem solertius delineari posse, sed ipse sentio levius hoc argumentum plerisque videri, quare stabiliora expromam. Proprie omnis de utilitate editionis operum cuiusdam disceptatio ad has duas quaestiones revocari potest, ut roges, an sint qui ea legere cupiant, primum, deinde possintne exemplaria administrari? Utramque paucis expendam. Et iam quod ad primam quaestionem, an Lasci opuscula legere litterati viri cupiant, satis facile mihi negotium erit. Notum est omnibus qui librorum auctiones paullum diligentius mente sequi solent, quo stupendo plane pretio deformes eius libelluli interdum veneant. Nuper in patria nostra divendebatur Amstelodami Harlemensis apud Teleiobaptistas rude donati sacrorum antistitis pretiosissima bibliotheca, et nil mirare! centum septuaginta septem floreni pro sex duntaxat opusculis Lasci appensi sunt. A synodo Ecclesiarum Bohemicarum confessionis Helveticae rogatus, ut opusculum, cui *Forma ac ratio* titulus, iis procurarem, Amstelodamensis bibliopolae

Frederic. Muller nomine, nullo inferiore pretio quam octoginta florenorum libellum venalem offerre poteram. In auctione Herbertiana apud Anglos liber *de sacramentis Eccl. Chri* centum undecim florenis stetit. Ut brevi dicam: docet experientia, pretia quae Lasci operum comparandorum gratia in auctionibus offernntur, non solum incredibilia fere iam olim fuisse, sed indies magis crescere etiam et augeri; qnod similiter quoque in autographis ipsius epistolis factum deprehendimus, quarum exemplar una scednla comprehensum Parisiis ante duos annos viginti florenis stetisse relatum est. Quid qnaeso desiderari librum erit, nisi hoc sit? Quis dicat premenda fuisse opuscula, quae tot nummis emuntur? Et sane ipsorum libellorum indoles mira illa pretia egregie explicat. Phrisiae Orientalis Ecclesiae suas origines bona parte ex hisce libellis petendas esse, clarius perspicere indies coepit. Historia Exsulum Batavorum sec. xvi, qnod ad res Ecclesiasticas, ab iis maxime pendet. Nationes Slavonicae, quatenus reformationis reliquias qnasdam servaverunt, ad eius potissimum symbolica scripta recnrrere cupiunt. Patriae Ecclesiae historiam, quam usque ad sacrorum emendationem cum omninm applausu instaurare pergit Cl. Moll, ulterius protrahi non posse, nisi Lasci imago melius eluceat et definiatur uno ore omnes huius rei periti fatentnr. Historia iuris Ecclesiastici, ut et symbolica et liturgica, apnd Reformatos eadem plane alacritate Lasci atque Calvini sententiam percontatur. Accedit quod patriae reformationis historia dnplicem hic Ecclesiam initio ingressam esse docet viam, quarnm altera qnidem a Calvino mnnita plerisqne mox placuit, neque tamen altera, quam ad Lascum facillime reducas, in hunc usque diem unquam fuerit derelicta. Adde, Lascum nostrum vel scripto decertavisse vel digladiavisse colloquiis cum Mennone, Davide Georgii, Bncero, Brentio, Westphalo, Timanno, Hosio, aliis; arctissime contra coninnctnm fuisse Melanchthoni, Bullingero, Hardenbergio et quos praeterea in vitae narratione recensebimns, — et qnis non videt, ad Lasci scripta saepius decurrendum esse, si quis in horum virorum vita describenda operam navet. Taceo qnae ad politicam historiam Ungariae, Germaniae, Angliae illnstrandam passim eius

epistolae suppeditant, et dicta sufficere iam existimo, ut desiderari Lasci opuscula mihi unusquisque concedat.

Quae supra ex auctionum fatis obiter commemoravi, iam magna parte alteram quoque quaestionem solvunt, possintne exemplaria eius libellorum administrari? Tam ingens namque praetium certissimum utique indicium praebet, esse haec opuscula rarissima. Is. LE LONG in suo *Gesch. der kercken onder het kruis*, VOGT in *Cat. libr. rar.*, GERDES in *Florilegio* suo certatim extremam horum librorum iam suo tempore raritatem de industria deplorant et inter pretiosissimas cupedias eos referunt. Patet ex ipsissimis eorum verbis, se plurimos, quos in catalogis suis recensent Lasci libellos, ne unquam tetigisse quidem, sed ex aliorum testimonio tantum Lasco auctori adscripsisse. Ne ipsis quidem Lasci biographis plausibilis adfuit apparatus, et tam BERTRAMIUS superiori, quam BARTELS et GOEBEL nostro saeculo aegre satis tulerunt, undequaque conquisitae supellectili suae plus dimidio Lasci opusculorum defuisse. Cum magna satis fiducia affirmare ausim, nullum mortalium ad hunc usque diem finitam absolutamque horum librorum collectionem, non dicam possedisse ipsum, sed ne in studiorum quidem gratiam tempore sibi habuisse administratam. Olim GERDES, nuper venerandus ille senex ABR. DE VRIES, exquisitissimas in thecis suis reposuerant undique decerptas collectiones, nec tamen septem plus opusculis uterque potuit gloriari. Ne splendida quidem librorum repositoria, quibus vicina Anglia prominet, quaeque omne quod conservabile praeterita tradiderit nobis aetas aut etiamnunc mortales conscriptitare pergant, portentosissimis pretiis et indefesso labore undique diligentissime conquirunt atque conglomerant, — quin imo ne omnes simul quae passim per Europae plagas prostant bibliothecae publicae, absolutam plenamque Lasci operum collectionem administrare possunt: quae omnium ditissime referta est quintanum numerum non excedit. Hoc quoque perpendas velim, satis lepide passim in historiis litterariis Lasco adscribi, quae a Lascari, sive a Lasczy dudum postquam fatis functus esset noster, scripto mandata sint. Esse contra ex eius libellis, quos tam avernalis per duo saecula merserit caligo, ut nusquam locorum in operum ipsius serie com-

memoratos eós reperias. Esse denique inter opuscula ipsius alia quorum versiones, alia quorum secundariae tantum editiones innotuissent, primariae vero et suo sermone loquentes perpetuo sese subduxissent conspectui et conquisitioni. Plura addere possem, sed ut libere dicam, de eo convincendo plane desperarem, cui hisce non persuadetur argumentis, Lasci operum et summam esse exemplarium penuriam et incredibilem fere caritatem.

Vel sic tamen apum prae formicarum exemplum mihi in edendis Lasci operibus sequendum fuisse merito quis contendere sibi videri posset. Ad nigri agminis instar quaesiti tenacem, me eum esse iocabitur, de quo canit poeta:

Ore trahit, quodcunque potest atque addit acervo
Quem struit.

Formicis ingeniosius longe et gracilius apum esse examen, quae per omnes quidem volitant campos, nec tamen nisi rorem madentem ore legunt et liquentia mella favis stipant. Non frugilegum sed mellifer potius imitandum nobis esse genus: itaque me quoque exquisito florilegio, quam omnium quae supersunt editione, magis de orbe litterato fuisse meritum! Lubens fateor, me quoque dudum tale consilium volvisse animo. Arridebat, quae praeclara, quae optima nitidaque plane in eius scriptis insunt, tenui compingere libello, reiectis quae ab aliis saepius et melius dicta esse censerem. Fortiter tamen quin consilio huic indulgerem, obstitit opusculorum, quae praesto erant, natura atque indoles. Quis verbi causa non intelligit, in operibus symbolicis et liturgicis edendis mancam prorsus et crassam talem recognitionis rationem fuisse? et tamen dimidium totius molis ea sola iam complent. Quae priore volumine collegi, diversam quidem indolem referunt et istiusmodi exquisitioni magis fuissent adaptata; sed ne in hisce quidem consilium quod subierat, probari potuit. Certo nec tu ipse, ut hoc sumam, diu haesisses anceps in opusculis supra iam commemoratis, quae centum et quod excurrit florenis, si quando veneant, steterunt. Non interrupto tenore integerrima Lasci verba legere harum cupediarum amatores suo iure flagitant. Idem prorsus valet de *Epitome* illa *doctr. Phr. Or.*, quam nunc primum e pulvere eruimus. Neque aliter censendum de eius *adv. Hosium* libello, cuius

ne titulus quidem substrepuerat ad hunc usque diem. Quodsi igitur haec omnia intemerata a capite ad calcem in editione mea, sine delectu promenda erant, nonnisi tam exigua libellorum pars destillari quodammodo sugique et exprimi potuisset, ut centum vix pagellis extenuatum fuisset utrumque volumen. Restabant epistolae ipsius, quibus eo facilius bona parte supersedere me posse primo obtutu opinabar, quo tritius sit GERDESII *antiquarium scrinium*, ubi data opera conquisitarum undique harum syllabum inseruit indefessus ille reformationis historiae explorator. Ast gnavum operarium non utique subtilem veterum esse iudicem in eius quoque exemplo egregie cernitur. „Studiosior quam ingeniosior" de eo quoque valet. Caret ea Gerdesius arguta sagacitate et divinandi sollertia qua ubique locorum vetustis membraneis succurrendum est. Obiter cum pace tua unum quod pagellis suis dedit exemplar percurramus, et immerito me magni viri memoriam carpsisse, nemini veniet in mentem.

In *Scrinii* sui voluminis tertii parte prima, p. 119 et sequentibus, copiosam satis et prolixam Lasci cum lectore communicat epistolam, quam Baliciziae d. 28 Dec. aº. 1556 ad Sigismundum, Poloniae regem, dedit noster (Leg. ed. nostr. II, 738). Desumserat eam Gerdesius ex pretiosissimo et perraro STAN. LUBIENIECII libello, *Hist. Ref. Pol.* narrante. In libro eius operis II. c. IV. p. 79 eandem prorsus epistolam exaratam reperies: videbis etiam descripsisse eam Lubieniecium e BUDZIN. *Chron.* c. 16, et hilarem praeterea historiolam huius epistolae in transitu adspersisse. „Imo forte fortuna" sic narrat „litterae „hae a Rege in scamno positae, cum in terram decidissent, „a cane regio laceratae, a Fabiano cubiculi Regii familiari „cani ereptae et collectis frustis Myscovio traditae, a mini„stro eius Budzinio apte conglutinatae et descriptae fuere." Praemonere haec et LUBIEN. et GERDES., ut opinor, iam debuissent, perquam circumspecte in hac epistola edenda explorandum esse, an forte in frustorum conglutinatione quaedam evanuissent litterae, sive hic illic lacunae superesset vestigium, cui nondum satis mederi potuisset Budzinius. Age, quid in hac parte Gerdesius praestiterit, paucis expendamus! In priore epistolae parte haec legerat in LUBIEN. edit. p. 51: „Scripsi ego ipse

apologeticam doctrinae nostrae confessionem — — eamque a Calvino — lectam — edendam curavi, et quoniam sub prelo adhuc haeret exemplum *illius manu descriptum* (ut haberi nunc ita repente potuit) *tuae maiestati in me quidem erat, praetermittere voluisse.*" Quid haec verba significent: „Tuae maiestati in me quidem erat, praetermittere voluisse" ne Oedipus quidem intelligat. Voces sunt, omni plausibili sensu sic destitutae ut qui sanam mentem lectioni adhibere solet, non impingere iis plane non possit. Revera coecum esse debet, ni manifestam lacunam in hoc contextu aperte satis latere deprehendat. Conieci equidem inserendum esse: „Tuae maiestati [*offero, ut palam sit me nullum observantiae meae Tuae Maiestati debitae indicium, quantum*] in me quidem erat praetermittere voluisse" quod aliorum iudicio permitto. Erunt fortasse, qui me male imperiteque medendo auxisse morbum querentur, vel desultoriam arguent levitatem, qua satis temerarie contextum restituere conatus sim. Accipio, Gerdesium ex iis fore, si etiamnum Groninganam scolam sua ornaret eruditione, nec meam ineptam, si videtur, impudentiam ipsi obtrudere in animo est. Hoc autem non capio, cur non punctillis saltem quibusdam interponendis obiter lacunam se observasse indicaverit vir clarissimus? quini iu notulis, deesse aliquid ad sententiae rectam intelligentiam uno saltem verbo monuerit? cur ei visum sit Lubieniecii meras ineptias in sua editione nobis recoquere et vitiosissimum vitiose describere locum? Et tamen vera me dicere ipsa huius loci apud Gerdesium inspectio docebit. Vel sic tamen in hoc vitio punctilla typographi errore omissa, per negligentiam amissas notulas, praetexere quis defuncti viri laudis curiosior posset. Quid vero dicendum, si ἐπ' αὐτοφωρῷ eum deprehendimus in vitio typographico, quod olim iam a Lubieniecii typographis fuerat commissum? Et passim tamen talia in Gerdesii textu occurrunt, cuius rei obiter unum alterumve exemplum expromere mihi liceat. Legitur in eadem illa, de qua iam diximus, epistola, LUBIEN. ed. p. 84, haec verba: „Sed videat Lippo„mannus ME, dum se — haereticorum iudicem esse somniat, „— ipsemet aeternis gehennae cruciatibus tradatur." Ecquis tironum tam crassa mente est, quin in legendo statim errorem

typographicum corrigat, NE pro ridicula illa vocula ME rescribendo? Et tamen eum in modum hac vocula delectatus esse videtur Gerdesius, ut intactam eam sedulo in sua editione nobis asservaverit. In vicinis typis mandare voluit LUBIEN. p. 85: „.... Christi Domini vocem, quam te UNAM alio„qui supra alias omnes audire oporteat." Placuit tamen iis, qui typos disposuerunt, uni parcere litterae et UNA pro *unam* in exemplaribus exhibere. Evolvas nunc quaeso GERDESII textum, et in p. 742 purum putum illud UNA denuo typis expressum reperies. Longius esset, singulatim omnia recensere; ceteroquin nihil negotii esset continuam istiusmodi vitiorum seriem ex epistolis Lasci, quas scrinio suo inseruit, evolvere. Qui accuratius utrumque textum inter se componere velit, in eadem utique illa ad Sigismundum epistola videat, an non similem deprehendat errorem in iis quae LUB. ed. p. 81 leguntur: „EGO cum Principibus non paucis," et quae una littera mutata optimum praebebunt sensum: „EGI cum Prin„cipibus nos paucis." Ne autem maligne circa tenues literulas et subtiles quisquillias duntaxat versari iudicium nostrum videatur, unum adhuc locum indicabo, qui sic ut scriptus est risum tibi non movere prorsus nequit. In eadem semper epistola ad Sigismundum, circa finem, LUB. p. 89, haec Lascum scripsisse credere te rogant ét Lubieniecius ét sedulus ipsius imitator, Gerdesius: „Haec te sane omnia merito SUI officii „Regii COMMUNE FACERE deberent." Pervelim eos, qui intricatos locos expediendo maxime oblectantur, in his verbis contorquendis admirabile suum exercerent ingenium, et praecipitem Gerdesii incuriam perstringere deseram, qui eiusmodi prodigia suo nomine edere non reformidarit. Nullus interea dubito, unice vera esse, quae in meo textu rescripsi: „Haec te „sane omnia merito TUI officii Regii COMMONEFACERE debe„rent," et fiducia affirmare ausim me in tam vitiosa, corrupta temerataque Lasci epistolarum editione acquiescere tuta conscientia non potuisse.

Accedit, quod in epistolis edendis omnia fere pendent ab accuratissima temporis, quo datae sint, definitione. Epistolarum series velut in speculo vitae auctoris decursum successumque referre ac delineare debet; quod ut faciat, iusta singulorum

exemplarium distributio cumprimis requiritur. Hoc quoque nomine autem Gerdesius incredibili negligentia editoris partes sustinuisse, luce clarius efficient, quae paucissimis hic adiiciemus. In fine eius epistolae, quae nostrae edit. legitur Tom. II. p. 623. N°. 56, ad Prasnicium suum scribit Lascus „ responsum suae Maiestatis hic apud Illustr. Ducem Prussiae „ Albertum exspecto," diei locive, quo dederit ipsam, nullo adsperso indicio. Vel sic tamen absque omni haesitatione in parenthesi adscripsi: [*Regiomontii m. Iulii* 1549], neque magna sane divinandi arte hac in re opus erat. Qui scribit se apud Ducem Prussiae expectare, totidem verbis se Regiomontii commorari testatur, et Lasci vita certissime docet eum m. Iulii a. 1549 in plagas septentrionales suscepisse iter. Pluries Regiomontii quidem fuit, sed de hisce itineribus nullum hic fieri sermonem, perspicue docet epistolae totius contextus. Ratio igitur temporis locique definiendi in hac epistola tam facilis erat quam certa. Quid vero Gerdesius apposuit? Refert eam ad annum 1552, absque ullo sive mensis sive loci indicio: quod quam vitiose et parum lepide fecerit, unusquisque intelliget, quem vita Lasci docuit, eum per continuum illum annum procul a Regiomontio Londini apud Anglos vixisse. Uno verbo huius erroris origo aperiam. Desumpsit hanc epistolam Gerdesius ex eo libello, quem Wegiersky, tecto nomine sub hoc titulo edidit: Regenvolscius, *Historia Eccl. Slavon.* p. 212. Ille autem, Lasci vitae parum guarus, sua autoritate in fine epistolae adscripserat: *Haec Lascus a.* 1552. Sine teste loquenti statim credidit Gerdesius et in suum pudorem caussae malae exstitit patronus. Simile ingenii acumen desideramus in temporis definitione, quo data sit ea Epistola, quae nobis ordine 4ª est, et ubi ad calcem p. 553 certissimas rationes dedimus, cur in errore versari Gerdesius nobis videatur; et sic passim hoc in epistolis, quas scrinium eius complectitur, disquirendis observare est, iudicium eum adhibuisse fere nusquam. Hoc quoque in Gerdesii editione molestum est, quod series epistolarum, quam conflavit potius quam elaboravit, saepius interrumpitur, nec continuo se singulae subsequantur epistolae, sed in quatuor tomis dispersae disiectaeque ipsi lectori undique conquirendae sunt. Annotationes etiam,

quibus Lasci epistolas subinde illustravit, partim tot scatent erroribus, ut impliceut magis quam expediant lectionem, pro parte insuper tam rarae sunt et paucae, ut ad diluciditatem sufficere neutiquam possint. In summam denique nonnisi octoginta exemplaria in Gerdesii habentur editioue, quibus quinquaginta sex epistolas in recensione nostra addidimus, quae igitur Gerdesii seriem, etiamsi solerti cura esset perfecta, toties perturbarent et distraherent, nt novam *omnium* Lasci epistolarum recognitionem me in fine secundi Tomi editionis nostrae adiecisse, nulli videbitur supervacaneum, qui mecum facit, aliud esse acta agere, aliud quae corrupta sunt emendatius, quae defecta integrius edere.

Quodsi quaeritur, qua ratione in edendis Lasci opusculis versatus sim, me pressisse quae, etsi Lasci ferebantur nomine, immerito tamen in eius operum catalogo recensita sunt, dicere nihil attinet. Ea sola edidi, quae reapse Lascum auctorem habent et flagitant: nec tamen ea omittenda esse duximus, in quibus componendis collegis suis adiutoribus interpretibusve usns est, quod in opusculis liturgicis et symbolicis passim obtinuisse res ipsa loquitur. Erant huius generis Ecclesiae, quibus praefuit noster, ut regulae fidei et rituum formae totius utique ministerii nomine publicareutur, quare nihil subinde molestius est quam distincte discernere, quid ipsi auctori, quid collegis ipsius adscribendum sit. Acta conventns presbyterii, cuius iussu atque autoritate haec scripta in publicum Ecclesiae usum sancita sunt, aut interierunt prorsus, aut silent in nostra causa. Qui ergo definias quae ab ipso auctore scripta, quae revisa mutatave vel correcta sint? Nemo praeterea exstitit inter aequales, qui horum libellorum originem successum fataque ab oculatis auritisque testibus percontatus scripto conderet. Auget scrupulum et rem satis iam perplexam impedit etiam, quod noster in scribendo assidue latino utebatur sermone, nec satis nostri idiomatis peritia pollebat, ut sine interprete belgice in scriptis suis loqui ausus esset. Ubi itaque latinus textus non seorsim in lucem prodierit et sola versio remanserit superstes, ea quoque originis indicia, quae ex styli tenore expiscari subinde licet, prorsus nobis deficiunt. Nihil tamen eiusmodi dubia dubitando auxie exaggerare expedit, et

sic potius efficacissime diluetur haec quaestio, ut statuas, in Lasci operum conquisitione ea quoque colligenda esse, quibus in coadiutorum ipsius operum collectione locus certe daretur nullus. Praecipuas autem et longe primarias in iis componendis Lascum egisse partes tam certe et indubitate constat, ut sive Micronio sive Utenhovio illa tribuere nemini unquam in mentem veniret. Ferantur igitur pace omnium Lasci nomine quae omni nomine destituerentur, si Lasci paterna orbarentur tutela.

In materia distribuenda duplex patebat via. Enimvero aut temporis seriem, aut argumenti rationem ducem sequi potes. Chronologicam alteram, alteram pragmaticam argumenti distributionem vocant. Hanc secutus, illam in divisionum iterum partitione sedulo observare voluissem. Mox autem ab instituto me digredi et recedere iussit, eheu, imperiosa necessitas, e supellectilis, de qua supra iam dictum, extrema raritate profecta. Quoties enim requisitus libellus nondum aderat, donec adesset ob solum libellorum ordinem differre editionem, vetabat studiorum ratio et typographorum commodum: ni vetuerat, vetuisset tamen continuam servare seriem conclamatorum iam repentina e mortuis resurrectio, quam supra in *Epit. doctr. Eccl. Phr. Orient.* verbo monuimus: vetuisset etiam subita atque inopina hucusque prorsus ignotorum apparitio, qualis in eius *adv. Hosium responsione* obiter mentionem fecimus. Itaque pro libellorum Lasci natura atque indole opuscula eius tripartito sic dispertivimus, ut seorsim colligantur, quae *dogmatica et polemica* condiderit (haec coniunctim primum volumen explent): separatim porro conquiremus *liturgica et symbolica* eius scripta, et ultimo denique loco omnes una eius *Epistolas* in fine seponemus. *Dogmatica* a *polemicis* divellere idcirco nolui, quod subtilior illa distinctio videbatur in homine, qui numquam nisi dogmatice polemizavit, neque dogmatizavit (sit venia barbariae!) nisi polemicis de causis. Liturgicorum vero et symbolicorum sub una divisione coniunctio iis facile probabitur, qui dubiam et ambiguam utriusque generis scriptorum, in Catechismis praesertim, distinctionem mecum dolent. Sub tripertita hac divisione singula autem scripta nullo temporis observato ordine confusa satis et per-

mixta ita coniicere coacti sumus, prouti libellorum copia nobis in edendo daretur. Ut tamen temporis ordini etiam quantumpote consuleretur, omnium eius opusculorum secundum temporis seriem conspectum editioni nostrae praetexemus. In epistolis edendis, quippe quae postremum sortitae essent locum, iusta utique temporis ratio haberi potuit. Ordine igitur secundum dierum, quibus datae sunt, seriem dispositae se invicem subsequuntur.

Textum libellorum et epistolarum diplomatice, quod vocant, repraesentare parum profuisset. Ars typographica iuvenili levitate in prodigiosissimos tunc temporis incidere solebat errores. Quid attinet monstra haec vocabulorum referre? Compendia vocum non tantum in scriptis, sed in typis expressis quoque libris tulit proavorum aetas, aegre respuit nostra. Cur igitur inutiles et truncas istiusmodi voces aequalium oculis obtruderemus? Amabant proavi initialium litterarum frequentiam et altis capitibus scriptum suum ornare putabant. Delectum adhibere in ea re quoque iubet excultae magis atque perpolitae, quo nostrum prominet saeculum, externae formae studium. Quis igitur suaderet, recondere inconditas eiusmodi ineptias et cultrum ab huius generis stolonibus arceret? Quas latina lingua in elementis litterarum componendis perpaucissimas habet scribendi variationes (ut in *coena* et *caena*, *aedere* et *edere*, *coercere* et *cohercere*) sedulo explorabant, qui sec. xvi fuerunt typographi, ut promiscue tum solita tum insolentiore forma uterentur. Quid quaeso attinet assidue haec recoquere? In pretiosissimis repraesentandis codicibus, ferri hoc quodammodo potest, ut nec titulum nec iota mutare neque insulsissimas scribarum ineptias corrigere tibi fas sit. Scio cum multorum applausu hanc timidam artis criticae religiose scriptam esse legem, ut exemplar ipsi codici manu scripto quam simillimum reddi oporteat, eo fine atque consilio, ut, quibus ipsius codicis inspiciendi copia non sit, ipsius tamen codicis veluti imaginem accuratissime delineatam domi per otium adspicere et contemplare et suo quisque marte genuinum eius constituere textum queant. Neque tamen in mea editione obsequi hanc legem volui. Taedium utique creasset in huius quoque farinae, qualis Lasci sunt, libellis pusillanimam hanc tenere rationem.

Etenim qui publici iuris huius generis opuscula facit, hoc non agit, ut aliis eorum iterum iterumque recognoscendorum, sed ut legendorum copiam faciat. Ad expeditam itaque lectionem, quoad fieri potuit, Lasci libellorum textum accomodare conatus sum, nusquam in meris scribarum aut typographorum arbitrariis erroribus hallucinatus. Talem eum typis mandandum curavi, qualem nostro tempore ipse, si viveret Lascus, eum maxime cuperet editum, solutis itaque compendiis omnibus, detruncata passim densa initialium silva, vitatis utpote elementa litterarum componendi variationibus.

Duo tantummodo variarum lectionum genera sunt, quas diligenter ad calcem recensendas esse duximus. Primum in iis libellis, quorum aut manuscriptum exemplar, aut recentior editio cum editione, quam secuti sumus, conferri potuit, sedulo in margine omnes quotquot adspersimus variationes, quae vel levissimum ipsius sententiae discrimen redolerent, praesertim ubi dogmatices causa de industria mutatum locum deprehendissimus. Alterum variarum lectionum genus in symbolicis scriptis reperics, quorum versionem belgicam ad litteram usque quam accuratissime repraesentare studuimus. Etenim scribendi ratio apud populares tunc temporis perquam erat ambigua et anceps, et haud ita raro eundem auctorem post elapsum spatium sex septemve annorum aliter in quibusdam vocibus exarandis versatum esse videbis. Quamquam igitur harum quoque variarum lectionem illuviem meras plerique sordes et quisquilias aestimarent, quas si reticuissem ne vel levissimam perspicuitatis iacturam fecisset Lasci libellorum textus, vel sic tamen ubi plures diversaeque exstarent recognitiones praecipuam in hisce lectionis varietatem obiter adscripsimus, ut minutila quaedam ad accuratiorem vernaculi eius saeculi idiomatis cognitionem in transitu adferremus. Nullius quidem ponderis eiusmodi variae lectiones fuissent, nec quae annotaretur dignae, in scriptore imperito et qui arbitrarie permiscere omnia et pro libitu ineptiis suis variegare textum studuisset. Tam crassae vero negligentiae in Lasci libellis vertendis ne quis UTENHOVIUM reum agat, expendat velim quae nobilis ille Gandavus in introitu ad Catechismum Londinensem (nostrae ed. Tom. II. p. 346) hisce ultro fatetur verbis: „ *Quem* (sc.

„ Catech.) *iis petentibus ipse belgice transtuli. Qua in re vernaculo sermone — tam turpiter eheu! abusu depravato — saepius non absque licentia quadam usus sum, quemadmodum etiam in Confessione feci, tam ut ad priscam formam eum pro virili portione reducerem, quam idcirco quoque, ut ab Ecclesia quae hic e diversis nationibus collecta est melius intelligeretur.*"

Id porro in editione nostra praesertim operam dedimus, ut lectioni accnrata verborum interpunctione consnleremus. Novit, qui reformationis aevi mann unqnam trivit scripta, quam parum sententias incidendi rationes, quae tunc usu venerat, orationis perspicuitati prodessent. Onerosa commatum mole lucubrationes suas aggravant et gravissime impedinnt lectionem, cui sc. diluciditatem somniant adferre. Incidunt, discindunt, findunt, subsecant, truncant, dilacerant, mulilant denique sententiae tenorem, donec omni succiso contextus nervo tremefacta membra omnem vim vitalem excutiant, et cum poeta triste lugeat exanimis lector „ avulsae cecidere manus „ exsectaque lingua palpitat." Quin imo sexcenties eiusdem sententiae partes tam crasse a se invicem divellere prorsus et abstrahere non reformidant, nt quinquies sexiesve gravi puncto et nova initiali littera in eodem verborum complexn offendaris. Cum fiducia contendere ausim nulli, ne doctissimo quidem, tam sagax tam perspicsx esse in legendo ingenium, quin saepius interrumpere lectionem et redordiri debeat, quoties in tam mutilum et distractum orationis sceletum inciderit. Succurrere hac parte lectori et manifesto morbo mederi mei erat officii secundum eam, quam supra iam praefinivimus, regulsm, huius generis opuscula ad expeditam lectionem maxime esse accomodanda. Primo obtutu vetusta interpungendi ratio aliquodammodo sane retineri posse videbatur, quoties sententiarum compositio aliqua parte in mente anctoris arctius cum incisionis legibus, quae suo vigerent tempore, cohaererent, et in primo Lasci *adversus Mennonem, de incarnatione Christi*, libello aliquot saltem huins aevi reliquiis cnm iudicio parcere conatus sum. Mox autem experientia edoctus, quam lnbrica via sit, duas distinctas a se invicem interpungendi rationes justa coniungere velle distributione, ubi ubi furca perfidiosam

ancillam expuli. In reliquis itaque Lasci libellis omnibus eodem prorsus modo sententiarum complexus dividi incisione, quo ipse in scribenda interpunctione uti soleo, et sermonis perspicuitati meo qnidem indicio optime consulitur. Erunt fortasse, qui nimiam qua usus sum parcimoniam arguent et nbi nbi locorum speciosis de causis temere omissam interpunctionem perstringere malnnt quam expendere. Scio etiamnum operosae interpungendi signorum frequentiae dignos, quos audias, existere patronos, qui hisce lectionis snbsidiis et adinmentis carere se posse negant. Me tamen a se dissentire pace sua patiantur. Egregie, si quid video, eiusmodi distinctivornm signorum apparatus praelectoribns destinatus est, ne vocis, quam emittunt, clamori nimis dediti a sensu verborum abstrahantnr et haesitanter balbutire incipiant: tironum qnoqne usni subservire potest, quibus sermonis complexus nonnisi paulatim pedetentimqne veluti per nebnlas illucescere solet, sed nullins praetii habendns est in libris peritis exercitatisque viris destinatis, quibus verborum vis ac pondus orationis successum sponte aperit et monstrat. Magis etiam quam in vernacnlo sermone in latinis tam tortnoso interpungendi signorum apparatui supersederi posse videtur, quod declinandi coniugandiqne, quam vocant, apnd latinos ratio efficacissime et dilucide satis qno decurrat oratio, qua in devias digrediatur auctor, qua redeat in viam, praesentire lectorem facit. Praesertim in auctoribus, qualium noster fuit, qui interminatam et vere immensam verborum copiam unius sententiae nexu coagnlare delectantur, sermonis perspicuitati efficacius haudduhie proderit, qui parca incisione universam sententiae distributionem ob oculos ponit, quam qui infinita signorum advecta mole subdivisiones et partitiones singulas omnes membratim dissecat et tenuissimas quoque sententiae portiunculas apicibus suis includit curvatisve cingit uncis. Addat igitur de suo inter legendum, cui mea non sufficit parcitas. Praestabat, uni alterive non satis expedire quam plerisque impedire libellorum, quos edidi, lectionem.

Pagellarum indices ubique locorum in nostra editione in medio textu exhibentur, accuratissime e vetustissimis editionibus sive codicibus desumpti. Quum igitur in libello, cui

Forma ac ratio titulus centum in medio opusculi migrarentur pagellarum numeri, ut post eam paginam, quae numero trecentesima nonagesima nona est, quingentesima statim subsequeretur pagella, corrigere typographicum vitium nolui, quoniam latius spargeret et utriusque editionis inter se compositioni emendatus pagellarum ordo haud leviter restitisset. Ubi in vetustissimis editionibus *pagellarum numeri* prorsus deerant, *foliorum uncialibus*, quae ad calcem indicari solent, singulas pagellas ita discrevimus, ut octies eandem repeteremus uncialem latinis numeris i, ii, iii cet. distinctam, et singulos iterum numeros typographorum more bipartito additis litterulis *a* et *b* subdivideremus.

Argumenti alphabeticis indicibus, quibus sua subinde ornavit Lascus opuscula, supersederi posse videbatur. Parum revera prosunt rerum isti conspectus, in quibus omne subtilius desideratur iudicium. Haud pauca indices eius temporis magno verborum apparatu monstrant, quae numquam requiras, et plura etiam desiderantur, quae deesse nullo pacto possunt. Auget malum, sub ea littera saepissime res memorabiles indicari, a qua fortuito prima inciperet vox eius sententiae, qua in praefiniendo argumento auctor utitur. Sic verbi causa argumentum: *qua in re consistat usus ecclesiasticae disciplinae?* sub littera Q recensetur ob gratuitum prorsus a voce QUA argumenti definitionis initium. Quis non capit nihil prodesse indices, quorum indicia eum in modum ambigua sunt et fere ridicula? Hanc ob causam magis e re fore duxi, tam futiles indices totos premere et in fine Tomi ultimi nostrae editionis novum totius operis ipsum concinnare locupletissimum indicem. In eo tamen libello, cui *Forma ac ratio* titulus, Lasci indicem ideo spernari nolui, quod melioris ut plurimum notae esset, et totius libelli argumentum speciosum conspectum sive peculiarem indicem haud obscure flagitare videbatur.

Quinque sunt ex Lasci libellis, qui belgice versi ad nos pervenerunt. Quum igitur iis quoque, quibus nulla est nostri sermonis notitia, Lasci opera destinarem, ut omnibus aditus ad eius scripta pateret, in belgicae versionis repraesentatione quominus subsisterem, editionis utcunque vetuit ratio et consilium. Duplici itaque textu haec opuscula dedimus, belgicum

alterum, alterum latinum, variae hunc in singulis originis. In libello *de fug. Pap. illicitis sacris* ipse latini interpretis officio pro virili parte functus sum: libellulus contra *de communione Christi* bilinguis ipsius Lasci cura exiit. *Confessio Londinensis*, s. *Compendium Doctrinae Eccl. Per. Lond.* ipsi Lasco debetur, qui latine conscriptam eam a°. 1551 in lucem ediderat. *Catechismum* eiusdem Ecclesiae in latinum sermonem ipse transtuli, et in *Catechismo Emdano* antiquam secutus versionem, quae Emdanae scolae Rectori Gerobulo debetur, nonnisi in perpaucis quibusdam locis quae corrigenda omittendave essent sive addenda in parenthesi indicavi, ut verborum sensus accuratius redderetur. *Brevis fidei explor.* latinam versionem a latere sibi appositam non habet, quoniam originalis, unde belgica versio desumpta est, huius opusculi recensio typis iam expressa reperitur in libello cui *Forma ac ratio* titulus. Bis idem repetere nullius fuisset fructus. Ne quis autem in quinque reliquis libellis prolixitatem nobis obiiciat et nimiam ubertatem, solam latinam versionem omnibus tum popularibus, tum extraneis sufficere perhibens! In hisce libellis belgicam versionem compendii causa premere et nonnisi latinam *reproductionem*, quam vocant, voluminibus nostris inserere, lectori ingrata et vere sordida fuisset parcimonia, quae fortasse in libello *de fug. Pap. illic. sacris* et *de communione Christi* ferri quodammodo potuisset, in tribus reliquis vero nulli sano facile esset probata. Sunt namque haec tria opuscula symbolici argumenti, Ecclesiae autoritate promulgati, libelli, qui in Belgarum usum destinati popularium sermone loqui etiamnum debent. Ad instar monumentorum priscae Ecclesiae nostrae sunt, quae intaminata sibi referri pia rogat posteritas, ut proavorum memoriam sancte colat et servet immaculatam.

Haecce in genere de via, quam inita subductaque ratione editio nostra secutura sit, praefati, propius iam ad ipsius Lasci nostri opuscula accedamus. Profecto ardua res erat, prae ceteris operosa et de qua merito cum Aristophane conqueras τουτί τὸ πρᾶγμα φορτίου δεῖται πρεμῶν, disiecta quaquaversum

Lasci scripta, non dicam colligere et in suum adhibere usum, sed *undenam* conquirenda essent sciscitari percontando vel potius divinando coniicere. Levius tamen erat principium. Etenim in quibus locis ipse a Lasco aliquamdiu immoratus erat, quales sunt Embda, Londinum, Francofurtum, certa planaque via perquisitioni patebat et stabilis erat Lasci operum indagandorum ratio, dummodo accurate eius vitae vestigia relegerem. Emdam itaque bis visi ipse et Reformatae Ecclesiae scrinium, quod pretiosissimum asservat, blanda utpote tabularii praefecti, viri plur. ven. VIëTOR, comitate sedato animo perscrutari potui. Arrecta, fateor, spe vetustam bibliothecam, ipsis sacris aedibus appositam, ingressus mente vix augurari audebam, quanti thesauri ab ipso Lasco eiusve aequalibus illic reconditi iamiam e pulvere eruti prisco splendescerent coram oculis nitore. Quas non praeclaras reliquias Lasci MEINERS et GERDESIUS suo iam tempore ex hoc fonte hauserant! Quas non quantique pretii se vidisse ibidem passim indigitat HARCKENROTH! Quanta lux ex presbyterii, cui per sexennium ipse a Lasco praefuit, actis vitae ipsius affulgeret! Quanta maneret congeries litterarum exscriptarum, quas Ecclesiae nomine a Lasco ad alias Ecclesias misisset! Quam certa fere fallique nescia exspectatio, in exquisitissima bibliotheca illa, quae Hardenbergii, eximii Lasci amici, librorum collectionem magna parte etiamnum possidet, ipsius Lasci quoque lucubrationum priscas absolutissimasque editiones omnes et plena certe collectione asservari! Et tamen minime dubiam et plane exploratam hanc, ut opinabar, spem tum scrinii tum bibliothecae lustratio ad irritum plane reduxit, nec debilitavit tantum sed infregit prorsus et eripuit omnem. Ne una quidem litterula Lasci in scrinio, in bibliotheca refertissima nonnisi tria eademque in suo genere vilissima eius opuscula supererant. Nulla usquam in actis presbyterii eius commemoratio, nullum eius manus in scriptis Ecclesiae documentis vestigium. Quin imo evanuerant prorsus et furto ablata subductave erant, quae Meiners et Harckenroth suo se tempore oculis suis conspexisse scriptis suis palam affirmaverunt. Nec uberior messis ex archivis Ecclesiae Gallicanae neque largior ex archivis politicis Embdanae urbis reportanda erat, ubi testamentum quoque

Lasci, publice coram magistratu a. 1554 conditum, frustra quaesivi. Varia etiam, quibus Auriciae urbs splendet, tabularia Lasci memoriam penitus ad nomen fere usque excusserant. Nordana, viciuae urbis, Ecclesia publicis motibus scriuium suum amiserat omne, et generosus qui a Knyphauseu uomeu ducit Comes disertis verbis mihi testatus est, ueque iu suo castello neque in Ecclesiae ei adiectae scrinio vel levissimum Lasci nominis vestigium superesse. Magna quidem ex parte tristem huuc perscrutationis successum consolabatur come et amoeuum hospitium, ut et parata semper sponteque fere oblata beuevolentia qua me excepit per sex continuas hebdomades peregrina Phrisiorum gens, Emdae cumprimis hospita urbs, et pientissimas ex iutimo pectore iis omuibus refero gratias, quorum peuatibus succedere licuit, quique votis suis institutum meum prosequi non gravabantur, — at vero iu patriam redii omni deiecta spe et exspectatione fore ut ex secuuda illa Lasci patria quicquid ad eius vitae operumve accuratiorem notitiam protrahi adducive posset.

Nec multum felicius successit iter quod brevi post Francofurtum ad Moenam suscepi, ut scriuia illic asservata diligentius explorarem. Hospitii iusque fidesque iu illa quoque urbe officiose admodum mihi praestitae sunt a viro cousultissimo simul et doctissimo, inclytae illius urbis senatore, Boehmer, quem nuper e humanis excessisse mecum lugebunt omnes quibus ulla uecessitudo cum insigni viro intercedebat. Et habet quidem permulta ordine digestum et guaviter dispositum huius urbis tabularium, quae faciuut ad peregrinarum Ecclesiarum, illic aliquando institutarum, historiam, et levissima quaedam etiam expromere possuut tabularii praefecti, quae Lasci vitam aliquodammodo illustraut: opuscula vero litterasve ab ipso conscriptas neque in huius urbis museo detegere potui ullas praeter exemplar editum et codicem manuscriptum illius libelli, quem sub titulo *Purgationis* noster Basiliae edidit. Loudiuum me cooferre idcirco nolui, quod Vir Plur. Veuer. Gehle, Belgarum iu illa urbe miuister, valde exteuuaverat spem, uberiorem messem in huius Ecclesiae scriuiis a me, si quando mare traiicerem, colligi posse, praesertim quum triste inceudium omne tabularium nuper pulvere atque favillis mer-

***

sisset. De Polonia, tunc praecipue cruenta saevaque seditione agitata ne cogitari quidem potuit. Silere debent Musae dum armorum strepit omnis stridore campus et in medio bello eiusmodi perquisitioni locus certe nullus datur. Quum igitur in iis locis, quos Lasci vita velut digito monstrabat, frustra omnia lustravissem essemque perscrutatus, alia ratione res mihi tentanda erat et nil restabat, quam coeco marte omnia quaelibet interrogare scrinia, quae sparsim per Europam reperiuntur. Vel sic tamen quaquaversum ipsum advolare, quamvis voluissem, ratio vitae et muneris ambitus probibuissent. Itaque minus lubricam viam mihi aperire conatus sum, epistola encyclica, quam vocant, danda ad praecipuos totius Europae tum bibliothecarios tum archivarios, qua suppliciter honestos viros precatus sum, vellent ipsi in scriniis suis et bibliothecis accuratius circumspicere, quae forte a Lasci manu profecta in thecis suis abscondita iacerent, sive ea edita iam essent, sive inedita. Lubens fateor, plerosque comi urbanitate petitionem accepisse et insigni benevolentia mihi indicasse diligenter, quae in tabulariis suis sive bibliothecis deprehendi potuissent, ultro insuper sua deferentes officia, si forte eorum, quae invenissent, descriptum exemplar mihi administrari cuperem. Et sane haud tam exigua messis fuit quam ex eorum responsis feci. Complures Lasci litterae sunt, plures eius opusculorum tum editiones tum versiones, plura etiam ad Lasci biographiam spectantia opuscula, quorum notitiam eorum duntaxat benignae in me propensioni debeo et gratissimo animo unice acceptam me referre hac mea praefatione lubet.

Hisce igitur munitus indiciis, iis etiam instructus adminiculis, quae Lasci operum syllabi, a variis inter historiographos tentati, passim suppeditant, iis praesertim sedulo relectis, quae in ipsius Lasci epistolis libellorum quos edidit deprehenduntur vestigia, Lasci opusculorum catalogum constituere et edere posse haud immerito sane mihi videbar. Et sane constituendus erat! Veteres enim quae exstabant Lasci opusculorum conspectus, neque absolutos neque fide satis dignos esse, recte iam vidit Bartels [4]), quare paucissimis tantum eorum successum exponam. Eo ipso

---

[4]) P. Bartels, *Ioannes à Lasco.* Elberfeldt 1860. S. 1.

sc. quo fatis concessit Lascus saecnlo, eius scripta recensere iam conatus est MELCHIOR ADAMUS, in exterorum theologorum, quas edidit, vitis [1]), et decem ut primo obtutu videtur eius opnscula enumerat, hoc aut potius nullo ordine sic inter se disposita: 1. *de Sacramentis*, 2. *Epistola de Coena Domini*, 3. *Confessio de nostra cum Christo communione*, 4. *Epistola ad Eccl. Bremensem*, 5. *de incarnatione Christi*, 6. *Epp. III de ordin. Eccl.*, 7. *Ep. ad Sigismund.*, 8. *Purgatio*, 9. *Resp. ad Westphal.*, 10. *Forma ac ratio.* Proprie tamen nonnisi novem scripta efficiunt, qnoniam *Ep. ad Sigism.* praemonitoria est eius opnsculi, quod sub n. 10 recensetur. Exscripsit hunc catalogum a. 1688, i. e. annos centum triginta post Lasci obitnm PAULUS FREHERUS [2]), et qnae Adamus *scripta* tantnm indicaverat, ille suo marte *edita* esse constituit, quod tamen de *Ep. ad Eccl. Brem.* immerito dictum esse constat. Alterum etiam admiscuit errorem, carmen retrogradnm ad *Carolum Ducem Sudermanniae* Lasco tribuens, quod spurium esse infra ostendam. Iam elapsis annis centum post Lasci obitum *Jacobo* placnerat *Verheydenio* lucubratiuncnlae suae [3]) eundem syllabnm, absque tamen carmine illo, quod Freherns adspersit, inserere, quod et obiter fecit WEGIERSKY (a. 1652) qui tamen de indnstria Adami catalogum [4]) compendii cansa detruncavit. Doct. ROLLIUS [5]) quoqne initio secnli sequentis, a. 1709, numerum admodnm minuit et nonnisi quatuor Lasci opuscula sibi nota fuisse ostendit: 1. *de incarnatione Christi*, 2. *de Sacramentis*, 3. *Purgatio*, 4. *Forma ac ratio*, unde simul, enm ex alio qnodam fonte hausisse patet. Qui igitur praecedunt omnes, si unnm Rollinm (cnius testimonium nullius pretii est) excipias, ab Adamo pendent. Primns tnm exstitit, qui uberiorem adspergeret lncem, BERTRAMIUS, qui a. 1733 Lasci vitam data opera perscrntatus, *Historiam criticam* suam pnblici inris fecit. In hoc

[1]) Ed. 3. Francof. 1705. p. 12.

[2]) *Theathrum vir. erud. clar.* Noribergae a. 1688. I. p. 182b.

[3]) *Imagines et Elogia praest. al. Theol.* ed. 1a. 1602. Hagae-Com. p. 89. ed. 2a. 1725. Ib. p. 67.

[4]) (WEGIERSKY) REGENVOLSCIUS, Systema Eccl. Slavonicorum, Tr. a Rh. 1652. p. 412.

[5]) R. H. ROLLII, Bibl. nob. Theol., Rost. et Lpz. 1709. S. 302.

tamen opere nonnisi obiter quaedam in Adami syllabo correxit et meliora promisit potius in posterum quam dedit [1]). Ad aliam itaque indefessi viri lucubratiunculam nobis deveniendum est, ut de Lasci operum collectione certam eius sententiam scitemur: nempe ad historiam quam scripsit Ecclesiae Frisiae Orientalis. Dedit in hoc opere vir doctus spicilegium, quod haud absque iudicio ex HOSPINIANO, LAVATERO, SCHOOCKIO et MEINERSIO messuerat et suis auxit dignis quae legantur observationibus. Mutuaverat ab Hospiniano libellum cui titulus: *Confessio de Coena Domini in qua explicat genuinam sententiam verborum Christi „accipite, comedite"* [2]). Lavateri autoritate certiorem facit lectorem, BULLINGERI de Coena tractatum Londini ab à Lasco editum esse [3]). Ex Martino SCHOOCKIO desumpsit opusculi *de fug. pap. illicitis sacris* titulum [4]), et quamvis haesitanter adversario suo Meinersio credidit, *Seriem colloquii cum Brentio* ad Lascum autorem deferendum esse. De suo denique *Catechismum Londinensis*, ut et *Emdanae Ecclesiae*, Lasci operum syllabo adiecit [5]), sicque ex *novem*, quae Adamus recensuerat, noster quatuordecim Lasci opera effecit [6]).

Qui dehinc suam in Lasci libellis digerendis operam collocaret, BERTRAMIUM excepit DANIELUS GERDESIUS et duobus vix elapsis annis in opere periodico, quod tunc *Miscellaneorum Groninganorum* nomen sortitum erat, fusius quaedam prodromi vice ea de re disputavit et coegit [7]). Primarius autem eius et quasi classicus de Lasci opusculis locus, ubi de industria sententiam suam condidit, reperitur in eius *Florilegii* tertia edi-

---

[1]) I. F. BERTRAM, *Hist. crit. I. à Lasco.* Aurich 1733. S. 29—31.

[2]) ROD. HOSPINIANUS, *Hist. Sacramentaria.* Tiguri 1598. Tom. II. a. 1602. p. 219b.

[3]) LAVATERUS, Hist. Sacram. 1602. p. 110.

[4]) M. SCHOOCK, De bonis Ecclesiasticis. Gron. 1651. p. 527.

[5]) Cf. I. F. BERTRAM, *Erläut. u. Vertheid. Ost-Fries. Kirchengesch.* Aurich 1733. p. 93. Libellus *de fug. pap. ill. sacr.* et *Cat. Emd.* etiam commemorantur in I. I. HARCKENROTH, *Oostfr. Oorspronkel.* Emden 1712. p. 122.

[6]) Scio etiam in FREYTAGII *Anal. crit.*, IÖCHER et ADELUNG, *Gelehrten-Lexicon*, HARBOE, *Zuverl. Nachrichten*, IS. LE LONG, *Kruiskercke*, quaedam de Lasci operibus moneri, quae tamen compendii causa idcirco reticeri possunt, quod partim nullius momenti sunt, et qua parte suum pretium habent infra commemorabuntur.

[7]) *Misc. Gron.* Tom. III. fasc. 1. a. 1740. p. 80.

tione, quae duo decennia post in lucem prodiit [1]). Enumerat in hoc loco vir clarissimus septemdecim Lasci elucubratiunculas, quo numero igitur Bertramii numerum tribus opusculis egreditur. Addidit nempe: 1. *Consensum Tigurinum*, quem Londini edidit a Lasco, 2. *Ep. ad Christiernum* Daniae regem, ex UTENHOVII narratione desumptam, et 3. *Catech. Lond. minor.*, quam tamen iniuria prorsus Lasco suo marte tribuit. Quod denique silentio praeterire nefas esset, Lasci epistolarum collectionem, a doct. GABBEMA, HARCKENROTH et MEINERSIO inchoatam, auxit ille et locupletavit insigniter.

Unus tantum restat dignus, cuius obiter mentionem iniiciam, nempe REERSHEMIUS, qui repetita editione in Memoria sua Ministrorum Eccl. Fris. Orient., Lasci operum syllabum pagellis suis dedit, et quamvis nihil fere novi scituque digni attulerit, hoc tamen nomine bene de Lasci operibus meritus est, quod nullo ordine hucusque coniecta commixtaque disposuit et secundum temporis seriem distribuere conatus est. Obtusae vero hebetudinis et pertenuis iudicii in eo edidit testimonium, quod in postrema libelli sui editione Lasci operum catalogum pro sua quoque portione augere voluit, opusculum ei tribuendo triginta et quod excurrit annos post eius obitum divulgatum, cui titulus „*Mahumetanische genealogie*" [2]).

Pellucide haec omnia quasi ob oculos ponet et nitida fronte omnibus planam huius rei notitiam aperiet sequens tabula, in qua omnia quaelibet Lasci scripta undecunque nobis cognita uno conspectu recensuimus.

A. SPURIA.

1. Melos retrogradum ad Carolum Sudermanniae Ducem.	teste Frehero.
2. Mahumetanische genealogie.	„ Reershemio.
3. Confessio de Coena Domini.	„ Hospiniano.
4. Catechismus minor Londinensis.	„ Gerdesio.

[1]) *Floril. Hist. crit. Libr. rariorum.* Ed. II. Gron. et Bremae 1763. p. 227.

[2]) P. F. REERSHEMIUS, *Ostfriesländ. Predigerdenkmahl.* 1a ed. Aurich 1765. p. 21., 2a ed. Aurich 1796. p. 20.

B. Quae ab aliis conscripta edidit Lascus.

5. Bullingeri tractatus de Coena Domini. Lond. 1551.	prim. citat. a Lavatero.
6. Consensus Tigurinus in re sacramentaria. Lond. 1552.	〃 〃 a Gerdesio.

C. Genuina.

a. *Inedita.*

7. Epistola ad amicum quendam de verbis Coenae Domini. 1544.	nusquam citata.
8. Epitome doctrinae Eccl. Frisiae Orientalis. 1544	passim desiderata.
9. Epistola ad Bremenses ministros. 1549.	prim. cit. ab Adamo.
10. Disputatio cum Bucero. 1553.	nusquam citata.
11. Disputatio cum Gellio Fabro. 1554.	〃 〃
12. Sylva itineris Danici. 1554.	nusquam citata.
13. Scriptum in usum regis Polon. 1557.	nusquam citatum.
14. Acta cum Episcopis Polonicis et quaedam minoris momenti.	
15. Epistolae ad diversos.	

b. *Edita.*

16. de fugiend. pap. illicit. sacris. 1546. belg. ed. 1557.	prim. cit. ab Schoock.
17. de Christi incarnatione adv. Mennonem ed. 1545.	〃 〃 〃 Adamo.
18. Moderatio, s. Ep. continens summam Controv. Coenae. 1545. ed. 1551.	〃 〃 Adamo et Hospin.
19. Confessio Eccl. peregr. Londin. ed. 1551 (latine et belgice),	〃 〃 〃 le Long.
20. Catechismus Emdanus maior. 1546, postea Londinensis, ed. 1551.	〃 〃 〃 Bertram.
21. de Sacramentis. ed. 1552.	〃 〃 〃 Adamo.

22. Brevis fidei exploratio. ed. 1553 (belgice) 1555 (latine).	prim. cit. ab le Long.
23. Confessio de communione cum Christo. 1554.	" " " Adamo.
24. Catechism. Emdanus. 1554.	" " " Harckenroth.
25. Forma ac ratio, quam scribere orsus est 1553, ed. 1555.	" " " Adamo.
26. Ep. III de recta Eccl. instituend. ratione, scrips. 1555, ed. 1556.	" " " Adamo.
27. Purgatio Eccl. Francof. ed. 1556.	" " " Adamo.
28. Responsio adv. Hosium, scrips. et ed. 1559.	nusquam citata.
29. Responsio adv. Westphalum, exiit 1560.	" " " Adamo.
30. Diversa.	
31. Minutila sua attulit in N. T. belgice vertendo, quae versio autore Utenhovio exiit Emdae apud G. Ctematium anno 1556. 16o.	prim. cit. a le Long.
32. Primarius collaborator fuit in Sacr. Script. polonice vertendis, quae versio a. 1563. Bresciniae exiit.	" " " Ringeltauben.

Haec igitur scripta ordine lustrabimur, a spuriis facientes initium.

A. SPURIA.

---

1. Melos retrogradum ad Carolum Sudermanniae ducem [1].

Retrogradum hoc carmen dicitur, quod ad dimidium versum progressum retrogredi videtur et iisdem plane litteris

[1] Legitur apud Freherum, o. l. V. 1. 182b.

sed vice inversa posteriorem quoque versus partem absolvit, cuius rei carminis initinm praebeat exemplum:

1· 2· 3· 4· 5· 6· 7· 8· 9· 10· 11· 12· 13· 14· 15· 16· 17· | | 17· 16· 15· 14· 13· 12· 11· 10· 9· 8· 7· 6· 5· 4· 3· 2· 1·
a s p i c e n a m r a r o m i t t | i | *t t i m o r a r m a n e c i p s a*

1· 2· 3· 4· 5· 6· 7· 8· 9· 10· 11· 12· 13· 14· 15· | 15· 14· 13· 12· 11· 10· 9· 8· 7· 6· 5· 4· 3· 2· 1·
s i s e m e n t e r e g e t n | o*n t e g e r e t n e m e s i s.*

Poeta saevam Ducis in se concitatam iram sedare et compescere studet, simulque eum invitat ut, classibus instructus, Gothica terra profectus Lithuaniae littora invadat. Perquam artificiosa totius carminis compositio eius intelligentiam mirum in modum obscurat et impedit, quare haec in universo de eius argumento monuisse sufficiat. Cur tamen ab à Lasco melos illud abiudicandum idque spurium habendum esse censuerim, has mihi video instissimas habere rationes:

1. nullum Freherus profert testem et nonnisi rnmori credidit.

2. Fatis functis est noster a. 1660 (13 Ian.); Carolus autem, Sudermanniae dux, natns est decem annos antea, a. 1550 (8 Oct.). Tale carmen autem a puero nono aetatis anno neque legi potuit, neque igitur dari ad ipsum in causa praesertim privata.

3. Inscribitnr *ad Ducem Sudermanniae*, quem titulum Carolus nonnisi post obitum Gustavi I, d. 29 Sept. 1560, i. e. octo menses, postquam Lascus e vivis excesserat, iure testamenti adeptus est [1]).

Si quis nndenam irrepserit ridiculus error, me roget, in promptu esse videtur coniectura, quod nominis similitudo nostri cum Ivane Lasicky (Ioannes Lasitius vnlgo dictus) Frehero imposuerit. Lasitius, qui a. 1534 natus omne illud saeculum egressus est, facillime Caroli iram in se concitare potuit, quum ipse Bohemicorum fratrum indefessus propugnator maligne satis Calvinismi sub Carolo in Polonia successui invideret [2]).

[1]) Cf. Hübner, Geneal. Tabelle., ed. belg. I. tab. 82. Schlosser, Weltgesch. ed. belg. XIII. p. 271.

[2]) Cf. *Lasitii vitam* in Herzog, *Real-Encyclop.* Ergänzungen. 109e Heft. 770.

2. Mahumetanische genealogie [1]).

Brevior etiam in hoc libello e Lasci operum syllabo expungendo esse possnm, quum absque omni coniectura, unde fluxerit in devias Reershemii animus facillimo negotio luce clarius appareat. Iniuria illum ad Lasenm autorem relatum esse ceteroquin abunde iam docet germanica lingua, qua conscriptus est, et qua Lascus scripsit numquam; evincit porro locus et annus, quibus editus est: nempe *Berolini* 1596, i. e. annos triginta quattnor post Lascum intermortuum; docet deniqne et totius libelli argnmentum, quod a Lasci studiis et occupationibus longissime abhorret. Qnod tamen rem omni fere parte iam debilitatam conficit plane: in magna congerie divenditorum librorum catalogorum, quibus scatebat Bibliotheca Cl. Tydemanni, quae his ipsis diebns snb hasta venit, corrosum pulvereque denigratum prorsus opusculum erat, incerti quondam possessoris bibliothecam exhibens. Forte fortuna iu illum libellulum incidi et quod diu frustra quaesieram opusculum, necopinato sponte se mihi obtulit, namque sub n°. 576 hic legebatur titulus: Lasczy (Iwan) *Mahumetanische genealogie*. Berolini 1596.

Sic detecta fraus!

3. Confessio de coena domini [2]).

Anno 1602 ab Hospiniano inter Lasci libellos relatum est hoc opusculum, de quo sic auctor in sua *Historia sacramentaria:* „Hoc anno (i. e. 1552) Ioannes a Lasco, Baro Polo„niae et superintendens Peregrinorum Ecclesiae, Londini edi„dit *Confessionem de Coena Domini, in qua explicat genuinam „sententiam verborum Christi:* accipite comedite, hoc est „corpus meum." Quodsi proprium locum iis seorsim scriptis designare potuissem, in quibus anceps haeream, Lasco ne tribuenda sint nec ne, huius generis libellis handdubie hanc qnoque confessinnculam adnnmerassem. Nunc spuriam ha-

[1]) Cit. Reershemius, o. l. ed. 2. p. 21.
[2]) Hospinian. o. l. II. 219b.

Est tamen haec quaestio lubrica admodum atque incerta, et quamvis nullum sit tam stabile fixumque et probabile argumentum, ut genuinam hanc confessionem vindicet, manca tamen utique et dubia manebit ratiocinatio, cuius in silentio unice residet vis; nec meus desiderabitur applausus, si quando subita ipsius confessiunculae apparitio uno flatu meam omnem dispergat suspicionem.

4. Catechismus Micronii.

In errorem inducere facile potuit praemonitoria huius Catechismi epistola, Lasci nomine signata, qua totidem verbis dicit: „Minori hoc Catechismo hoc non *agimus*, ut e mani„bus vestris maiorem illum deponatis." [1]) Haec autem minime auctorem spectare verba, sed autoritatem duntaxat qua in Ecclesiae usum sancitus sit Catechismus, esseque igitur unice Micronio illum tribuendum, satis superque iam titulus evincit: *De cleyne Catechismus oft kinderleere, der Duytsche Ghemeynte, die te Londen is,* GHEMAECT (conscriptus) *doer Maertē Microen* [2]).

B. QUAE AB ALIIS CONSCRIPTA EDIDIT LASCUS.

5. Bullingeri tractatus de coena (ed. 1551).

Ut refutaret Lutheri acriter in Helvetias Ecclesias a. 1544 sparsas calumnias, Bullingerus hunc de Coena tractatum scripto condiderat (m. Febr. 1546 finitum); presserat tamen ét quod Lutherus e vivis excessisset ét quod aliorum interrogare, priusquam ederetur, vellet de eo iudicium. Hoc fine opusculum suum Lasco etiam miserat, ad quem a. 1548 tandem pervenit. Triennium post legendum eum exhibuerat à Lasco Cranmero Archiepiscopo, cui quum egregie placeret, eius divulgandi

[1]) Lasci *Opera*. II. p. 671.

[2]) Sic titulus legitur in vetustissima editione, cuius asservat exemplar Bibl. Teleiobapt. Amstelod. Theol. VI. c. 336. In lucem prodiit 8 Octobris 1552, ut in fine adscribitur. Repetitae editiones a. 1555 et 1558 curâ Gellii Ctematii, Emdani typographi, typis mandatae sunt.

cepit consilium noster, de qua re ipse his verbis ad Bullingerum scribit in ep. d. x April. 1551 data: „Libellus tuus de sacramentis ante triennium ad me missus iam tandem sub prelo „est. Ubi ad me cum reliqua Bibliothecae meae parte esset „advectus, exhibui illum D. Cantuariensi. Is vero ubi audisset, nondum esse editum, voluit ut ederetur. Dicabo illum „sorori regiae ... misissem tibi aliquot exemplaria, si absolutus fuisset, sed hac hebdomade futura absolvetur." [1]) Eodem illo mense Aprili revera curis Lasci exiit a. (1551) sub hoc titulo: *Absoluta de Christi Domini et catholicae eius Ecclesiae sacramentis, tractatio, autore Henrico Bullengero ... 1 Cor. 10. Non potestis mensae Domini participes esse et mensae Demoniorum. Londini excudebat Stephanus Myerdmannus an.* 1551 *mens. April. cum privilegio ad imprimendum solum.* Dedicata erat Elisabethae, regis sorori, et adiunctam sibi habebat Lasci de eodem argumento epistolam, de qua infra dicetur sub n. 18. Extremae raritatis et pretiosissimum opusculum est in forma, quae dicitur 16°, centum viginti tribus foliis constans [2]). Huius Londinensis editionis plane ignarus eodem fere tempore Bullingerus ipse suo marte eum typis mandare curaverat Tiguri, et sub titulo „*tractatio de doctrina Eucharistiae*" decadum suarum eum inseruerat quintae [3]), adeo ut duae simul editiones huius opusculi altera Londini, altera Tiguri, prodirent. Suam editionem Lascus ad Bullingerum miserat, bonis gratiis in ea re usus Domini à Breda, de qua re sic ad eum scribit in ep. d. vii Iuni. 1551 Londino data: „Deinde et libellum ad te „tuum de sacramentis, quem ante triennium ad me miseras, „et nunc demum quintae decadi tuae inseruisti, per manus „Domini à Breda, fratris Domini Falesii, ad te misi, hic me „autore, sed valde incorrecte excusum. Non putarem enim

---

[1]) Lasci *Opera*. T. II. p. 448.

[2]) Nonnisi per exemplarium mihi innotuit: Alterum in Bibl. Dublinensi, alterum in privata bibliotheca vir. plur. vener. Guilielmi Goode, teste Gorham, *Gleaning of a few scattered ears during the period of the reformation in England*. London. Belt and Daldy. 1857. p. 246.

[3]) Complet huius Decadis *Sermones* 6—9 et in Bullingeri *Operum* editione, quam *Parkerii Societas* divulgavit, legitur Vol. IV. p. 226—478. Cf. Gorham, o. l. p. p. 246 et 9.

„ te istic illum editurum esse, cum tanto tempore apud me „ praeter meam interim voluntatem dilituerat. Adieci illi unam „ e meis epistolis, eadem de re ante sex annos scriptam *ut doc-„ trinae consensum attestarem*, neque dubito tibi haec omnia „ reddita esse." [1]) Luce clarius ex his et quae supra citavimus Lasci verbis patet, eum Bullingeri opusculum non idcirco edidisse, ut Bullingeri satisfaceret desiderio, sed autorem ei fuisse Cranmerum ut hocce divulgando libello sacrorum in Anglia restaurationi prodesset, simulque eum hac via atque ratione publice suum cum Tigurinis Theologis doctrinae consensum attestari voluisse.

6. Cons. tigurinus in re sacram. (ed. 1552).

Pedisequus Helvetiorum Theologorum in Bullengeri tractatione edenda, agmen contra ducit à Lasco in suo, quod a. 1552 Londini edidit de Sacramentis, opusculo. Quum enim Bullingeri libello nonnisi aliquot de suo pagellas addiderat, sua vice opusculo, quod *de sacramentis* titulum habet, septem duntaxat pagellarum libellulum, qui Helvetios auctores agnoscit, in fine adspersit. In epistola qua Regi Angliae hanc lucubratiunculam dedicavit, ipse his verbis suum in ea re consilium expedit: „ Addidimus igitur et nos, auctarii vice, no-„ stram tractatiunculam ut nos eam ipsam illorum consensio-„ nem probare adeoque et sequi testaremur et *Consensionem* „ ipsam nostrae etiam tractationi adiunximus, ut inter se fa-„ cilius conferri possent." [2]) Itaque in lucem hanc consensionem a. 1552 Londini edidit sub hoc titulo: *Consensio mutua in re sacramentaria Ministrorum Tigurinae Ecclesiae et D. Ioh. Calvini, ministri Genevensis Ecclesiae, iam nunc ab ipsis auctoribus edita* [3]), eo fine atque consilio ut in loquendi formulis dispar quodammodo, in re tamen concors utique sua cum

---

[1]) Lasci *Opera*. T. II. p. 653.

[2]) Lasci *Opera*. I. p. 108.

[3]) Consensui Tigurino a. 1549 iam ab utraque parte subscriptum erat. Cf. Niemeyer, Conf. Eccl. Ref. praef. xii; ipsa conf. ib. p. 191 sq. Henry, *Leben Calvins*. II. 469. Dyer, *Life of Iohn Calvin*. p. 248. Stähelin, *Iohannes Calvin*. II. p. 112—124. Gieseler, *Kirchengesch*. III. II. p. 174.

Helveticis Theologis in Sacramentario argumento consensio omnibus velut in oculos incurreret.

C. GENUINA.

a. Inedita.

7. Epist. ad amicum de verbis coenae (a. 1544 script.). (Lasci *Opera*. Vol. I. 557—572.)

Iam Harckenroth in Bibl. sua Bremensi, huiusque ingressus vestigia Gerdesius in Scrinio suo litteratis viris haec Lasci ad Pellicanum verba legenda exhibuerat: „Scripsi nuper Epistolam *ad amicum quendam doctum de verbis Coenae*, in qua summam doctrinae meae sum complexus. Hanc is impugnare conabatur *ex Patrum et Conciliorum autoritate*, ego vero illam utcunque defendi. Huius igitur exemplum ad te mitto in testimonium amoris erga te mei." Tribus nominibus hoc scriptum aegre desiderandum et quod legeretur dignum esse videbatur. Erat nimirum, ut ex verbis citatis patet, Epistola privatim quidem data, sed quae tamen universalis potius esset habenda et publico velut destinata usui. Sin minus, vetuisset amicitiae ius, quae ad unum scripta essent cum pluribus communicare, et *Ep. de Coena*, quam scriptorum Lasci ordine n. 18 posuimus, egregie praeterea docebit, a Lasci quoque moribus hoc neutiquam abhorruisse, ut sub Epistolae forma publici iuris suam faceret sententiam. Auget huius scripti pondus ac momentum temporis, quo concinnatum est indicium, quod ex Epistola ad Pellicanum data haud ambigue colligitur. Est nempe haec ad Pellicanum epistola data d. 31 August. 1544, et de epistola ad amicum, cuius mittit exemplar, talibus loquitur verbis, ut nuperrime eam compositam fuisse, luculentissime appareat. Quum igitur e priore Lasci vitae spatio tam parum vel potius nihilum fere nobis cognitum esset, summi pretii documentum, si quando inveniretur, haec *ad amicum quendam Epistola* habenda esset, quippe quae Lasci tunc temporis de Coena sententiam apte et dilucide nobis aperiret. Quod denique praetermittere nolo: ut ex titulo pa-

tet, veterum patrum et Conciliorum autoritate sententiam suam hac epistola a Lasco superstruere conatus erat. Hoc igitur quoque nomine huius epistolae iactura dolenda erat, quod prae reliquis eius scriptis candide nobis edocuisset, quo pacto noster cum veteri Catholica Ecclesia in concordiam sua redigere studuerit. Et tamen dudum iam conclamata erat, utpote quae nusquam locorum ullum praesentiae suae vestigium impressisse videretur! Faustius tamen fortuna nobis consuluerat, quam ipsi praesenseramus, et aegre desideratam illam epistolam lectoribus ad calcem usque excusam offerre me posse, editionis nostrae haud infimum decus est atque ornamentum. Titulus ei est: *Epistola ad amicum quendam doctum scripta dum aegrotarem de verbis Coenae Domini, ut vocant, qui nostram de Coena doctrinam ex Patrum et Conciliorum autoritate impugnare, amice tamen conabatur.* Debemus eam insigni liberalitate doctissimi Meckelburgii, qui eam, *Epitomae doctrinae Eccl. Phris. Orient.* (n. 8) annexam, in tabulario regio, quod Regiomontii est, se deprehendisse ultro sponteque me fecit certiorem. Exemplar erat nitide et accurate satis exscriptum, quod una cum Epitoma sua istuc miserat ipse à Lasco et priusquam mitteretur sua emendaverat manu. Hoc mihi in causa fuit, cur a se invicem distrahere religio habuerim, quae data opera coniunxerat ipse autor, et quo in scriptis sequerentur ordine, eodem quoque tenore post alterum alterum in editione mea ea posuerim.

8. Epitome doctrinae ecclesiae Phrisiae orientalis.
(a. 1544 script.)
(Lasci *Opera*, Vol. I. p, 481—557.)

Medio a. 1543 auctoris partes primum latiore sensu suscepit noster et suae doctrinae compendium scripto mandare orsus est. Late sparsus huius elucubrationis rumor magnam sui ob Lasci nominis famam apud doctos viros mox dederat exspectationem, et iam ad d. 2 Mart. a. 1544 Christianus Entfelderius Regiomontio ad eum scribebat: „Ut vero ad te „nunc recurrat oratio, hoc unicum abste impetrare me sinas „quaeso, ut novam illam ex veteri et apostolica institutione „sumptam, Ecclesiae tibi commissae, ordinationem ad me mit-

„tere digneris, neque huiusmodi pium laborem nobis invideas. „Quam et ea lege ad me recipere paratus sum, ut nulli nisi „id iusseris, communicetur." [1]) Totius epistolae contextus abunde nos docet, quorsum haec postrema verba spectent et quonam id scriptum consilio ab à Lasco peteret Entfelderius. Videlicet Emdae adversariorum pertaesus cavillationum à Lasco alio spectare coeperat, velaque ibidem complicare et saepius oblatae sibi in Prussiam vocationi, si etiamnunc promissis staret huius ditionis Dux, tandem tandem obtemperare volvebat animo. Scripserat itaque ea de re ad Entfelderium, veterem amicum suum, ut ille occasione oblata sua Duci Prussiae commendaret officia et Ducis erga se animum penitius exploraret. Fecit hoc Entfelderius et gratissime mox in hunc modum nostro respondit: „De principe nostro clementissimo „id tibi persuadeas velim, quod de tui studiosissimo et fideli „patrono, qui numquam non honorificem tui mentionem eti„am apud tuos faciat et quid praeterea possit lubens prae„stet." [2]) Quibus quum statim subiungat, quae supra eius verba citavimus, palam est atque in promptu, eum hoc consilio Lasci opusculum sibi expetivisse, ut eius doctrinae genus accuratius sibi haberet perspectum, simul tamen pollicitus, se absque ipsius Lasci autoritate Prussiae Duci libellum non esse exhibiturum. Ut fit tamen in re fama tantummodo perlata, argumentum libri male definiverat Entfelderius, caeremoniarum syllabum eum concinnavisse opinatus. Quare Lascus libellum suum mittens obiter hunc Entfelderii errorem perstringit, his enim in epistola sua alloquens verbis: „Nos hic ceremoniarum „externarum nullas certas leges praescribimus, sed libertatem „permittimus ecclesiis illas variandi, ut constet libertati sua „ratio, ita tamen ut harmonia quaedam illarum varia sane, „sed minime dissona interim retineatur. In doctrinae con„sensu retinendo magis solliciti sumus, ad quem et sectarios „quantum in nobis est reducere modis omnibus conamur. „Huius *epitomen* tibi quemadmodum petiisti mitto, sed hac „lege, ut apud te maneat; neque enim in hoc scripta est ut

[1]) Cf. GABBEMA, *Epistolae Clar. vir.* 1663. p. 53.
[2]) Ib. p. 52.

„ invulgetur." [1]) Mox tamen ipsius ducis nomine libellus ille a Duce Prussiae postulabatur, meliusque igitur et ordine digestus, utque invulgaretur accomodatior, brevi post bonis Egidii cuiusdam gratiis denuo Regiomontium missus est. Scribit hac de re in epistola d. 26 Iulii 1544 data ad Hardenbergium à Lasco in hunc fere modum: „ Vocor, mi Alberte ... a Prussiae „ duce, ... volebat ut illi mitterem *doctrinae verae Epitomen*. „ Misi per Egidium uxoris meae fratrem, qui ad nos pridem „ commigravit." [2]) Et similiter quinto die post (31 Aug.) ad Bullingerum: „ Transmisi etiam ad illum *doctrinae meae summam*, potissimum de sacramentis, ne quid illum celarem." [3]) Simulatque Lasci hanc doctrinae summam acceperat Albertus Dux, suorum Theologorum de ea iudicium aegre sollicitavit. Rapangelani responsum duodecim foliis constans etiamnum superest [4]). Maioris tamen momenti videtur Melanchthonis iudicium, quod raptim iam in Ep. ad Ducem d. 11 Ianuar. 1545 data de Lasci libello his verbis tulit: „ E. F. Gn. Schrift „ und das mitgesannt Buch Herr Iohann Lasci hab ich empfangen und das Buch eilend durchgesehen und bitte E. F. „ Gn. Sie wollen Fried und Einigkeit der Kirchen in ihren „ Lande erhalten. Es sind böse Opiniones von dem Tauffe in „ des Lasci Schrift, davon ich doch zuvor ihn verwarnet [5]). „ So ists in keinem Weg zu rathen, dass man die Wiedertäuffer annehme .... Davon und von anderen Artikelen will „ ich im Kurz E. F. Gn. länger schreiben." [6]) Promissis stetit et quid sibi de Lasci *Epitome* videretur de industria expendit et cum Duce communicavit in Ep. d. 15 Iulii 1545

[1]) Cf. Lasci *Opera*, Vol. II. p. 765. Hanc, cuius nonnisi fragmentum superest, epistolam ad Entfelderium datam esse, in ipsa huius fragmenti editione nondum pro certo affirmare volui. Collatio huius fragmenti cum Entfelderii ad Lascum epistola nunc vero omnia prorsus nobis dubia dispulit, et tempus simul, quo datum est hoc fragmentum, definiri potest ad mens. April.—Iunium a. 1544. Error est, quod Vol. II. p. 765 scripsi: „ referenda est ad a. 1545."

[2]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 575.

[3]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 582.

[4]) In Arch. Secr. Regiom., unde huius iudicii exemplar exscriptum procuravit mihi vir. doct. Meckelburg.

[5]) *Ep.* Melanchthonis (ed. Bretschneider, *Corp. Reform.*) Tom. V. p. 574.

[6]) Ibidem. Tom. V. p. 790.

data, in qua complusculis detectis erroribus sic pergit: „*haec* „manifesta errata ideo annotavi, ut clare intelligi possit pro„hibendam esse editionem huius libri." [1]).

Dum haec in Prussia gerebantur, ultro noster Tigurinorum Theologorum de libello suo, priusquam iuvulgaretur, expetiverat amicam censuram. „Habeo enim quaedam" iam m. Mart. 1544 ad Bullingerum scripserat, „in quibus mihi qui„dem ipse satisfacio, quod ad meam conscientiam attinet, sed „non scio, an aliis perinde sim satisfacturus etiam, si ea in„vulgarem, ... versantur circa *lapsi ac restituti rursum homi„nis* considerationem." [2]) Mense Iunio nil eiusmodi adhuc Bullingerus acceperat, quare data epistola ad Lascum hoc mense scribit: „Nec ingratum esset, si tua, quae de lapsu „et restituti hominis [consideratione] conscripsisti, videre pos„sem. Non quod in tua virgulam mihi censoriam sumere ve„lim, sed quod tuis erudire cupiam." [3]) Mense demum Augusto libelli sui exemplar Argentoratum misit ad Hardenbergium noster, ut istinc Tigurum expediretur. „Mitto ad te," sic ultima die Augusti ad Hardenb. scribit, „*doctrinae meae* „*epitomen*, ut a Bucero et aliis istic excutiatur. Ubi eam Bu„cerus legerit, tum vellem, ut ad Bullingerum quoque trans„mitteretur per Gerardum nostrum." [4]) Eodemque die Pellicani quoque his verbis sententiam rogavit: „Videbis brevi „nostra quaedam apud Bullingerum, quae Doctor Albertus „ad illum est transmissurus. Horum te quoque aristarchum „esse volo." [5]) Ad Bullingerum denique eodem prorsus die data epistola: „*Epitomen doctrinae meae* hic ad Doctorem Al„bertum nostrum Argentinam transmisi, ut eam Bucerus vi„deret. Hanc ad te transmissurus est etiam Albertus, ubi il„lam Bucerus legerit. Ego quicquid huius est, pro pastoribus

---

[1]) Respiciunt haec quae anno 1543 epistolis dandis inter se disputaverant Melanchthon et a Lasco. Cf. LASCI *Opera*, Vol. II. p. 563. Melanchthonis Ep., Coloniae data, periit. Cf. BRETSCHNEIDER (*Corp. Ref.*) *Ep.* MEL. Tom. V. p. 231.

[2]) LASCI *Opera*, Vol. II. p. 569.

[3]) GABBEMA, *Ep. clar. vir.* p. 100. Vocabulum, quod uncis inclusi, apud Gabbema exciderat.

[4]) LASCI *Opera*, Vol II. p. 582.

[5]) Ibidem. p. 583.

„hic nostris collegi, nondum tamen exemplum cuiquam dedi [1], „neque dare statui, nisi audito Doctorum iudicio [2], ... in„vulgari illam nolim, priusquam Doctorum sententias Eccle„siarumque de illa audiam, ... quare te rogo, ut quid hic „sentias cum symmystis tuis mihi significare velis." [3] Quid Tigurini censuerint, ostendit nobis Bibliandri m. Martis a. 1546 ad Lascum data epistola, ubi legimus: „In quibus etsi non „dubito te, virum exercitatissimum in divinis scriptoribus, ... „orthodoxe sentire, fateor tamen ingenue, me nondum, etiam „perlecto tuo novissimo scripto, videre sententiam quam as„sensu firmo amplecti, profiteri defendereque possim, ceu di„serte verbo Dei traditam." [4]

Quis mirabitur, tam flexilis parumque obstinati ingenii hominem, qualis à Lasco fuit, diem de die distulisse Epitomae suae invulgationem moxque respuisse prorsus et pressisse omnino libellum, cui tam acriter heterodoxiae notam inussisset Melanchthon et suavi lenique reprehensione gravius etiam detrimentem attulissent amici. Numquam igitur foras exiit opusculum, quod reliquis eius libellis dilucidius tamen et plus quam dici potest aperte ac luculenter Lasci mentis, quam in Theologicis tenuerit, directionem posuisset nobis ob oculos. Ne inter ipsos quidem Phrisiae Orientalis pastores, quibus destinatum erat, unquam scripto divulgatus fuit, et perquam veri simile est praeter tria illa quae commemoravimus exemplaria nullum huius opusculi usquam locorum exstitisse codicem: primum dico, quem ad Entfelderium, alterum quem Prussiae Duci, tertium denique quem Argentoratum et Tigurum misit. Quantum scio, postremus ille codex penitus excidit et nullum utcunque sui reliquit vestigium. Duo priores vero, quamquam per tria saecula tabularii tenebris offusi delituerant dudumque iam erant

---

[1]) Ne moleste feras, quod dicit, nemini adhuc se dedisse libelli exemplar. Miserat sane exemplar Regiomontium duplum, ad Entfelderium alterum, alterum ad Albertum Ducem. Neque vel sic tamen mentiri ipsum, omnis horum verborum abunde evincit contextus. Quod enim scribit „nondum exemplar dedi cuiquam" merito nonnisi ad pastores Eccl. Phrisiae Orientalis referri potest.

[2]) Lasci *Opera*, Vol. II. 586.

[3]) Ibidem. p. 587.

[4]) Gabbema, *Ep. clar. vir.* p. 59.

a litteratis viris conclamati [1]), inopine nostris diebus subitoque apparuerunt, ét Epitomen doctrinae, ét Epistolam, de qua supra egimus, exoptatissime nobis prodentes. Qua via a me evocatus quibus tandem flexibus ad me pervenerit huius *Epitomae* codex, initio praefationis iam expendimus, quare nil restat nisi ut codicis, quem repraesentat editio mea, formam accurate describamus et germanum eius tueamur originem.

Utrumque codicem asservat tabularium secretum regium, quod Regiomontis est, quorum nonnisi alter idemque pretiosissimus in patriam mihi missus est [2]). Codex chartaceus est, membraneo implicatus involucro. Constat autem foliis quinquaginta quinque. Etenim folio hoc numero insignito explicit liber *Epitomae*, quem eadem manu descriptus subsequitur *Epistolae de verbis coenae* liber, decem foliis absolutus, et in fine denique totius codicis Melanchthonis, Dortschelii et Rapangelani de libro Lasci iudicia exhibentur. Scriptus est eleganter ac nitida litterarum forma, tam arcte vero et compresse litterarum elementa sibi compacta sunt et fere se invicem submovent loco, totque insuper quovis loco liber compendiis vocum intricatus est, ut 55 foliis absolvat hic, quod alter codex descriptus nonnisi 189 foliis absque compendiis dare potuit.

Inscriptio codicis Lasci nomine caret et quemadmodum Vol. I p. 483 nostrae editionis excusus est titulus, sic quoque in libro scripto legitur: *Epitome Doctrinae Ecclesiarum Phrisiae Orientalis*, absque ullo quopiam autoris indicio. Neque idcirco tamen de vera huius libri origine ulla in animum induci posse dubia, facit totius libelli contextus, utpote qui accuratissime tum sensu tum verbis concinat cum huius libelli vestigiis, quae nobis ipse à Lasco in epistolis suis asservavit. Quid Epitome sua contineat, egregie nobis et ample satis expedit in Ep. ad Bullingerum data d. 31 Aug. 1544 [3]), quibus ad hilum respondent ea, quae in codice leguntur. Concordant et codicis et libelli tituli. Quae ad Pellicanum scribit, disseri in eo opus-

[1]) Cf. Seisen, *Gesch. der Reformation zu Heidelberg*. Heidelb. 1846. p. 129.

[2]) De altero codice tantum observo, compendia vocum in eo ut plurimum expedita esse totumque codicis ambitum ad 189 folia prope accedere.

[3]) Lasci *Opera*, Vol. II. 586, 7.

culo de lapso iterumque restituto homine: quae ad Hardenb., exhiberi in eo doctrinae suae summam, potissimum autem de argumento sacramentario: quae Melanchthon de heterodoxis circum baptismum reprehendit opinionibus, omnia aptissime in codicem illum quadrant. Accedit, quod eodem volumine aliorum de Lasci libro perplurima iudicia compacta sunt, et duas praeterea Lasci epistolas idem codex exhibet. Quin imo ipsius Lasci curis Emdae hunc codicem conscriptum eiusdemque ipsius manu revisum esse atque emendatum, crebrae ostendunt in margine correctiunculae; monstrat quoque membraneum codicis involucrum, cuius plicae etiamnum itineris vestigia produnt; evincit denique in verso huius involucri etiamnunc legibilis annotatio, quae idiomate Phrisiae Orientalis incolarum sumptus nescio quos ex moneta, quae tunc in ditione illa obtinebat, nempe per „*schaepen*" et „*witten*" computat. Conspectus libelli, quem in opusculi introitu apposuimus, ut et paragraphorum numeri in codice desiderabantur. Nos ea addidimus diluciditatis causa, cui in eo cumprimis Lasci libello prospicere voluimus, cuius repraesentationem in summae totius editionis nostrae felicitatis parte ponimus.

9. Epistola ad ministros Bremenses (a. 1548, 9 data).

Emda a. 1549 Londinum profecturus directionem itineris cepit à Lasco per plagas septentrionales orientem versus, ut simul Bremam et Hamburgam viseret indeque fausto oblato vento in Angliam solveret. Sive paullulum antea scriptis [1]), sive dum Bremae ipse commorabatur, de re sacramentaria eum inter et Bremenses pastores incidit amica disceptatio, quae tamen Bremenses pastores nonnihil exasperaverat. Ne itaque longius haec serperet suspicio, unde facile dissensionis scintilla exardesceret, placidiore colloquio doctrinam suam approbare iis cupivit noster, in cuius rei gratiam autore Hardenbergio epistolam ad omnes simul Bremensis Ecclesiae ministros

[1]) Quod probare videntur haec eius verba: „*et epistola praeterea ad Bremenses Ministros a me paulo post scripta*, i. e. post a. 1546. Errat tamen, qui talia ubique ad vivum resecat.

dedit. Commemorat hanc epistolam ipse in praefatione *Confessiunculae* suae *de nostra cum Christi communione* his verbis. „Haec ipsa igitur doctrinae nostrae a me hic relicta modera„tio et *epistola* praeterea *ad Bremenses Ministros* a me paulo „post unanimi interim collegarum hic meorum consensu scripta, „facile ostendent, me in eadem sententia perstare [1]). Confirmatur hoc iis quae a. 1554 ad Hardenbergium, qui tunc Bremae erat, scribit: „Neque vero ego mutavi quid in doc„trina mea ab eo, quod vel nostris hic Ecclesiis ante meum „hinc abitum in scripto meo traditum reliqueram, *vel ad ver„tros istic ministros te autore scripseram.*" [2]) Eodem denique tendunt, quae in praefatione eius leguntur libelli, cui *Forma ac ratio* titulus: „Iam dudum sane ab illis hoc in omni cha„ritate ac modestia Christiana petimus, atque adeo ab eo ipso „fartore (Martiniani Eccl. pastore, nomine Timanno) peculiariter „collegisque ipsius omnibus, *data ad omnes simul illos ea po„tissimum de re nostra epistola.*" Hoc igitur certo certius constat: a. 1549 ab à Lasco epistolam hac de re ad Brem. Eccl. ministros datam esse, quae tamen nnmquam sive scripto divulgata, sive typis excusa sit.

Ut huius Epistolae mihi exemplar procurarem, officiose adii, qui nunc apud Martinianam Ecclesiam Bremae Timanni sedem occupat, virum doctissimum TRAVIRANUM, quum certe opinarer in huius Ecclesiae scriniis Lasci epistolam etiamnum fore superstitem. Insigni, qua est humanitate, reverendus ille primarius illius Ecclesiae pastor, causae meae, quasi sua esset, patrocinatus, commendavit eam doctissimo KOHLMAN, qui, Hornae prope Bremam sacrorum antistes, speciosa pollet Bremensis Ecclesiae historiae notitia, et quae sint in illa urbe Ecclesiastica scrinia diu multumque rimatus est in suorum studiorum gratiam. Ille autem per Doctorem Traviranum comiter admodum et, quae fraternum animum egregie subolfaciebat, epistola indubitate mihi respondit „dass er keine Spur des „verlangten Briefes finde." [4]) Una supererat spes. Quod

[1]) LASCI *Opera*, Vol. I. p. 237.
[2]) Ibidem. Vol. II. p. 699.
[3]) Ibidem. Vol. II. p. 20.
[4]) Ep. ad me data, 4 Aug. 1863.

ecclesiasticum scrinium amiserat, in vicinum ipsius urbis tabularium commigrare potuerat. Itaque huius quoque praefectum compellavi mihique uno duntaxat verbo respondere ne uti gravaretur, enixe precatus sum; quod ille, vir doct. Elard. Meyer, minime dectrectatus epistola manu viri Consult. EHMKE ad me data officiosissime fecit, infausto perquititionis suae successu his mihi indicato verbis: „Auf unseren Stadtarchive habe ich bis „jetzt nichts auf Joh. à Lasco Bezügliches finden können." [1]) Periisse itaque haec Lasci tractatiuncula videtur, quae, quantum video, nisi Bremae eruatur, nullibi reperietur usquam.

10. ACTA DISPUTATIONIS CUM BUCERO.

a. *de re vestiaria* (scr. a. 1551).

Cum Bucero de vestibus clericorum disputavit noster scriptis, cuius disputationis summam sub hoc titulo concinnavit Cranmer, Archiepiscopus: *Summa controversiae de re vestiaria inter Bucerum et Lascum.* Ipsa disputationis acta nondum detegere potui, quorum loco schema in margine expromam, [2]) quod Cranmerus ex iis excerpsit [3]).

---

[1]) Ep. ad me data, 29 Octobr. 1863.

[2]) Descripsimus haec ex STRYPE, *Life of Abp. Parker*, I. 341—3. Cf. STRYPE, *Annals of the Reformation*, I. p. 2a. 175 et II. p. 2a. 221.. Cf. quae de hoc argumento ad Cranmerum scribit noster, LASCI *Opera*, Vol. II. p. 655, ubi eius ad Archiepiscopum *postulatio* passim commemoratur.

[3]) A. *Conveniunt Bucerus et a Lasco.*

Uterque queritur de usu vestis albae atque cappae.

Uterque cupit has vestes sublatas.

Uterque dicit, neminem posse Christianum eoque nec ullam Ecclesiam quicquam bona usurpare conscientia, de quo non constet ei et ex verbo Dei ipsaque rerum experientia certo facere illud, vel aliquo modo ad gloriam Christi illustrandam et nullo modo ad obscurandam eam.

Uterque dicit, vestes has esse ex parte similes Aharonicis, easdem vero materia et forma cum papisticis usurparique a Papistis summa impietate, sicut abutuntur reliquis rebus omnibus.

Uterque dicit, semel et una cuncta Antichristi esse tollenda.

B. *Non conveniunt Bucerus et a Lasco.*

1. BUCERUS vult has vestes sublatas.

Propter praesentem abusum in Ecclesiis Anglicis metuendum.

Propter pleniorem professionem libertatis Christi.

Propter pleniorem declarationem detestationis Antichristianismi.

Propter tollendas inter fratres dissensiones.

b. *de re sacramentaria* (a. 1551).

Brevi ante mortem in concordiam redigere varias eorum, qui

---

2. A Lasco vult has vestes sublatas.

Quia usus harum non possit ab ulla Ecclesia pie adhiberi, quod is usus habeat significationem aliquam sacerdotii Aaronici, vel Antichristianismi.

Quod is usus habeat commendationem utriusque sacerdotii.

Quod hinc obscuratur aliquo modo gloria Christi.

Bucerus urget:

Ut auferantur primum praecipua Ecclesiae sacrilegia, tum restituantur alia.

A Lasco nescit:

Utrum alteri praeponat, an quae urget Bucerus, an ut vestes auferantur.

D. Bucerus.

I. Ecclesiae, in quibus viget Christi purissima et praedicatio et fides, Antichristorumque omnium manifesta acerrimaque detestatio, ut nemo, nisi perditi iudicii, possit eas ecclesias notare Antichristianismi, possunt pie, ac sancte vere, ad gloriam Christi, usurpare vestes, Aharonicis quantumvis similes, at cum Papisticis easdem materia, figura et colore.

II. Antichristus non potest, ullo suorum abusu, vel vestes has, vel ullum Dei opus sic contaminare, ut piis non queant, omni reiecto abusu, etiam ad pias significationes et admonitiones adhiberi, sicque serviant ad gloriam Dei praedicandam.

III. Vestes istae possunt tolli propter pleniorem Antichristianismi detestationem et libertatis Christi professionem, tum ad tollendas dissensiones inter fratres.

IV. Ut aliquid ad significandum et [*pro-*] movendum [*Antichristianismum*], vestes istae, vel res aliae, valent, totum id accidit eis ab illis, qui eis utuntur, ita pari fructu pietatis potest aliqua Ecclesia Christi vere sancta, ad detestandum Antichristum, et ad praedicandum Christum, eiusmodi vestibus uti, quibus usa est synagoga Antichristi, ad commendandum ministerium Antichristi. Et his vestibus potest honestare ministerium suorum.

Nec Papa, nec quisquam, vestes has pro fulcris suae tyrannidis habet, et condemnatur quidem, qui pronunciatur retinere in cultu Christi, quod est fulcrum Antichristi.

D. a Lasco.

I. Usus istarum vestium non potest ab ulla Ecclesia pie adhiberi.

II. Non potest is usus harum vestium non significationem aliquam, et commendationem inferre, vel Antichristianismi vel Aharonici, vel certe utriusque sacerdotii, ac ita omnino aliquo modo obscurare gloriam Christi.

III. Debent vestes istae omnino tolli.

IV. Sunt fulcra et ornamenta tyrannidis Antichristi. Exterminanda est memoria Antichristi. Neque eo quód ipse vestes non fero, alios, quos praefractos non esse scio, illarum nomine condemno.

tunc temporis in Anglia versabantur, Reformatorum sententias de s. Coena orsus erat Bucerus. Itaque cum à Lasco quoque consensum utpote tentavit, quae res nimia inter utrumque opinionum diversitate nondum satis e votis successerat, quum inopine admodum Bucerus e terreno exilio in coelestem avocabatur patriam. Scribit de ea re sic ad Hardenbergium noster: „Mitto tibi Buceri Epitaphia ..., coeperat ille tractare rem sacramentariam, sed non absolvit. Mecum egit „scriptis, quae forte utraque prodibunt." [1]) Brevi post Bullingerum quoque huius disputationis certiorem fecit, sic fere in Ep. d. 7 Iunii 1551 ad eum scribens: „Quae Bucerus „ante mortem de re sacramentaria mecum egerit egoque ei „responderim, nunc non habeo: sunt enim apud D. Cantuariensem, qui nunc hinc abest. Ubi rursum habuero, de„scripta ad te mittam." [2]) Quod tamen an fecerit à Lasco, incertum est. Hoc constat: ea numquam prodiisse, et nonnisi manuscriptum superesse etiamnum exemplar in exquisitissima chartaceorum codicum collectione, quam asservat Corporis Christi Collegium, quod Cantabrigiae est, unde ea appendicis vice in fine tertii Tomi forsan dabimus [3]).

11. Acta disputationis cum Gellio Fabro (a. 1554).

Dum Lascus Londini versabatur, Gellius Faber de Bouma Emdae eius messem invadere et doctrinae rationem quae sub Lasci auspiciis in huius urbis Ecclesia vigenerat, mutare quodammodo instituit. Emdae a. 1554 ex Anglia redux strenue his conatibus restitit noster. Novum Catechismum, quem suae doctrinae propagatorem typis iam excudere inchoaverat Gellius, sua auctoritate pressit et coram coetu totius Phrisiae Orientalis ditionis acriter cum adversario digladiavit, ne Catechismus, quo hucusque Ecclesia usus esset, revideretur aut vel minimas reciperet Gellii correctiunculas. Huius quoque

[1]) Lasci *Opera*, II. 652.

[2]) Ibidem. p. 654. cf. ib. p. 648.

[3]) Habet codex in illa collect. n°. CXIII, cuius folio 391 incipit et fol. 407 explicit liber huius disputationis.

disputationis acta scripto mandata fuisse, luculenter docent haec Lasci ad Bullingerum verba: „Haec rursus a nonnulli op„pugnari coepta, in coetu demum publico ministrorum huius „patriae a me defensa est. *Collecta habeo, quae acta sunt* „*omnia*, sed non videntur luce digna publica.“ [1]) Neque Emdanae Ecclesiae haec acta asservat scrinium, neque aliunde sese eorum nobis obtulit vestigium.

12. SYLVA ITINERIS DANICI (a. 1554). [2])

Notissimus idemque pretiosissimus et perrarus libellus est, quem sub hoc titulo a. 1560 edidit IOANNES UTENHOVIUS: *Simplex et fidelis narratio de instituta ac demum dissipata Belgarum aliorumque peregrinorum in Anglia Ecclesia: et potissimum de susceptis postea illius nomine itineribus, quaeque eis in illis evenerunt, per Ioannem Utenhovium Gandavum. Basileae ex officina Oporini.* 1560. Quamvis autem Utenhovii prae se ferat nomen, perquam verisimile est tamen bona parte huius quoque libelli Lascum nostrum autorem agnoscendum esse. Eius veluti pedisequus enim atque amanuensis per quinque continuos annos in Polonia fuit Utenhovius. Eius omnia auctoritate Utenhovius agebat et opusculum quoque, cuius exscripsimus titulum, commendaticiis Lasci litteris instruxit. Docet nos Gabbema, Basileensem typographum cum ipso Lasco, neque igitur cum Utenhovio, de huius libelli invulgandi ratione transegisse [3]). Ipse denique à Lasco in Epistola sua praemonitoria totidem testatur verbis: „... peregrinationis nostrae „istius historia, quam nos quoque veram esse coram Domino „pro eo ac nobis est cognita testamur.“ [4])

Si porro quaerimus, quidnam in eo opusculo componenda praestiterit noster, viam nobis monstrat planus admodum qui

[1]) LASCI *Opera*, Vol. II p. 708. Cf. ibidem. p. 695, 696, 699. Cf. etiam *Ep. ad Bullingerum*, ib. p. 712: „Interim ille tamen articulos quosdam suos protulit „volebatque ut ad illos responderem. *Respondi scripto*, ut nihil demum contradi„ceret et plane etiam conquiesceret.“

[2]) UTENHOVII *Simplex ac fid. narratio*, f. 21—98.

[3]) V. *Ep. Oporini ad Lascum*. GABBEMA, *Ep. clar. vir.* p. 140.

[4]) LASCI *Opera*, Vol. II. p. 754. UTENHOVII *Simplex ac fidelis narr.* p. 5.

in eius epistolis obvius est locus, unde docemur, statim post suum e Dania reditum, dum Emdae adhuc retineretur, raptim quaedam consarcinavisse Lascum, quae sub *itineris Danici sylvae* titulo pluries exscripta, editioni quidem destinata, necdum satis perpolita tamen atque absoluta essent, ut merito in lucem potuissent prodire. Locus, quem volo, legitur in ep. ad Bullingerum data d. 3 Martii 1554, ubi sic noster: „Mitto au„tem vobis silvam itineris nostri, usque dum a Rege Daniae „dimitteremur ... Reliquum nostri itineris nondum absolvi „neque absolvere possum, donec qui adhuc sunt dispersi ad „nos veniant. Martinus Micronius noster cum bona Ecclesiae „nostrae parte est Wismariae, ... alii sunt Lubecae, alii „Hamburgi, sed brevi huc venturi omnes." [1]) Quis negabit merito ex his verbis effici 1°. conscripsisse Lascum libellum, quo itineris Danici aerumniae expenderentur, 2°. missum fuisse hoc opusculum ad Bullingerum, et 3°. substitisse Lascum in suae Ecclesiae fatis enarrandis, ubi ad finem usque enarravisset, quae in ipso Daniae regno miseri exsules essent perpessi. Reapse libellum suum publici iuris fecisse Lascum, ipse Bullingerus nos hisce certiores facit verbis: „*Sylvam ite*„*neris vestri* non recepimus, nisi quod Gallus quidam, vir „pius et generosus hac transiens copiam nostris transscriben„di fecit." [2]) An etiamnum huius sylvae exemplar manu scriptum supersit, nescio. Latere potest in Archivis Tigurinis, potest Bremae, si, quod nemo ibit infitias, ad Hardenbergium quoque eius exemplar miserit à Lasco. Ad hunc usque diem nil eiusmodi tamen in alterutra urbe erutum repertumve est. Si vero coniectura in re dubia locum obtinere potest, nullus equidem dubitem, in ipso Utenhovii libello *sylvam* illam nobis esse absconditam. Cur, quaeso, acta egisset Utenhovius, et suo marte denuo compilavisset, quae iam dudum antea scripto mandaverat à Lasco, cuius plurimum faciebat ipse auctoritatem? Unde porro nisi ex ipsissimo Lasci libello rerum, quae actae essent, notitiam sibi in Polonia praesertim accuratiorem comparavisset? Cur ipse à Lasco Utenhovium

---

[1]) Lasci *Opera*, Vol. II. 697.

[2]) Gabbema, *Ep. clar. virorum*, p. 112.

correxisset, si hic prior sylvae illius exstitisset auctor, facile intelligeret unusquisque, — cur vero Utenhovius Lascum, nemo. Accedit quod historiae itineris in Utenhovii libelli successus tam egregie cum iis quae ad Bullingerum scribit à Lasco, concinit, ut veluti futuri libelli distributionem paucissimis tibi dari credas. Primam libelli partem *Acta apud regem Daniae* occupant, tunc quae *Wismariae*, deinde quae *Lubecae*, ultimo denique loco quae *Hamburgi* experti sint exsules, ordine exponuntur, quae omnia quam apte quadrent in Lasci verba, quae supra citavimus, statim in oculos velut incurrit. Unde tute affirmare ausim, addito praefamine et quibusdam hic illic obiter pro personae auctoris diversitate rescriptis, Utenhovium Lasci libellum suae narrationi purum putum inseruisse, adeoque Lasci *Sylvam itineris Danici* etiamnum in Utenhovii narratione mutatis mutandis latere, inde a fol. 21 usque ad nonagesimam octavam paginam, ubi legimus: „ Nos porro quarta „ Decembris die Embdam, portum Orientalis Frisiae celeber- „ rimum, salvi divina gratia pervenimus," et quae perpaucissima illic sequuntur [1]).

Micronium quoque in itinere illo enarrando navavisse operam [2]), in Lasci vita penitius excutietur, et ad eam quam nunc agimus quaestionem, certe nihil facit.

13. Tractatus in usum regis Poloniae (scr. a. 1557).

Eiusmodi tractatiunculam ab à Lasco conscriptam fuisse, ipse diserte testatur in Ep. ad Ducem Prussiae data d. 13 Aprilis 1557, ubi sic legimus: „ Sed partim valetudine mea „ nunquam alioqui iam satis firma, partim etiam *scribendis* „ *quibusdam in usum regium* longius hic (i. e. Wilnae) quam „ putabam haerere coactus, nullo iam modo possum desiderio „ meo satisfacere visendi tuam Celsitudinem." [3]) Quale autem scriptum fuerit, hisce Utenhovii docemur ad Bullingerum verbis: „ Two days after the king, according to his promise,

[1]) Utenhovii *Simplex ac fid. narr.* p. 90.

[2]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 708. „Iter danicum exibit lingua Germanica autore Micronio nostro." Cf. quae ibi annotavimus.

[3]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 752.

„ admitted master a Lasco to a private audience, at which „ there were many persons present, bnt not within hearing. „ In this he rebuked the king for his sin in denying the „ Lord Christ, as he had done two days before: *placing in „ his hands a certain excellent treatise* (which he had compo„ sed at Wilna a short time since) *concerning the obligation „ of a king to destroy idolatry* and to promote true religion, „ and also *concerning the subtleties of the papish bishops*, and „ the dangers that await the king and the kingdom itself „ through their means, unless timely precautions be adopted, „ aud *concerning the necessary preparations to be made before „ the meeting of the diet.*" [1]). Nihil hnins quoque scripti superesse videtur, quippe quod nunquam divulgatum ex Archivis Sigismundi quoque hauddubie odio papistarum mox snbreptum ignique exstinctnm sit.

14. Acta cum episcopis polonicis, et alia quaedam minoris momenti.

Una classe comprehendemus quaedam minoris momenti scripta, quorum hic illic in epistolis Lasci mentio obiter iniicitur. Prorsus silentio haec praeterire vetabat commentationis nostrae ratio. Tam penitus autem omnis eornm excidit memoria, tam certo omne eorum periit in aeternum vestiginm, ut paucissimis ea recensnisse plus quam sufficiat.

a. *Acta cum Episc. Polonicis* (a. 1542), de quibus sic noster ad Hardenbergium: „ Ridebis, si audias, quid cum Epi„ copis nostris in patria egerim. Prodibunt tamen in lucem „ brevi omnia" [2]) Pressa haec fnisse, quamvis e silentio labile argumentum sit, satis tnte affirmare ausim.

b. *Anecdota quaedam de sacramentis* (a. 1547). Inferioris

[1]) *Ep.* Utenh. *ad Bull. et Martyrem* d. 23 Innii 1557. Anglica versione reperitur in *Opera* Societatis Parkerii, *Original Letters relative to the Engl. Reformation.* Cambridge 1847. Vol. II. 598.

[2]) Ep. d. XII Maii 1542. Cf. Lasci *Opera*, Vol. II. p. 556. Anceps diu haesi, num potius res in facto positas vocabnlo „egerim" designasset. Verbis rite perpensis tamen, absonum esse hoc et a toto verborum contextu abhorrere mihi videtur.

etiam notae videntur ea, quae de controversia sacramentaria pro uti otium dabatur concinnaverat noster et commemorantur in Ep. ad Hardenbergium d. 29 Ian, 1548 data his verbis: „Haberem sane quae tibi in tua istic causa usui essent fortas- „se. Sed haec in chartis ita dispersa sunt, ut non facile col- „ligi possint, multo minus autem describi," [1]) Quantum video in libello suo *de sacramentis*, a. 1552 edito, suo loco haec ordine digesta inseruerit.

c. *Descriptio caeremoniarum, quae apud Emdan. Eccl. obtinebant* (a. 1548) A Cramnero in Angliam vocatus, priusquam traiiceret, caeremoniarum, quas Emdae instituisset, schema ad Cantuariensem Archiepiscopum misit, eo hauddubie consilio, ut Ecclesiarum gubernandarum sua ratio ab omni parte Anglis innotesceret neque posthac fraudulenter imposuisse iis videretur. Huius quoque scripti mentionem facit in Ep. ad Hardenb. a. 1548 data, ubi in hunc modum scribit: „Curavi „describi, quae de nostris caeremoniis in Angliam misi. Haec „simulatque descripta fuerunt, ad te transmittam." [2])

d. *De coena confessiuncula* (a. 1549). Hamburgi dum haerebat à Lasco familiaritate usus est primarii huius urbis Pastoris, Ioannis Aepini nomine. Quum autem neque Aepinus eius de coena scitaretur sententiam, neque noster ultro profiteretur, ne silentium ipsi posthac verteretur vitio, curis Hardenbergii in scripto sententiam suam Aepino tradi curavit. Quod docent nos haec eius ad Poloniae regem verba: „Ro- „gatus tamen ab amico, cuius antea paullo memini (Hardenb.) „meam sententiam *in scripto* illi tradidi, facta ei (Aepino) „potestate iam exhibendi *scripti*, quibus ille vellet, etiam mi- „nistris ipsis, modo ne postea eo nomine accusarer" [3]); et paullum inferius: „Permisi ut *scriptum illud* meum ministris „simul omnibus exhiberet." [4])

e. *Apologia, cur Emdanae Ecclesiae valedixerit* (a. 1551). Sparserant adversii iniquissimum rumorem de Lasci e Phrisia Orientali abitu. Occurrere tam pravis calumniis noster voluit,

[1]) Lasci *Opera*, Vol. II. 614.
[2]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 616.
[3]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 23.
[4]) Ibidem.

verissimam sui in Angliam itineris causam quibuslibet aperiundo. Compegerat haec in libello quodam, cui titulus esset *Apologia* et quam editioni accomodatam destinatamque fuisse manifesto intelligimus ex iis, quae ad Hardenbergium scribit: „*Apologiam* meam remoratus est Hermannus (Lenthius) noster, qui mutari quaedam voluit ... Conabimur doctrinam nostram tueri, sed tamen et *Apologiam* edi curabo, saltem quod ad historiam abitus isthinc mei attinet, ubi etiam *doctrina nostra de sacramentis inseretur.*" [1]) Quod hisce igitur verbis certo se editurum affirmat noster, pressit tamen in scrinio, incertum quibusnam inductus ad id rationibus, et nonnisi posteriorem promissi libelli partem *de sacramentis* a. 1552 Londini separatim edidit. Postea vero adversariorum perpetua morosaque pervicacia exacerbatus, sibi proposuerat repetitae huius, si quando posceretur, libelli editioni praefamen adiicere, quo rabida virulentaque eorum perstringeretur procacitas. „Alioqui," in epistola ad Hardenbergium data hac de re scribit, „neque Anglicus liber meus aliam doctrinam habet, sed diversam doctrinam gravius oppugnat. Et tamen vix decimam eorum partem attigi adhuc. Sed forte addito praefamine adiicientur." [2]) Quae spes quum ad irritum caderet nec repetita Anglici libri postularetur editio, iterum mutavisse consilium videtur et quae primum separatim sub *Apologiae* titulo edere in animo ei fuerat, deinde libello *de sacramentis* voluerat praetexere, tandem, haud paucis, quae aegre desideramus, omissis, libello suo, cui *Forma ac ratio* titulus est, sub forma ad Poloniae regem epistolae succincte et compendiarie praemisit.

Quaedam hic adspergi etiam possent, ut Lasci bibliothecae tum promissae, tum latentis plenus absolveretur conspectus, qualia verbi causa *Adagia* sunt quae in Platonem ab eo annotata esse legimus [3]). Vel sic tamen hic subsistendum videtur, ne quae minoris utique praetii sunt, editis opusculis nimis praeripiant locum.

---

[1]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 663. Ep. data est d. 23 Aug. 1551.

[2]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 699.

[3]) Gabbema, *Ep. clar. vir.* p. 168. „Annotavit *adagia* quaedam in eius margine „Erasmus, quaedam etiam Ioh. à Lasco."

15. Epistolae ad diversos.

(Lasci *Opera*, Vol. II. p. 545—770.)

Vere immanem fuisse chartarum molem admirandamque prorsus scedularum copiam, qnas litteris signaverit et epistolarum vice atramento infuscaverit noster, luculentissime patet ex vasto litterarum commercio, quod cum tot tantisque viris, ét scientiae lande insignitis, ét natalium splendore claris, ét augusta regiminis maiestate illustribns, inivisse eum satis superque ostendunt pancissimae vel ab ipso vel ad eum datae litterae scriptae, quas e communi fere naufragio dehiscens praeteriti aevi nobis revomuit profundum [1]. Quicqnid huius fausto allaberetur vento, sedulo certatim colligere conati sunt iam duobus abhinc seculis Utenhovius, Ubbo Emmius, Lubieniecius et Wegierscius, quorum copiam auctariis haud aspernandis suo quoque tempore adauxerunt Gabbema, Fuesslinus, Bertramius, Meinersius, Francofortanorum Actorum Auctor, Harckenrothius et Angliae reformationis scriptor, Strypius. Magis tamen pro re nata illi, quae ultro offerrentur, exscripserunt, et nonnisi unus fortasse Harckenrothius inter eos fnit, qui de industria Lasci epistolas aliquot conqnisivit inque Bibliotheca Bremensi cum litterato communicavit orbe. Ille tamen perexiguem fecit messem et nil praeter aridum compegit spicilegium [2]. Laetioribns eum anspiciis excepit tandem Gerdesius, qui egregie de historia reformationis hoc iam nomine fuisset meritus, etiamsi in reliquis minus succrevisset aut etiamnum flaccesceret eins gloria. Diligentissime namque et gnaviter undecunque investigavit et sedulo conquisivit, quae ab à Lasco scriptae litterae superstites essent: repertas quodam digessit ordine, *Scrinio suo* pie inseruit et sic publici iuris fecit circiter octoginta eius Epistolas. Qui autem primus exstiterat, postremus simul hucusque harum

[1]) Complnries deperditarum [epistolarum iam mentio fit in iis epistolis, quas Gerdesius nobis exhibuit. Cf. Gerdes. *Scrin. antiq.* II. 533, 536, 627, 635, 642, 644, 645, 650, 651, 695, 703, 705, 707 passim.

[2]) Cf. Bibl. Brem. Cl. III. p. 138, 141, 183 sq. Cl. VI. p. 110 sq. Cl. VII. p. 332 sq.

cupediarum concinnator fuit: quae enim GORHAMIUS anglice versa exprompsit in collectione sua pauciora sunt, quam ut cum Gerdesii messe eius componatur florilegium. Itaque Lasci opera denuo editurus hoc quoque in primis egi, ut Gerdesii collectioni novum Lasci epistolarum syllabum adiungerem. Ubi ubi igitur tentabundus, quotquot sunt notiora tabularia, indefesse scrutatus sum: et quamvis spe inferior fuerit praeda, quam convectaverim, neutiquam tamen piguit me assiduae venationis curae atque studii; centum namque triginta et sex Lasci epistolas editio nostra continet, adeoque quinquaginta plus Gerdesii compendium egreditur. Res ipsa loquitur me faustum illum perquisitionis successum maxima utcunque parte aliorum debere et gratissimo animo acceptum referre benevolentiae. Supra iam promptum laudavimus et efficax subsidium, quod Regiomontis mihi tulerunt Cl. Iacobson, Cl. Erdmann et vir doct. Meckelburg. Cassellae blanda me adiuvit comitate vir humanissimus KRIPPELMANN, tabularii in ea urbe asservati praefectus. Berolini honestissime succurrit nostro labori vir Cons. VON MÖRNER, Prussiae Regis secretus Archivarius, qui egregia utique liberalitate caussae meae patrocinatus est. Nec frustra Cantabrigiae doct. MAYOR, neque Gothae doct. BECKII praesidium mihi apprecatus sum, utpote qui blande admodum insignem petenti tulerint opem. Suum quoque minutulum mihi ultro misit Cl. REUSS, Argentoratensis Academiae Professor, cuius paratam semper et mitem benevolentiam dudum iam antea et laetissime eram expertus. Quos tamen omnes, si fas esset talia ad trutinam appendere, vinceret facile et egrederetur candida benignitate et vere paterno quo me exceperit amore vir aestumatissimus BENIAMIN B. WIFFEN, qui Woburniae, in ea Angliae, cui Bedfordshire nomen, provincia, sacrarum profanarumque litterarum studiis placide vitam impendit. Prompta semper benevolentia et iuvenili alacritate senex mihi potenter et efficacissime plus quam credi potest auxiliatus est. Undecunque ex Angliae refertissimis pretiosissimisque thesauris, quae aliquantulum mihi prodesse possent, sectatus est, congessit, excerpsit, mecumque denique communicavit. Quibus eum in modum me iuvenem sibi devinxit, ut quorum ipsi debam memoriam haud facile deletura sit aetas, et nullus dubi-

tem, eius amicitiam (familiaritatem paene dixeram) in summae felicitatis meae parte ducere.

Romae non qnidem repulsam tuli, sed tameu ex magna spe deturbatus sum. Videlicet in *Monumentis suis ad hist. Gent. Slavon.* pertinentibus anuotaverat Reverend. Theiner, Bibliothecae Vaticanae praefectus, Romae quoque asservari nonuulla, quae Lasci vitam illustrent. Et quamvis primo obtutu admirareris, Romae quoque Lasci inedita scripta latere, tamen re melius perspecta hand tam absonum mihi uec illepidnm videbatur, quod Theiners observaverat. Sine ullo namque dubio scrinia Palatina complures Lasci olim continuerunt epistolas, cuius igitur tabularii quum bonam partem Romam commigravisse constet, potuissent sane Lasci quoque epistolae Vaticanae Bibliothecae subiisse limen. Ipsum huius uuntii autorem igitur adii et epistola data Rev. Theiner rogavi, velletne in Vaticana Bibliotheca circumspicere, si quae forte abscondita illic iacerent. Responsione vero, quam tandem tandem mihi dedit vir doctissimus, omnis mox extenuata est et concidit, quae initio affulserat, spes, nihilque eius geueris in Vaticana detegi posse pro certo et indubitanter mihi affirmavit.

Monaciae quoque in immensa, qna splendit huius urbis tabnlarium, Epistolarum collectione quaedam Lasciana reperiri posse, quis mecum non esset suspicatus? Et ut verum fatear, uondum omnis mihi evanuit spes, quaedam lectu dignissima et à Lasci manu profecta in celeberrima hac collectione latere. Qnominus tamen certum quid in ea re pronuntiare queam, silentio sno effecit vir doctissimus Cornelius, cuius auxilium imploraveram quidem utque studiis meis faveret euixe eram precatns, sed frustra. Cur silnerit diiudicare nec volo nec possum. Hoc tantum dico, me nullum ab eo accepisse responsum.

Quid Tigurina denique scrinia recondant, haud facile dictu est. Est hoc tabularinm tam grande tamque vastum ut in unius Lasci gratiam explorari nullo prorsus modo possit. Quum tamen virum Cl. Reuss, ut illam chartarum molem perscrutaretur, induxit Calvini operum repetita editio, quam curat et cuins primitiis fruitur iam litteratus orbis, mihi sponte sua

pollicitus est, se Lasciana quoque, si quae emergerentur, sedulo expiscaturum esse.

Caeterum in repraesentandis Lasci epistolis, quotquot nancisci potui, ita versatus sum, ut iusta distributione omnes ad temporis ordinem recenserentur. Quae in Gerdesii editione manifesto vitiosa deprehenderam, sanare pro virili portione et restituere conatus sum, iis quoque medicinam afferre enisus quae prorsus idcirco omiserat Gerdesius, quod intricatius exarata in scripto ea expedire non potuerat. Sedulo porro in cuiusvis epistolae capite, unde desumpta esset, adscripsi et paucissimis ad calcem ea quoque adieci, quae ut spero contextum satis illustrabunt et expedient lectionem. Ubique tamen operam dedi, ut quantumpote consulerem compendio. Etenim si prolixius quaecunque in epistolis observatione egeant excutere voluissem omnia, eque Lasci vita uberiorem iis adspergere lucem, hanc vitam omnem fere expendere et in notulis adscribere me oportuisset, quod prorsus tamen ab editionis meae ratione abhoruisset, quippe quae auctoris vitae enarrationem suo loco exhibeat. Id ipsum mihi in causa quoque fuit, cur Epistolarum *argumenta* omittenda esse ducerem, quae nimirum aut absolutissima esse debent, aut nocent plus quam prosunt lectori, quem continuo in eum inducant errorem ut abesse opinetur, quicquid omiserit Epistolae argumentum. In fine denique huius Epistolarum syllabi tabulam apposui, qua totius tertiae sectionis materies brevissimo compendio exhibetur et uno velut conspectu intelligitur ad quem, undenam et qua die singulae epistolae datae sint.

II. E d i t a.

16. De fug. pap. illicit. sacris (a. 1546?).

[Lasci *Opera*, Vol. I, p. 61—95.]

Nusquam in ipsius Lasci sive epistolis sive scriptis libellum, hoc titulo ornatum, vel obiter commemoratur et valde dubitem, an unquam latino sermone typis excusus sit. Affir-

mat hoc quidem Gerdesius in *Florilegio* suo [1]), at vero nullum citat testem, et locus typographei quem adscripsit, ut et annus quo typis esset expressus (*Neostadii* 1608), clare ostendit eum nobis fucum facere voluisse. Est scilicet versio huius libelli germanica, quae in ea urbe eo ipso anno prodiit in lucem, et praeter hanc versionem ipsum quoque Gerdesium nihil usquam huius libelli detegisse, ex eo iam luculenter apparet, quod hanc versionem in Bibliotheca Groningana (ipse Groningae docebat) asservari diserte addit.

Quo tempore hoc opusculum conscriptum sit, perquam est ambiguum. Vel sic tamen cum fiducia affirmare ausim ad priorem Lasci vitae partem, dum Emdae commoraretur, id esse referendum. Sic optime intelligitur, cur nulla eius fiat in Lasci epistolis mentio, quum una alterave tantum ex illo tempore Lasci epistola remanserit superstes. Sic porro egregium sensum praebent, quae Gellius Ctematius in praefatione belgicae versionis monet: „dat dit gheschrift door ... Ioan„nem à Lasco, in 't Latijn *voortijden* is wtghestelt." [2]) Sic quoque perspicuum fit, cur Martinus Micronius in suo de eodem argumento consideratione nusquam locorum ullam huius libelli mentionem iniecerit [3]). Quodsi denique ipsum libelli argumentum spectamus, aptissime sane in ea quadrat tempora, quae tristissima Emdae degit noster, quum frustra apud magistratum institerat, ut tandem papismi reliquiae e sacris aedibus amolirentur et monachis imponeretur silentium.

Trilinguis haec tractatiuncula exiit, versione belgica, germanica, gallica. Belgicam versionem curavit Gellius Ctematius eamque sub hoc titulo excusit:

Het ghevoelen Ioannis à Lasco, Baroens in Polen, Superintendent der ghemeynte der vremdelinghen te Londen [4]), *of het*

---

[1]) Gerdesius, *Floril. libr. rariorum.* p. 229.

[2]) Lasci *Opera*, Vol. I. p. 66. Latine ea verba sic habent: „tractatiuncula haec *diu antea* edita est per Ioannem à Lasco."

[3]) Illum Micronii librum volo, cui titulus: *Een claer bewijs van het recht ghebruyck des Nachtmaels Christi ende watmen van de misse houden sal door Marten Mikron.* Lond. 1552. 8⁰. Asservat eum bibliotheca Ultraiectina. Theol. Octav. N. 704.

[4]) Ne quis mihi obiiciat, ex hoc additamento luculenter patere, Londini hunc libellum ab à Lasco conscriptum esse. Solebant enim typographi de suo talia addere et suo marte reficere titulum et adornare.

den Christenen, nadien zij het word Godes ende de godloosheit des Pauwstdoms bekent hebben eenighszins verorloft is, dat zij zick in de pauwstlicken godsdiensten, ende in zonderheit in der misse, vinden laten. Wt den latine in Nederduydsche sprake ghetrouwlick ouerghezett. Alle liefhebbern der waerheit in dezen tijden zeer nutt ende dienstlick. Mit een register oft aenwijzer der zonderlickste stucken, hierin ghehandelt. Ieremia 51. *Emdae apud Gellium Ctematium*, a. 1557 in octavo. Ipse Ctematius praefationem huic libello praemisit.

Temporis ordine huic versioni gallica propria antecedit, quae iam a. 1556 Genevis typis expressa est. Reperitur ea in libello pretiosissimo, qui titulum habet: „Les conseils et „aduis de plusieurs excellens et sauans personnages sur le „fait des temporiseurs. Et comment le fidele se doit maintenir entre les Papistes. Genevis 1556, in 12°." Occurrit in hoc libello Lasci tractatiuncula fol. 91—128 sub hoc titulo:

Aduis de Iean à Lasco, Baron de Poloigne, Superintendent des Eglises Estrangeres qui sont à Londres, assavoir s'il est licite à l'homme chretien, aucunement assister aux services Papistiques et principalement aux messes, apres auoir cogneu par la parole de Dieu l'impiété du Papisme [1]).

Germanica denique versio, simili collectioni inserta, habetur in libro, cuius sic se habet titulus: „Die Römische Exempel„marck, d. i. Summarische Erzehlung der fürnembsten „menschlicher Aufsätze der Römischen Kirche. Sampt einem „Christlichen Bedenken, weyland Herrn Iohannis a Lasco „ob ein Christlicher sich möge inn ... der Messe finden „laszen. Newstadt an der Hardt by Niclas Schraumer, a. „1608," in quo libro Lasci libellulus occupat folia 151—174, hoc praeditus titulo:

Kurtz Bedencken weylandt Herrn Iohann Iohannis à Lasco, Freyherrn und Vorstehers der ausslåndischen Kirche zu Londen in Engellandt, ob den Christen, nachdem sie die Göttliche Wahrheit und dagegen des Papstthums Gottlosigkeit und Grewel er-

---

[1]) Cf. Harboe, *Zuverlässige Nachrichten von dem Schicksale des Iohanns à Lasco. Aus dem Dänischen uebersetzt von* C. G. Mengel. Koppenhagen und Leipzig 1758. p. 13.

kandt, einiger gestalt erlaubt sey, sich in und bey dem Papstischen Gottesdienst, und sonderlick in der Mess finden zu lassen. Allen Liebhabern der Wahrheit zur Nachrichtung auss dem Niderländischen verteutscht, durch Tobiam Fabricium, Dienern am Wort Gottes zu Massbach. Ierem. 51, 6. Neustadt an der Hardt 1608.

Hinc patet, germanicam editionem e belgica versione, neque ut primo obtutu videtur, e latinis translatam esse. Latinitate Lasci libellum donavimus ipsi, ut omnibus eius lectio pateret. Germanicae editionis exempla Groningana Bibliotheca asservat (E. e. 10), belgicam Ultraiectina Bibliotheca administrare potest (Theol. o. 704); gallicae vero versionis nullum hucusque se mihi obtulit exemplar.

17. De christi incarnatione adv. mennonem (ed. a. 1545).

[Lasci *Opera*, Vol. I. p. 1—60.]

Anno 1544 Menno Simonis hoc libello aggressus erat Lascum: *Een corte ende clare Belijdinghe ende schriftelijcke aenwijsinghe. Ten yersten van der menschwerdinghe ons liefs Heeren Iesu Christi. Ten tweede, hoe dat beide de leeraers ende de ghemeinte Christi ... sullen ende moeten geacht zyn, — geschreuen aen den Edelen ende hoochgeleerden Heeren H. Iohann. à Lasco, met tsamen zynen medehulpern, binnen Emden* a. 1544 in 12°. Huic libello suum de incarnatione Christi tractatum sequenti anno opposuit à Lasco, hoc ornatum titulo:

Defensio verae semperque in Ecclesia receptae doctrinae de Christi incarnatione, adversus Mennonem Simonis, Anabaptistarum Doctorem, per Ioannem à Lasco Poloniae Baronem, Ministrum Ecclesiarum Phrisiae Orientalis. Hebrae II. *Posteaquam pueri communionem habent carnis et sanguinis, et ipse similiter particeps factus est eorumdem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium.* Bonnae ex officina Laurentii Mylii. a. 1545.

Nonnisi tertiam partem eorum, quae sibi expendere proposuerat, hoc opusculo absolvit. Egit tantum de incarnatione Domini et in aliud tempus se pressisse reliqua, his ipse testatur

verbis: „Baptismi vero et vocationis Ecclesiasticae causam in „aliud tempus suspendamus." [1]) Plurimis exemplaribus excusus hic libellus fuit, et etiamnum nullius Lasci opusculi tam facile exemplaria administrari possunt. Lugduno-Batava, Ultraiectina [2]) et Groningana bibliothecae singulae hunc libellum possident. Magnopere suo tempore viris doctis placuit, et, ut alios taceam, Melanchthon, qui tam acriter censoriam virgulam in eius *Epitomen doctrinae* adhibuerat, de industria hunc tractatum apud Ducem Prussiae collaudavit [3]). Ne quis miretur Bonnae eum typis expressum fuisse. Saepius eo tempore Coloniam ad Hardenbergium profectus Bonnam quoque visit noster, et speciatim initio huius anni eum per aliquod tempus Bonnae haesisse, docet nos Pellicanus in epistola d. 3 Martis a. 1545 ad Lascum data, in qua haec occurrunt verba: „Audimus te nunc Bonnae agere cum „Doctore Alberto nostro." [4]). Quantum novimus, nulla usquam huius libelli prodiit sive belgica, sive germanica versio, nec repetita est originalis editio. Foliorum indicibus caret, quare litteras typographicas in paginarum incisione annotavimus.

18. Doctrinae moderatio s. epist. de coena, (scr. 1545 ed. 1551).

[Lasci *Opera*, Vol. I. p, 465—479.]

Posteaquam communis Theologorum vox *Epitomen doctrinae*, quam ante duos annos (1543,4) concinnaverat noster, heterodoxiae damnaverat eumque ne uti invulgaretur erant obtestati amici, docendo tantum apud Ecclesias, suis commissas curis, doctrinam suam propagare studuit à Lasco. Mox tamen haud tam levis de re sacramentaria inter ipsos pastores oborta dissensio, quorum alii Germanicis, alii Helveticis Theologis magis

[1]) Lasci *Opera*, Vol. I. p. 9.
[2]) Est huius Bibliothecae Theol., Oct. 687.
[3]) Bretschneider, *Ep. Melanchth.* Tom. V. p. 790.
[4]) Gabbema, *Ep. clar. vir.* p. 105. Cf. *Ep. Hardenb. ad Utenhovium* d. 9 Martii 1545. Gerdes., *Scrin. ant.* IV. 681.

favebant et sincerius assentiebantur, impulit eum atque permovit, nt saltem de praecipuo hoc omnis doctrinae tunc temporis loco, libere et palam suam eloqueretur sententiam brevissimamqne conderet formnlam, quae scripto inter symmystas divulgata, sententiarum diversitatem mite sedaret et compesceret, antequam serperet longius. Ne suis tamen imponere velle collegis eorumque adstringere conscientias videretnr, *confessionis* speciem detrectavit et sub epistolae cuiusdam forma doctrinam suam profitens suadere iis qnam imperare maluit. Hinc vero in Lasci opusculis dignoscendis mira confusio nata est. Quum enim opusculum, qnod reapse confessiuncnla esset, ob externam speciem saepius sub *epistolae* titulo in Lasci scriptis citaretur, saepius qnoque ob argnmentum, quod tractet, diceretur quod esset, *moderatio doctrinae*, in eum modum hac nominis varietate impedita res est atque perturbata, ut diversa opuscula spectare viderentur, quae de uno hoc libello commemorentur.

Prima huius opusculi mentio nobis adest in Epistola hoc ipso anno ad Hardenbergium ab à Lasco data, in qua aperte dicit: „Per Ioannem fratrem mitto tibi *doctrinae nostrae moderationem*, Ecclesiis nostris propositam in hac causa." [1]) Et quamvis paullum intricatior sit locns, huc tamen quoqne referendum est, quod a. 1555 ad Poloniae Regem de Timanno, Bremensi pastore, scribit: „Ante annos aliquot ... amicitiae „officia mihi familiariter deferebat, etiamsi me eandem plane, „quam et nunc profiteor, doctrinam, *in Frisio per decennium* „fere tradidisse non ignorabat, ac ... *causam sacramentariam* „interim numquam omnino attigit, cuius ego tamen *brevem* „*quandam descriptionem* summo et ipsius et meo etiam amico „(sc. Hardenberg.) cuidam tradideram, atque illi ostensam „fuisse puto." [2]) Sex dehinc elapsis annis typis expressam hanc *moderationem* Londini edidit, una cum Bullingeri eiusdem argumenti tractatione sub hoc titulo:

Epistola Ioannis à Lasco ante quinquennium ad amicum quemdam scripta, continens in se summam controversiae Coenae Domini breviter explicatam. Londini excudebat Stephanus Myerd-

[1]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 609.

[2]) Ibidem, Vol. II. p. 22.

mannus. An. 1551. *Mens. April. Cum privilegio ad imprimendum solum.*

Misit hnius libelli exemplar ad Hardenbergium, Iacobum Praepositum, Danielem Bureninm et Bullingernm. Litterae, unde hoc novimus, ad Hardenberginm datae snnt ultima die Maii a. 1551, in quibus sic noster: „Mitto tibi libellnm quem „hic edidi de Sacramentis, cui est annexa *mea vetus quaedam „eadem de re epistola*, quam tn nosti. Mitto et Domino Ja„cobo et Domino Danieli." [1]) Similiter ad Bullingernm scribit epistola d. 7 Junii einsdem anni data: „Deinde et libellnm „ad te tuum de Sacramentis, quem ante triennium ad me mise„ras, ... ad te misi, hic me autore, sed valde incorrecte ex„cusnm. Non putaram enim, te istic illum editnrum esse.... „*Adieci illi unam e meis epistolis eadem de re ante sex annos „scriptam*, ut doctrinae consensum attestarer." [2])

Verissimum porro esse, quod contendi, nonnisi nnum eundemque libellum utroqne titulo indicari et meo iure ad *Epistolam de Coena*, me retulisse, quicqnid de moderatione doctrinae scriptitatum sit, lnce clarius haec ipsius Lasci ad Emdanos ministros verba evincnnt: „Non dubito autem vos me„moria adhuc tenere *doctrinae nostrae moderationem*, per me „postea *sub forma epistolae cuiusdam* in Anglia editam, quam „Dominus Hermannus Brassius, collega hic noster, in publica „concione Nordae ante annos ferme octo aut amplius pro„fessus est et pleriqne vestrum exscriptnm demum etiam re„tinuerunt." [3]). Ex quo loco haec tria lnculentissime patent 1°. *Moderationem doctrinae* eundem libellum esse qnem Londini sub titulo *Ep. de Coena* ediderit, 2°. Esse hanc moderationem in usum pastorem Frisiae Orientalis scriptam, et 3°.

[1]) Lasci *Opera*, Vol. II. 653.

[2]) Ibidem, Vol. II. 654. Huo quoque facit quod ad Hardenbergium scribit d. 28 Martii 1554: „Neqno vero ego mutavi quid in doctrina mea ab eo, *quod vel „nostris hic Ecclesiis ante meum hinc abitum in scripto meo traditum reliqueram,"* et paullo inferius: „Qui iis finibus doctrinam do Eucharistia includere volent, „quibus *in meo scripto, vel istis hic ecclesiis per me olim relicto*, vel vestris istic „ministris (Bremensibus) data, inolusa est, parata est concordia." Lasci *Opera*. Vol. II. p. 699.

[3]) Lasci *Opera*, Vol. I. p. 237.

denique, plura eius exemplaria, anteqnam Lascus Emdam relinqueret, in Frisia Orientali iam fuisse invulgata.

De tempore quo conscripta sit haec epistola haud facile ulla oborientur dubia, quum ipse noster in fine epistolae mensem et annum apposuerit et diserte testetur, datam eam esse *mense Aprili a.* 1545 [1]). Egregie cum hoc temporis indicio concinunt, quae a. 1555 ad Sigismundum scribit, se *per decennium* hanc doctrinam in Frisia tradidisse [2]), quae ad Hardenbergium a. 1545, se *nuper* conscriptam epistolam ad eum mittere [3]), quae a. 1551 ad Bullingerum scribit, se edidisse epistolam *ante sex fere annos* compositam [4]), — quae denique a. 1554 in ep. ad Ministros Emdanos commemorat: hanc suam moderationem *ante annos ferme octo aut amplius* a Hermanno Brassio publice lectam esse. Quodsi qui in titulo haereant, qui annum 1551 prae se fert et tamen *ante quinquennium* epistolam scriptam esse testatur adeoque ad a. 1546 nos proprie reduceret, hi expendant velim, potuisse a. 1550 ab à Lasco in typographeum missam esse epistolam, quae nonnisi initio 1551 ex bibliopolae officina exierit.

Repperi huius epistolae exemplar in Bibliotheca Dublinensi, quae Trinitatis Collegii dicitur. Sortita est in ea bibliotheca numerum F. p. 11, mihique eius exemplar administratum est, insigni et perquam benigna doctissimi Coleii benevolentia accuratissime exscriptum.

19. Confessio londinensis (a. 1551).

[Lasci *Opera*, Vol. II. p. 285—339.]

Priusquam Guidonis à Bresa Confessio publica Ecclesiae auctoritate apud populares sancita esset, vulgo reformatos in hac ditione Londinensi Confessione usos fuisse, omninm primus observavit Schoockius, ubi dicit: „ Antea vero in usu

[1]) Lasci *Opera*, Vol. I. 479.
[2]) Ib. Vol. II. p. 22.
[3]) Ib. Vol. II. p. 609.
[4]) Ib. Vol. II. 653.

„ erat Confessio Emdana ... a nobilissimo pientissimoque viro „ Iohanne Utenhovio in belgicum idioma translata." [1]) Quod enim *Emdanam* Confessionem eam appellet, errore pro Confessione Londinensi scriptum esse, non est quod disertis verbis demonstremus [2]). Uberius etiam hanc materiem suo tempore tractavit indefessus antiquitatis scrutator Isaäcus Longius, qui accurate descriptum huius confessionis titulum annotavit, repetitam eius editionem exstitisse asseruit et merito coniecit eam latino sermone ab à Lasco fuisse conscriptam [3]). Venema nonnisi obiter eam commemorat et citius quam par esset ad Bresii confessionem transit [4]). Nullibi praeterea eius vel levissimum deprehenditur vestigium aut iniicitur mentio [5]), tamque eam olim perseveranter consectati sunt Romanensium clerici [6]), ut nullum eius exemplar se unquam vidisse ét Schoockius ét Longius ét Venema aut sponte profiteantur, aut vitiosa eius descriptione luculentissime ostendant. Forte fortuna autem anno demum 1843° Cl. Vinke, Theologiae tunc temporis in Academia Ultraiectina professor, in huius urbis bibliotheca aureum illud gemma latere detegit inque opere periodico, cuius in margine adscribam titulum, accuratissime ipsam Confessionem repraesentavit [7]), quam denique a. 1860 Cl. Hofstede de Groot, qui Groningae etiamnum Theologiam profitetur, nitidiore forma iterum typis mandari curavit [8]), hic illic nonnihil immutatam, ut magis lectioni esset adaptata. Quae tamen produxerit argumenta Cl. Vinke, ut genuinam Lasci confessionem se deprehendisse ostenderet, et quibus

---

[1]) Schoock, *de bonis vulgo dictis Eccl.* p. 522.

[2]) Emdani Confessione utebantur quae a. 1528 scripta erat, donec a. 1594 alia eaque prolixior confessio contra Flaccianos ederetur. Cf. *Gruendlicher warhaftiger Bericht von der Evang. Ref. tho Emden.* Cui adiecta est Conf., a. 1594. Bremae apud Berendt Peters. 1594. 8°. p. 19. Meiners, *Oostvr. kerkel. gesch.* I. 52, 74.

[3]) le Long, *Kort verhaal der kerken onder 't kruis*, p. 25.

[4]) Venema, *hist. Eccles.* VII. 252. Cf. Ypey en Dermout, *Gesch. der Ned. Herv. kerk.* Aant. Deel I. p. 209.

[5]) Plane eam ignoravisse patet Triglandum, Utenbogaertium, Ensium.

[6]) Prohibitam esse eius divulgationem docet nos *Append. ad Catal. libr. prohib* a. 1549. 8°. p. 82.

[7]) *Kerkelijke Raadvrager en Raadgever*, a. 1843. P. IV. II. p. 255 sq.

[8]) *De eerste geloofsbelijdenis der Nederlandsche Hervormde kerk, op nieuw uitgegeven door* P. Hofstede de Groot. Groningen. Scheltens. 1860.

calculum quoque adiecit Cl. Hofstede de Groot [1], ut verum fatear, gravissimis mihi videntur obnoxia esse dubiis, minimeque id efficere, quod sustinuerit Vinkius: hanc nempe a se prolatam confessionem unam prorsus eandemque esse cum ea, quam Longius narrat a. 1551 in usum Peregrinorum Ecclesiae Londini fuisse editam. Longius dicit eam editam fuisse Londini a. 1551: contra exemplar, quod eruit Vinkius, a. 1565 Emdae prelo Ctematii submissa fuit. Differunt itaque locus quo et typographus cuius typis excusa est, differt quoque annus, neque ipsius denique tituli argumenta, ut infra dicetur, conveniunt. Ipse Vinkius hoc discrimen diligenter quidem annotavit, at vero his tribus internis argumentis alteram alterius repetitam editionem esse perhibuit: 1°. utriusque confessionis eundem esse finem atque consilium, 2°. in utraque silentio praetermitti de re sacramentaria controversias, et 3°. utrunque libellum confessionem Christi magnopere urgere, — e quibus secundum argumentum, ut magis fortuitum, plurimi hauddubie faciendum esse, quis non videt? Quaenam scil. reliquorum esset vis, ubi medium iis eripiatur, equidem non video. Hoc autem secundum argumentum approbare conatur vir Clar. his Lasci verbis: „Quae quidem omnia bona iam ex parte „ita se habere ostendimus et clarius adhuc si Dominus volet „per eius gratiam ostendemus," [2]) quae aptissime, si reapse de Conf. Lond. scripta essent, cum hisce ipsius confessionis verbis concinerent: „van dewelcke (sc. de sacramentis) ooc „breeder tsijner plaatse gezeydt sal wesen, als wij van de „forme ende ghebruycke der Sacramenten handelen sullen." [3]) Haec tamen argumentatio, si quid video, cadat necesse est: *primum* quod priora illa verba, e Lasci ad Sigismundum epistola allata, minime Londinensem Confessionem spectant, sed vero ea quae paullum antea in hac ipsa epistola ad arguendam Lutheranorum delitescentiam protulerat; *tum* quod ad Londinensem Confessionem haec verba idcirco referri neque-

---

[1]) Ibid. in praefatione p. VII. Astipulati Vinkio quoque sunt Cl. van Oosterzee, *Jaarboeken voor wetensch. Theol.* VIII. p. 736 et in *Waarheid in liefde* a. 1849. p. 922, ut et Cl. Muurling, *Over de echt christel. Beg.* enz. Gron. 1849.

[2]) Vinke, o. l. p. 281.

[3]) Lasci *Opera*, Vol. II. 327.

unt, quoniam, non *bona ex parte*, quemadmodum hic loquitur noster, sed *nulla prorsus parte* in ipsa confessione locus de sacramentis expenditur. Non est quod propterea contendam, Confessionem, quam edidit, a Londinensi Confessione diversam esse. Acu sane rem tetigit Vinkius. Quod volo, hoc tantum est: partim perexegui, partim nullius pretii esse argumenta, quibus authentiam huius confessionis vindicare conatus sit. Paucissimis igitur ipse huius Confessionis historiam ipsius potissimum Lasci verbis tradere et cur debilis Vinkii ratiocinationis conclusionem tamen accipiam, obiter indicare conabor.

Primum hanc Confessionem *latino sermone*, ut recte vidit Longius, Londini a. 1551 prelo noster submisit, quod his eius ad Bullingerum docemur verbis in ep. d. 7 Ianuarii a. 1551 data: „Ecclesiam porro ita colligimus, ut qui in illa censeri „velit, *editae per nos confessioni nostrae* subscribat ... *Eius* „porro *confessionis nostrae* aliquot exemplaria ad te transmitto „ut nostrae doctrinae rationes cognitas habeatis. Vellem autem „et D. Calvino unum a vobis transmitti, cui nostra omnia alioqui „probari cupimus." [1]) Ad Imannum Ortzenium quoque eius exemplar his verbis a. 1551 misit: „Utque specimen aliquod „habeas nostri hic ministerii, mitto tibi eius doctrinae compen„dium." [2]) Huc quoque faciunt, quae a. 1555 ad Sigismundum noster: „Mox communi assensu omnium utriusque Ecclesiae „ministrorum ac seniorum *aedita est fidei publica professio*, „cuius potissimum nomine Ecclesiae ipsae colligerentur," [3]) et paullo post „id quod aedita alioqui ante quinquennium fere „*Ecclesiae nostrae confessio* luculentissime testatur." [4]) Ipsum denique libelli titulum in ea, quam a. 1551 ad Hardenb. dedit epistola, sic describit: „Alioqui summa doctrinae nostrae „praeter causam Sacramentariam habetur in *Compendio Doc„trinae Ecclesiarum hic nostrarum*, quod hic edidimus et ad „te transmisimus." [5]) Quod autem omne nobis eximit dubium, huius ipsissimae editionis exemplar est, in Dublinensi bibliotheca a nobis detectum, qua in re faustam fortunam meam

[1]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 646.
[2]) Ibidem, Vol. II. p. 651.
[3]) Ibidem, Vol. II. p. 11.
[4]) Ibidem, Vol. II. p. 32. Cf. etiam Vol. II. p. 690.
[5]) Ibidem, Vol. II. p. 663. Cf. ibid. p. 645.

vix satis praedicare possum. Sic enim patria, quam diligo et veneror, Ecclesia vetustissimae, qua usus est, confessionis, non versionem tantum, sed authenticam et genuinam editionem latino, quo excusa fuit, sermone tandem recuperavit. Asservat pretiosissimum hunc libellum Trinitatis Collegii, quod Dublini est, bibliotheca, [n°. F. 00. 48. N. 8], huncque prae se fert titulum Confessio:

Compendium Doctrinae de vera unicaque Dei et Christi Ecclesia, eiusque fide et Confessione pura: in qua peregrinorum Ecclesia Londini instituta est, autoritate atque assensu sacrae maiestatis regiae, quem Deus Opt. Max. ad singulare Ecclesiae suae decus ornamentum ad defensionem (per gratiam suam) servet gubernet et fortunet. Amen. Una cum publicis precibus eiusdem Ecclesiae. Matth. 18, *Qui vos recipit, me recipit. Londini, excudebatur, in Officina Stephani Mirdmanni* 1551 [1]). *(Cum privilegio ad imprimendum solum.)*

Inscriptus est libellus Edwardo VI, cui prolixa epistola eum dedicavit noster, et ad calcem, ut iam titulus docet, brevis Ecclesiae Peregrinorum Liturgia ei adiecta est. Reapse Lascum hanc Confessionem agnoscere autorem, doctrinae, quam profitetur, species, quae et in genere et in singulis capitibus Lasci mentem ubique redolet, magis etiam argumentandi ratio et dicendi formulae certissime evincunt: quod tamen disertius hic expendere longius esset nimisque in devias nos abduceret, quare in ipsius vitae narrationem id differre potius duximus [2]).

Latina, quantum scio, editio iterata non est. Pergamus igitur ad *belgicam versionem*, quae in hoc libello, quippe celgicae Ecclesiae destinato, peculiare habet momentum. Debetur ea curis atque studiis nobilissimi Gandavi, IOANNIS UTENHOVII, qui ipse totidem hoc testatur verbis in praefatione Catechismi Londinensis: „ Quem (Catech. sc.) iis petentibus ipse belgice

---

[1]) Hinc apparet erravisse Cl. Venema eiusque autoritate Cl. Vinke, qui anno 1550 eam editam fuisse perhibent Cf. VENEMA, o. l. VII. 252. HERINGA, *Kerk. Raadsr.* p. 285. Quod a. 1555 ad Sigismundum scribit à Lasco „*ante quinquennium editae*" sic intelligendum est, eam a. 1550 excusam et initio anni sequentis in lucem fuisse editam.

[2]) Cf. MICRONII, *Apologie*. 1558. f. 149 „*want het zijn werck is in 't latijn.*"

„ transtuli, qua in re vernaculo sermone saepius non absque „ licentia quadam usus sum, *quemadmodum etiam in Confes- „ sione feci.*" [1]) Ter prodiit versio. Primum Londini edita est a. 1551 apud Myerdmannum. Repetita haec est a. 1553 in eadem urbe. Tertia denique a. 1565 Emdae prelo Ctematii est submissa. Editionis a. 1551 titulus hic est:

Een Cort Begryp der leeringhe van de waerachtighe ende eender Ghemeynte Gods ende Christi, ende van 't Gheloue ende belydinghe deweleke, door de Ghemeynte der Wtlandischen te Londen inghestelt is. Met een voorrede van Ian a Lasco, Superintendent en die andere dienaren der wtlandischer Gemeynten tot Londen inghestelt aen Prins Eduard den sesten Coning van Engellant etc. met bygevoegde Forme der ghemeyner gebeden, die men in de gemeynte der wtlandischen is gebruyckende. Item eenige psalmen, tien in getale, 1, 2, 3, 51, 103, 120, 124, 125, 127, 130. *Het Vader Onze ende Symbolum Apostolicum. Londen by Steuen Myerdmann.* 1551. 8°. *Per regalem auctoritatem.*

A capite ad calcem igitur edidit Lasci libellum Utenhovius et quaedam praeterea de suo adiecit. Descripsimus hunc titulum ex annotatione manu scripta, quam in bibliotheca Remonstrantium, quae Amstelodami est, detegimus et quae saeculo XVII°, ut ex atramento quo signata et e manu qua exarata est luculenter patet, adscripta fuit exemplari editionis a. 1565. Fide autem dignissimum esse testem et praesto se vetustissimam habuisse reapse versionem, qui haec ad calcem adscripserit, variae testantur lectiones e prima editione in tertiam ab eo in margine annotatae.

Qualisnam secunda fuerit huius versionis editio, incertum est, quippe cuius nullum hucusque erui potuerit exemplar. Vel sic tamen exstitisse eam ex hisce ipsius Utenhovii verbis abunde efficitur: „ Mox e nostris duo Lubecam profecti, „ consuli rem omnem exponunt, hospitium hybernum propter „ Christum postulantes, seque id credere testantur, *quod brevi „ quadam fidei confessione, quae Belgica lingua anno* 1553 *no- „ mine Ministrorum Belgicorum Londinensis Ecclesiae excusa „ fuit,* quam secum habebant, comprehensum erat." [2]) Priori

[1]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 340.

[2]) Utenhovius, *Simpl. ac fid. narratio.* 1560. p. 166.

hanc editionem ab omni parte similem fnisse, idcirco opinarer quod eiusmodi duntaxat in tertia editione variae occnrrant lectiones, quas mutata Ecclesiae conditio postularet. Anno 1553 autem Ecclesia peregrinornm eandem ntique referebat imaginem atque eo tempore quo prima excnsa fuit editio.

Tertia denique editio sic inscribitur:

Een kort begrijp der leeringhe van de waarachtige ende eenighe Ghemeynte Gods ende Christi, ende van haer gheloove ende oprechtighe belijdinghe (tunc seqnitur stemma Ctematii, hoc cinctnm lemmate: *Het rike der hemelen is als een verborgen schat in den acker. Math.* 13) *Roman.* 10 *b.* 10, *Metter herten geloofmen ter gerechtigheyt, ende metten monde doet men belijdinge ter salicheyt.* In fine legitur: *Ghedruckt te Embden bij Gellium Ctematium. Anno* 1565.

Multum hanc editionem a prima, unde desumpta est, mutatam esse, ipse iam titulus nobis ostendit. Addita snnt vocabula *ende oprechtighe*, alium e sacris scripturis exhibet locum, et contra omisit, quae in primae editionis titulo inde a *dewelcke door* usqne nd *regalem autoritatem* seqnebantnr. Quod tamen maioris momenti est, in ipso qnoque libello Lasci ad Edwardnm desideratur epistola et brevis Londinensis Ecclesiae Litnrgia non amplius in fine reperitur. Quae porro in ipsa confessione de industria mntata sint, longius esset recensere et ipse diiudicare poterit lector, qni obiter varias inspiciat lectiones, qnas in fine confessionis ad marginem dedimus.

Unum tantum hnins editionis exemplar snperesse, censuit Cl. Vinke, id nimirum qnod Bibl. Ultraiectina possidet (Theol. Oct. n. 711): alterum eius exemplar nos igitur indicare posse, est quod vehementer gaudemus. Exquisitissimum namque et vere pretiosum libellum, de quo iam monuimus, in bibliotheca Remonstrantium Amstelodamensi deprendisse nobis contigit. Catalogi numerum adscriptum sibi habet *centesimum decimum quintum* et praeter versionem Confessionis Londinensis, omnia fere liturgica et symbolica eiusdem Ecclesiae scripta continet. Sequuntur haec in libello huius bibliothecae ordine qnem dicam: 1°. *Catechismus Lond. maior* ed. a. 1558 apnd Ctematium. 2°. *Catechismus Lond. minor*, qnem Micronius conscripsit, ed. a. 1558 apud Ctematium. 3°. *Brevis*

fidei exploratio, ed. a. 1558 apud Ctematium. 4°. *Een en dertigh Psalmen ende ghebeden*, ed. a. 1558 apud Ctematium. 5°. *Ses en twintigh Psalmen*, ed. a. 1559 apud Ctematium. 6°. *Elf Psalmen*, ed. a. 1559 apud eundem, et 7° denique loco Confessio nostra, ed. a. 1565, omnem libellum claudit. Officiosissime mihi hunc libellum administravit et, quoties eum postulavi, mihi eius copiam fecit Bibliothecae huius praefectus, Vir Cl. Tidemann. Utrumque textum, tum latinum, tum belgicum, excudendum curavimus: latinum ad fidem vetustissimae editionis a. 1551, belgicum vero secundum editionem a. 1565. A latere utrique textui scripturae locos apposuimus, qui, etsi in plerisque concinant, ita subinde tamen differunt in singulis editionibus, ut diversa plane series reapse exstiterit.

20. Catechismus londinensis maior (a. 1551 edit.).

[Lasci *Opera*, Vol. II. 341—475.]

et

24. Catechismus emdanus minor (a. 1554 edit.).

[Lasci *Opera*, Vol. II. 495—543.]

Londinensis et Emdani Catechismorum origo fataque tam arcte cohaerent inque tam multis perplexa sunt invicem et commixta, ut simul utriusque historiam expendere compendium suadeat atque diluciditas. Ne autem intricatus expositionis nostrae successus nostram in hac re sententism obscuret nimis atque implicet, statim ab initio edicemus, quid de utroque Catechismo censendum nobis videatur. — Videlicet a. 1546 à Lasco una cum symmystis, Frisiae Orientalis idiomate, in Ecclesiae huius ditionis usum prolixiorem Catechismum in scripto condidit, qui, complusculis exscriptus exemplaribus, in Ecclesiis reformatis Frisiae Orientalis obtinuit usque ad a. 1554: pro concione autem explicari desiit fortasse ob furias interimisticas ab a. 1549—1551. Eundem Catechismum vertit belgice et paucissimis mutatis eum Londini

a. 1551 edidit Ioannes Utenhovius. Cum tamen longior is videretur, qui semel quotannis a tenuioribus edisceretur, breviorem Catechismi formam, quae Micronium autorem agnoscit, ei apposuerunt Londinensis Ecclesiae presbyteri; quorum imitaturi exemplum, Emdanae quoque Ecclesiae pastores a. 1554 e maiori Catechismo contractam eamque multo concisiorem Catechismi formam cuius ipse à Lasco longe primarius auctor habendus est, publica sanciverunt auctoritate.

Ante suum e Phrisia Orientali abitum Emdae cum symmystis scripto edidisse Lascum maiorem Catechismi formam, certissimis testimoniis constat. Diserte hoc Emdani pastores testantur in brevioris Catechismi praefatione, ubi sic legimus: „ A plerisque rogatis ... parvum componeremus Catechismum, „ ... visum est nobis diligenter id atque de novo suscipere, „ experientia doctis, *Catechismum quo nunc per aliquot annos* „ *usi simus*, esse longiorem, quam ut bis quotannis plene absol„ veretur." [1]) Eodem quoque haecce Utenhovii verba tendunt: „ nimirum idem ille Catechismus, quo Frisii Orientales utun„ tur, quemque iis petentibus ipse belgice transtuli." [2]) Adstipulantur etiam pastores qui a. 1594 huius Ecclesiae reformationis ediderunt apologiam et a calumniis obtrectatorum Ecclesiam sibi commissam data opera tueri enisi sunt [3]). Eandem prorsus tulit EMMIUS sententiam, hisce mentem suam explicans verbis: „ Catechesis maior quam ipse (à Lasco) olim „ in usum Ecclesiarum huius regionis, priusquam in Angliam „ abiret, conscripserat, sed praelo non subiecerat, quanquam „ exemplaria multa exscripta in manibus essent omnium." [4]) Quod denique rem plane conficit, ipse noster totidem verbis id in sua ad Hardenb. epistola, d. 1 Ianuar. 1554 data, suo id confirmavit testimonio: „ Et ita inter nos convenit, ut tres si„ mul Catechismos edamus: maiorem, *quem hic una omnes* „ *formavimus*." [5]) Epistola namque Emdâ Bremam missa est,

[1]) LASCI *Opera*, Vol. II. p. 496.

[2]) LASCI *Opera*, Vol. II. p. 347.

[3]) *Gründtl. warhafft. Bericht von der Evang. Reformation tho Emden*. Bremen 1594. p. 173, 4.

[4]) UBBO EMMIUS, *Rer. fris. hist.* Lib. LX. p. 948.

[5]) LASCI *Opera*, Vol. II. p. 696.

et vocula „hic" igitur ad Emdanam urbem unice referri potest. Quod autem scribit, se *formavisse* eum, eos necessarie spectare annos, quos ante suum in Angliam abitum in illa urbe degerit, obiter monuisse satis est.

Ad annum circiter 1546 his de causis eum referendum esse censui, quod eo fere tempore in Ecclesia sua ordinanda summopere Lascum occupatum fuisse constat. Quae supra de *Epitome doctrinae Eccl. Phrisiae Orientalis* paucis expedivimus, egregie iam huc faciunt. Videlicet duo sibi proposuisse noster videtur, nempe ut ét doctrinam ét disciplinam Emdanae Ecclesiae ad certam revocaret normam: illam *Epitome* certis circumscriberet finibus, de hac vero sic ad Hardenbergium scribit anno 1544: „Meditamur nunc quandam disciplinam „in nostra hic Ecclesia, cui omnes fere hactenus manibus, „quod dicitur, et pedibus restiterunt." [1]) Ceremonias denique liberas ut plurimum in tempore servare potius duxerat, quod haec eius verba evincunt: „Nos hic ceremoniarum ex„ternarum nullas certas leges praescribimus," [2]) et quae eodem anno ad Pellicanum scribit: „Ego hic nullas caeremo„niarum leges praescribo." [3]) Quum autem *Epitome*, qua doctrinae consulere voluisset, vehementer displiceret amicis et heterodoxiae nota ab ipso Melanchthone signaretur, hanc eum Catechesin composuisse, ut scopum, a quo tam misere aberravisset, tandem feriret, tam egregie rerum successum nobis explicat, ut sit veri facile simillimum; explicat quoque cur typis excudi Catechismum noluerit, utpote qui eandem hic illic redoleret doctrinam, quam improbavissent quidem amici, ipse tamen Lascus nondum abiecisset prorsus atque excussisset. Ad annum denique 1546 eius compositionem hanc ob causam distulimus, quoniam a. 1545 exeunte demum Tigurinorum censuram accepit, et aliquod saltem temporis intercesserit spatium, priusquam omnem Epitomae suae amicis approbandae destituisset spem.

Tempore furiarum interimisticarum porro in huius ditionis

[1]) Ibidem, Vol. II. p. 574.
[2]) Ibidem, Vol. II. p. 765.
[3]) Ibidem, Vol. II. p. 584. Cf. etiam Gabbema, *Ep. ill. vir.* p. 83.

Ecclesia nullum Catechismi explicationi fuisse locum, clare perspicitur ex iis, quae ipse noster de ea Ecclesiae conditione ad Ducem Prussiae scribit: „Ad extremum missi sunt a „Principe, qui templum nostrum collegis meis praecludi il„losque a publicis concionibus abstinere iuberent." [1]) Post annum vero 1551 redintegratam esse eius pro concione institutionem, ipsi Emdanae Ecclesiae pastores in recentioris Catechismi praefatione his mihi indicare videntur verbis: *den wy nhu* (i. e. a. 1554) *ettlicke Iaren her gebrucket hebben* [2]).

Londini a. 1551 Utenhovium eundem Catechismum in belgicum idioma transtulisse, totidem verbis nobis ipse narrat in praefatione quam versioni suae praemisit. Haec eius verba volo: „Iam ne tertium quoque, institutio parvulorum, „Ecclesiae nostrae desit, ministris una cum presbyteris ae„quum visum est atque necessarium ... ut Catechismus sive „institutio parvulorum Ecclesiae offerretur, nimirum idem „ille Catechismus, quo Frisii Orientales utuntur, *quemque iis „petentibus ipse belgice transtuli.*" [3]) De hac versione ipse à Lasco loquitur in sua ad Hardenb. epistola: „Mitto tibi *Ca„techismum Flandricum nostrae hic Ecclesiae.* Non vacavit ex„emplaria legere, nedum compingere libellum; tamen D. Da„nieli inscriptum correxi, ex hoc corrigetis reliqua. Hunc „alterum fasciculum rogo Emdam transmittas ad D. Quaesto„rem;" [4]) quo fasciculo eiusdem hauddubie Catechismi exemplaria quaedam continebantur. Eundem librum respiciunt etiam quae Catechismo Micronii praefatus est: „Minori hoc „Catechismo hoc non agimus, *ut e manibus vestris maiorem illum „deponatis,* qui in Ecclesia nostra quavis die Dominica serie „solet explicari." [5]) Prodiit haec versio sub hoc titulo:

De Catechismus, oft Kinderleere, diemen te Londen, in de Duytsche ghemeynte, is gebruyckende. — *Psal.* 119. *Hoe sal*

[1]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 630.

[2]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 497.

[3]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 346.

[4]) Ibidem, Vol. II. p. 653.

[5]) Ibidem, Vol. II. p. 671. Commemoratur etiam in „Christ. Ordin. der Nederl. Gemeinte Christi ... te Londen. Ibid. 1554." p. 62, et *Forma ac ratio* (Lasci, *Opera*, Vol. II. p. 97). Cf. Voetius, *Pol. Eccl.* P. I. p. 350.

een iongkelinck syn leuen onstraffelyc leyden; ten sy dat hi dat stelle na den eysch ws woordts. Ghedruct tot Londen, by Steuen Myerdmann. a. 1551.

Utenhovii praemonitoria epistola data est ad diem 1 Maii a. 1551. Interrogationum numeri desiderantur et scripturae loci, e latere adscripti, rariores sunt. Repetita haec editio est Londini a. 1553, titulo in hunc modum paullum immutato:

De Catechismus, oft Kinderleere, diemen te Londen, in de Duydtsche Ghemeynte, ghebruyckende is. — Psal. 119, *Hoe sal een iongkelinck syn leueu onstraffelyc leyden; tenzy dat hy dat stelle, na den eysch ws woordts. Gedruct tot Londen, by Nycolas van den Berghe. anno* 1553.

A prima versione secunda passim differt, uti crebrae variae lectiones docent, quas ad marginem textus nostri ubique locorum adnotavimus et hic singulos recensere longius esset. Uno tamen verbo lectoris animum ad eum adverti oportet locum, qui de Iesu ad inferos descensu agit, et ubi septem integras interrogationes in textum inseruit noster [1]). Ipsi namque Lasco hoc additamentum deberi, quamvis sub Utenhovii auspiciis typis excusus sit liber, propterea affirmare ausim, quod ipse in Londinensi Ecclesia tristissime erat expertus, suam de hoc loco sententiam haud satis sollerter fuisse in Catechismo expensam [2]), quare uberiorem huius loci explicationem in reiterata editione eum adscripsisse, perquam verisimile est. Obiter tantum observo in Utenhovii epistola praemonitoria sub finem pro: *datum* xv *Maii* 1551, scriptum reperiri: *datum* xv *Maii* 1553, quod ab ipso Utenhovio additum esse, in promptu est [3]).

Tertiae editionis titulus a secundae, magis etiam quam secundae editionis a primae titulo differt. Sic se habet:

De Catechismus, oft Kinderleere diemen te Londen, in de Duydtssche Ghemeynte was ghebruyckende. — Psal. 119. *Hoe sal een iongkelinck zijn leuen onstrafelick leyden; ten sy dat hy dat stelle na den eysch dijns woordts. Ghedruckt te*

[1]) Vide Lasci *Opera*, Vol. II. 424.

[2]) Cf. *Ep. ad Bullingerum.* Lasci *Opera* Vol. II. 677.

[3]) Cf. Isaäc le Long, *Kruiskercken*, p. 33.

Embden, by Gellium Ctimatium (sic!) *Anno* 1558 *Septemb.* 20.

In ipso textn vero prorsus cum editione hnius versionis secunda concordat, et nonnisi levissima quaedam observatu vix digna reprehenduntur in vocabulorum elementis componendis discrimina.

An pluries etiam haec versio praelo subiecta sit, incertum est. Crediderim tamen, propterea quod Heidelbergensis Catechismus e Datheni versione, qui Lasci Catechismum apud populares excepit, decennio plus tertiam editionem egreditur et in tantum temporis spatium unius editionis exemplaria vix suffecerint [1]).

In textu nostro ad litteram excusam invenies vetustissimam huius versionis editionem, quae a. 1551 Londini prodiit, una cnm latina *reproductione*, quemadmodum vocari solet, quam ipsi curavimus. Ad calcem ubique e secunda editione varias adscripsimus lectiones, quas memorabiles deprendimus, et in margine versionis belgicae scripturae locos ex editione a. 1551, in margine vero textus latini, eos qui in editione a. 1553 reperiuntur, sedulo annotavimus. Originalis huius Catechismi textus, latino proculdubio sermone, ab à Lasco compositus, ut et prisca idiomate Frisiae Orientalis versio, plane excidisse videntur. Belgicae versionis editionem primam et secundam possidet mihique officiosissime in nsum meum concessit Vir plur. vener. WIARDA, Ecclesiae Frisiae Orientalis Superintendens et in pago Sunrhuusen sacrorum antistes: — editionem secundam praeterea asservat Bibliotheca Emdana (*Theol.* 8°. 1323); — tertiam denique administrare potest Bibliotheca Remonstrantium, quae Amstelodami est (N. 115).

Sententiam, quam hic paucis expedivimus, a. 1783 acriter impetiit vir doct. BRUCHERUS, qui in urbe Appingadam tunc temporis Rectoris munus cum sacro ministerio coniungebat. Incredibili, qua callebat, loquacitate in opere periodico „*Boekzaal der geleerde wereld*" demoustrare ille conatus est,

[1]) Commemoratur etiam editio 4a. a[1] 1563 Cf. BRUCHERUS, *Boekzaal der geleerde wereld*, Pars. 139. a. 1783 m. Octobr. p. 421. MEDER, *Openl. kerkleer der Ev. Geref. Gem. in Emden*. Emdon 1804. I. p. 136: nullibi tamen eam deprehendere potui.

nullam ab à Lasco, priusquam Emdâ proficisceretur, compositam esse catechesin, sed vero a. 1551 primum Londini hunc Catechismum latino sermone ab à Lasco esse conscriptum, ab Utenhovio belgico idiomate versum, et, hac demum versione Londino Emdam aliquot exemplaribus missum, apud Frisiae Orientalis Ecclesiam quoque obtinuisse. Suo iure adversariis extorsit argumentum, e Lasci ad Hardenbergium epistola, d. 28 Martii 1554 data, petitum, ubi verba: „quod vel nostris „hic Ecclesiis ante meum hinc abitum in scripto meo datum. „reliqueram," [1]) unice ad *Confessionem de Coena* referenda esse, recte vidit. In eo quoque ultro eius argumentationi adstipulor, ubi demonstrat, erravisse qui ad a. 1540 huius Catecheseos compositionem retulerint, quippe cuius nulla fiat mentio in libro „Polizey und Kirchenordnung", a. 1545 ab Anna Comitissa promulgato. Quod tamen verba Lasci, supra iam citata „quem hic una omnes formavimus," in suum convertat usum, iniuria profecto hoc fecit, quum vocula *hic*, ubi occurrit in Epistola, quae Emdâ data est, necessarie Emdam velut manu nos reducat. Quae porro a silentio duxerit argumenta, nullius fere praetii esse, res ipsa loquitur. Cuius farinae hoc quoque eius argumentum est, in Londinensi Ecclesia doctissimos et peritissimos complures fuisse viros, qui suo marte novum condere Catechismum egregie valuissent, neque igitur aliunde desumptum suae Ecclesiae impertierint. Quod denique ultimo loco monet, belgico idiomati cum lingua, qua Frisii Orientales uterentur, tantam intercessisse affinitatem, ut irrita prorsus et supervacanea fuisset ex altera in alteram versio, evidenter ipse infregit eventus, quo docemur, Catechismum Emdanum anni 1554 diu post, a. 1717, in belgicum sermonem translatum esse [2]). Haud infeliciter respondit Bruchero et Emdanum huius Catechismi originem apte et strenue defendit Wiebrandtsius in eodem opere periodico, in quo eum aggressus erat Bruchernus [3]), qui frustra deinceps Wiebrandtsii argumenta convellere conatus, solamen quaesiit in conviciis, ut

---

[1]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 699.

[2]) *Boekzaal der geleerde wereld*. Pars. 139. a. 1783. m. Octobr. p. 407—421.

[3]) Ibidem. Part. 140. a. 1784 m. Ian. p. 59—69.

fieri solet, quoties cum ira et studiis disputantur, quae sola historia diiudicare et dirimere potest [1]).

Iam ad Catechismum Emdanum, proprie sic dictum, descendamus, qui a. 1554 a pastoribus Ecclesiae Emdanae editus est atque promulgatus, et de quo haec tria ordine demonstrabimus: 1°. hoc anno novum Catechismum Emdae promulgatum esse: 2°. esse hunc Catechismum breviculam formam eiusdem Catechismi, qui inde ab anno 1546 iam apud Frisios Orientales obtinuisset, et 3°. ipsum à Lasco primarinm huius brevioris Catechismi habendum esse auctorem.

1. Gellius Faber de Bouma inter pastores Emdanos Lutheranorum placitis maxime favebat. Quamdiu vero ipse à Lasco praesens Ecclesiae res illic moderabatur, palam ei resistere sive recalcitrare ob insignem Lasci autoritatem neque ausus erat neqne potuerat. Vix tamen ille solum verterat seseque contulerat in Angliam, quum Gellius eius provinciam invadere et doctrinam, quae hucusque Emdae obtinuerat, immutare proque suo arbitrio vertere studuit Lasciqne doctrinae modis omnibus perniciem machinatus est. „Et eo res tandem" ut ipse à Lasco rem narrat „me nihil quidquam vel sciente „vel etiam suspicante, est deducta, ut doctrina sacramentaria „cui omnes alioqui symmystae mei subscripserant, corrigi „coeperit, ac, ne ea sola corrigi videretur, totius Catechismi „recognitio instituta est. Haec vero mihi demum in Anglia „versanti indicata est, sed non facta ulla mutandae ullo modo „doctrinae significatione. Itaque nec ego recusabam, quomi„nus Catechismus recognosceretur. Eo porro recognito sub„oluit plerisque fucus, atque in ... publico consilio consti„tuebatur, ne recognitus ille Catechismus invulgaretur, prius„quam ad me mitteretur meaque de illo sententia haberetur. „Ibi vero recognitor ille moras nectere ... Breviter, editum „volebat recognitum Catechismnm illum, non exspectata mea

---

[1]) Ibidem. Pert. 140. a. 1784 m. Iunii. p. 650 et m. Aprilis. p. 400 sq. Hoornbeeckii auctoritate (*Vet. et Nov. Lect.* 1. c. 12. p. 339). Brucherus asserit Italice quoque hunc Catechismum versum esse. Cf. *B. d. G. W.* Oct. 1783. p. 416.

„ sententia, denique iam curaverat, ut typis mandaretur. Interea vero ego ex Anglia venio ... et priusquam in Frisiam pervenissem, admoneor ... novum Catechismum sub „ prelo esse, qui diversam doctrinam a mea contineret." [1]) Bremae eum excudi fecerat Gellius, quare ingressus Frisiam, bonis hac in re Hardenbergii, Bremensis pastoris, gratiis usus, eius editionem prohibere voluit Lascus, ut patet ex epistola, d. 25 Decembr. 1553 ad Hardenb. data, ubi sic legimus: „ Et esto ut iam imprimi coeperit et tu efficere ullo „ modo queas, ut editio interrumpatur, oro te, da operam „ quantum potes ut id fiat ... et ut ocius editio interrumpatur, facies nobis rem multo gratissimam et Ecclesiis nostris „ valde utilem;" [2]) et paullum post ad eundem eadem de re scribit: „et ita inter nos convenit, ut tres simul Catechismos „ edamus: *maiorem*, quem hic una omnes formavimus, hunc „ *Gellii*, paucis mutatis, et tertium, *minimum*, pro pueris te„ nuioribus." [3]) Totius rei eventum his denique Bullingero nuntiat verbis: „ Mox editus est Catechismus [4]), consensu „ omnium, reiectis prioribus illis recognitionibus." [5]) Quibuscum egregie concinunt, quae pastores Emdani in praefatione huius Catechismi ad totius Frisiae Orientalis ministros scribunt: „ Quare vos unanimiter omnes rogatos velimus, viri „ fratres! gratam hanc nobis diligentiam referre et Catechismum „ huncce, nunc primum in lucem editum, in usum vestrum „ recipere ... velitis." [6]) Quamvis igitur Gellii Catechismus premeretur ipse, ansam tamen dedit ut novus Catechismus Emdae conderetur.

---

1) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 711.

2) Ibidem, Vol. II. p. 695.

3) Ibidem, Vol. II. p. 696 (d. I Ian. 1554). Cf. quae d. 28 Martii 1554 ad eundem scribit. Ibidem, Vol. II. p. 699.

4) Absonum primo obtutu videtur, quod dicit, *Catechismum editum esse*, quasi priori eaque multo prolixiori forma esset divulgatus. Quare observent velim, qui hac dicendi formula offendantur, ad Bullingerum haec scripta esse, cui totius rei successus parum innotuerat, adeoque id in primis et unice fere Lascum spectare, ut *reiiectis recognitionibus* qualemcunque tandem Catechismum editum esse, ei scribat.

5) Ibidem, Vol. II. p. 712.

6) Ibidem, Vol. II. p. 496.

2. E priori Catechismo hunc Catechismum contractum desumptumque esse, non eo sensu perhibere volo, quasi ad litteram e Londinensi Catechismo Emdana Catechesis compendiaria forma descripta esset, sed vero ea ratione Emdanum Catechismum conditum esse, ut vetus ille Catechismus, qui inde ab anno 1546 apud Emdanos viguisset, perpetuo ob oculos fuerit auctori, ubique doctrinae praebuerit materiam, et in gravissimis locis dicendi quoque formulam circumscripserit. Quantum porro a vetusto Emdano Catechismo discrepuerit versio Utenhovii haud facile dictu est, quum editio unde versio desumpta sit, ipsa prorsus perierit. In componendis igitur Londinensi et Emdano Catechismo probe semper observandum est, non ex illo hunc sed vero e prisca Emdana Catechesi esse contractum. Seriem quoque in utroque Catechismo procul a se invicem distare communi origini nil quidquam officit, quum id in primis viri periti sit, alia via adultos, alia vero tenuiores ad scopum, quo tendat, adducere. Hoc denique rite expendant velim, qui diiudicare hanc litem cupiant, libere magis et expedite semper in tali re versari ipsum auctorem, qui librum, unde libellus decerpatur, condiderit, quam si quis alterius cuiusdam mentem enucleate et concinnius suo marte expendat. Anxius in litterulis dicendique formulis haerebit epitomator: pro suo arbitrio libere mentem suam alia forma ipse auctor expediet. Optime ipsa Catechismorum compositio, quantum in commune habeant, nobis ponet ob oculos, in cuius rei gratiam iuxta se invicem eas receusebimus quaestiones, quae affinitatem suam ultro produnt. In Catechismo Emdano igitur novae nonnisi hae interrogationes sunt: 2, 3, 19, 26, 43, 52, 68, 70—72, 74, 85, 88, merito contra inter se conferri debent, quae sequuntur: Emd. Cat. q. 1 cf. c. Lond. Cat. q. 1, E. 4 (L. 2, 3, 14), E. 5, 6 (L. 15), E. 7 (L. 13), E. 8 (L. 21, 22), E. 9 (L. 24, 25), E. 10 (L. 33), E. 11 (L. 42—44), E. 12 (L. 50—54), E. 13 (L. 56, 57, 75), E. 14 (L. 62, 63), E. 15 (L. 66, 67), E. 16 (L. 69, 70), E. 17 (L. 72, 73), E. 18 (L. 74), E. 20 (L. 77), E. 21, 21 (L. 79, 80, 85), E. 23 (L. 86—89, 90—95), E. 24 (L. 90), E. 25 (L. 179, 180), E. 27 (L. 118), E. 28 (L. 119), E. 29 (L. 120). E. 30 (L. 123, 125), E. 31 (L. 131, 132, 136), E. 32, 33 (L. 139—147),

E. 34 (L. 147), E. 35 (L. 148—152), E. 36 (L. 152^a—152^e ed. a. 1553), E. 37—39 (L. 153—156), E. 40 (L. 157—160), E. 41, 42 (L. 161—163), E. 43 (L. 164—166), E. 44 (L. 6, 7), E. 45 (L. 168, 169), E. 47 (L. 169), E. 48 (L. 174, 176), E. 49 (L. 181—189), E. 50 (L. 191), E. 51 (L. 170—173), E. 53, 54 (L. 215—218), E. 55 (L. 226), E. 56 (L. 228), E. 57 (L. 227), E. 58 (L. 229), E. 59 (L. 230), E. 60 (L. 231), E. 61 (L. 233—236), E. 62 (L. 237—239), E. 63 (L. 242), E. 64 (L. 240), E. 65 (L. 243), E. 66 (L. 244), E. 67 (L. 244), E. 69 (L. 245, 246), E. 73 (L. 173), E. 75 (L. 171), E. 76, 77 (L. 194), E. 78 (L. 196), E. 79 (L. 199), E. 80 (L. 200), E. 81 (L. 201, 202), E. 82 (L. 203), E. 83 (L. 204), E. 84 (L. 205, 206), E. 86 (L. 207), E. 87 (L. 207), E. 89 (L. 208—210), E. 90 (L. 211), E. 91 (L. 212), E. 92. (L. 213), E. 93, 94 (L. 214). In locis denique gravissimis et qui tunc temporis maximi erant momenti, quale argumentum de Coena Domini erat, ad litteram usque saepius Emd. Cat. textum e veteri Catechesi desumptum esse, luculenter haec docebit tabula, quae utrumque textum a latere sibi appositum invicem exhibet.

Catech. Londin.	Catech. Emd.
Q. 243. *Waertoe is dat nachtmael in sonderheyt ingheset?*	Q. 65. *Wartho isset denn vornemlicken ingesettet?*
R. *Ten eersten, dat het ons besegele de gemeinschap des* warachtigen *lichaems ende bloets Christi, met alle vruchten ende gauen ons door synen lichame ende bloede verworven.*	R. *Thom ersten dat idt* alle gelôvigen (dorch de krafft des hilligen Geistes) betûge, versekere unde *versegele, de* salige *gemeenschup des Lyues unde Blodes Christi, mit allen fruchten unde gauen, de he uns dorch syn Lyff unde Blodt verworuen hefft.*
Q. 244. *Waer uut bewyst ghi dat?*	Q. 66. *War her bewysestu dath?*
Uut de woorden des Nachtmaels ... Want als hi ons gebiet syn lichaem te eten en syn bloet te drincken, dat is door tgeloone ons voetsel ten eewighen leuen van syn lichaem	*Uth den worde des Nachtmals: Wente als hi uns gebut syn Lyff tho ethen unde syn Blodt tho drincken, dat is dorch den gelouen unse spyse* unde dranck *thom ewigen leuende van*

ende bloet te nemen, hangt hi daeran dat voor u gegeuen wordt, voor u vergoten wordt.

synem Lyue unde Blode tho nemende, hangt he daran dat vor juw gegeuen wert, item, *dat vor juw vergoten wert* thor vergeuinge der sunde.

Daer hi mede te kennen geeft,

Q. Wat versteystu daruth?

de wylen wi syns lichaems en bloet deelachtich syn, ouermits wy nu *int gelooue vleesch van synen vleesche ende beenen van synen beenden, hi ons hooft ende wy syn lidtmaten syn, dat wy oock deelachtich syn alles des, dat hi door syn offerhande ende bloetvergietinghe verworuen heeft.* Welck is *versoeninghe met God den Vader, vergeuinghe der sonden, gherechticheyt ende dat eewich leuen.*

De wyle wy synes Lyves unde Blodes deelhafftich syn, fleisch van synem fleische, unde knaken van synen knakenen, he unse hövet unde wy syn Lidtmaten dorch den geloven, so verstha ick daruth, *dat wy ock deelhafftich syn alles des, dat he dorch synes lyues offer unde verstortinge synes Blodes verworuen hefft,* nömlicken *versöninge mit Gade dem Vader, vergeuinge der sünde, de gerechticheit, unde dat ewige levent.*

Conferantur etiam Lond. Cat. q. 1 et Emdan. Cat. q. 1; Lond. Cat. q. 16 verba: *voer mi, noch beneue mi*, et Emd, Cat. q. 5, verba: *vor my edder beneuen my;* Lond. Cat. q. 164, verba: *dat derde deel ende hooftartikel*, et Emd. Cat. q. 43, verba: *dem drudden Hovetartikel;* Lond. Cat. q. 168, vocabula *Christelycke kercke*, et Emd. Cat. q. 45, ubi eadem vocabula occurrunt; denique Lond. Cat. q. 169, verba: *tot harder opbouwinghe ... alle gauen ... ghemeyn hebbende*, et Emd. Cat. q. 47, verba: *ere gauen thor upbouwinghe gemeen hebben.* Quae omnia, ut magis gratuita, communem utriusque Catechismi originem egregie vindicant et tuentur [1]).

3. Unum mihi demonstrandum superest, nempe Lascum huius quoque brevioris Catechismi primarium auctorem esse

[1]) Argumenta, quibus refutare hanc sententiam conatus est MEDER, *De openl. kerkl. der Ev. Ger. Gem. in Emden*, I. p. 155 sq. nullius ponderis sunt, ut primo obtutu unusquisque perspiciet.

habendum. Quodsi in hac quoque causa ad doctrinae affinitatem huius Catechismi cum Lasci cogitandi ratione provoco, immerito mihi obiiceretur, nihil ex hoc argumento concludendum esse, quum res ipsa loquatur, quemvis libellum aliunde excerptum, necessarie conciuere cum eo libro unde desumptus sit. Namque perhibeo eatenus duos hosce Catechismos convenire, ut palam sit, ab altero alterum indubitate pendere, ab altera vero parte eum in modum ab altero alterum differre, ut nemo nisi ipse prioris Catechismi auctor epitomare eum potuerit. Meo igitur iure auctoris indicium in eo quoque latere perhibeo, quod in singulis huius Catechismi locis ubique Lasci sententia et cogitandi ratio deprehendatur. Observatu porro hoc quoque haud indignum videtur, tam caute, tam circumspecte, tam prudenter hunc Catechismum ubique quid censeat eloqui, ut Emdanorum gloria fuerit, suum Catechismum tam diu inoffensum intactumque mansisse [1]), quod peregregie quoque in Lascum eo praesertim tempore quadrat, quum totus paene erat in eiusmodi doctrinae formulis cudendis, quae neutram partem offenderent. Ut tamen ad vivum rem resecemus, data opera ostendam *primum*, Lascum inter auctores huius Catechismi fuisse, *deinde* primarias eum inter eos egisse partes.

a. *Inter auctores fuit.* Auctores ipse Catechismus in titulo agnoscit: „Verbi Divini ministros Emdanae Ecclesiae." [2]) Ergo omnis quaestio utrum Lascus inter auctores fuerit nec ne ex eo pendet, an eo tempore huius Ecclesiae fuerit pastor. Hoc autem absque omni dubio constat. Ut hoc enim primum sumamus: nemo in eius locum successit, quum a. 1549 in Angliam profectus est. Namque Arnoldus Veltman, qui primus post eius abitum pastor huius Ecclesiae vocatus est, Bramii, non Lasci, locum occupavit, adeoque nonnisi a. 1554 Emdanum ministerium sortitus est [3]). Insignis momenti revera

[1]) Cf. U. Emmius, *Hist. rer. fris.* p. 948 et *Gründll. u. warhafft. Ber.* p. 172.

[2]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 495.

[3]) Reershemius, *Ostfr. Prediger Denkmahl der Ref. Prediger.* Aurich. 1774. p. 7 et I. I. Harckenroth, *Emdens Herderstaf.* Emden 1716. p. 7. Quod enim Harckenroth *Iohannum von Halzum* medio posuit loco inter *Brassium* et *Veltmanum*, errore fecit, ut luculenter ostendit Reershemius, qui anno demum 1565 eum Emdam vocatum esse asserit. Cf. Reershemius, o. l. p. 8.

hoc argumentum est, si hisce Lasci attendimus verbis: „Nam „sub hac Ecclesiae meae perturbatione deserere eam nolo, „et si alio migrari cogor, non procul ab illa abero, ut eam „subinde exhortari per litteras et consolari possim, *donec illa* „*me a se desertum esse* RECEPTO ALTERO MINISTRO *testifi*-„*catur*, sed certa mihi spes est hoc ipsam numquam esse „facturam, sed me etiamsi ... abesse cogar, *pro suo nihi*-„*lominus ministro agnituram perpetuo esse*. Huius enim „rei mihi non obscurum indicium fecit." [1]) Eodem sensu ad collegas suos scribit: „Utinam id Dominus largiatur ... ut „una istuc rursum omnes esse possimus, neque ego plane „diffido adhuc id fieri posse." [2]) Sic denique egregie eius ad iram proclivitas intelligitur, quum audiverat id Nicolaum Buscudonensem volvisse animo, ut „suum ministerium invaderet." [3]) Nullum igitur in eius locum suggestum esse ministrum per se iam certissimum indicium nobis esset, eum ex Anglia reducem rursum pastoris munere Emdae functum esse. Litterae autem, quas a. 1554 ad amicos dedit, adeo diserte sententiam nostram confirmant et stabiliunt, ut facile etiam prolato argumento careremus. Nimirum totidem verbis ipse à Lasco, se etiam post reditum suum Superintendentis munere functum esse, sic ad Hardenbergium scribit [4]): „praesertim, cum non ignora-„res, *me adhuc pastorem ecclesiarum illarum fuisse*." [5]) Simul tamen Emdanae Ecclesiae quoque pastorem se remansisse disertius etiam haec eius ad Bullingerum verba clamant: „Et sunt reperti quidem, et quidem symmystae mei, qui id „paulatim auribus instillarent, me ne verbo quidem admonito, „*quem tamen pro pastore agnoscebant*," [6]) et luculentius etiam haec, quae in vicinis leguntur, idem evincunt: „Cedi (i. e. „a. 1555) itaque furiis illorum hortatu totius Ecclesiae, *quae* „*me interim tota unanimiter pro suo adhuc pastore agnoscit*,

[1]) LASCI *Opera*, Vol. II. p. 632.
[2]) Ibidem, Vol. II. p. 637.
[3]) Ibidem, Vol. II. p. 638.
[4]) Ibidem, Vol. II. p. 709. De sola Emdana Ecclesia, dici non potuisset „*illarum Ecclesiarum*".
[5]) Confirmat hoc BRENNEISEN, *Oostfr. Hist. u. Landesverf.* Tom. I. 235, 7.
[6]) LASCI, *Opera* Vol. II. p. 711.

„ neque alium quemquam vult petere aut agnoscere." [1]) Quid in re tam perspicua addam, equidem nescio.

b. *Inter auctores principes egit partes.* Constat certissimis testimoniis, pastores Emdanos, simulatque de recognitione Catechismi, quam Gellius meditaretur, mentio in coetu fieret, Lasci etiamnum in Anglia versantis de ea mutatione sententiam scitatos esse. Ipse à Lasco id hisce ad Bullingerum verbis narrat: „ Eo porro recognito suboluit plerisque fucus, at- „ que ita unanimi symmystarum omnium in coetu publico „ consilio constituebatur, ne recognitus ille Catechismus in- „ vulgaretur, *priusquam ad me mitteretur meaque de illo sen-* „ *tentia haberetur.*" [2]) Mox ipse Frisiam ingressus, „ posco", sic pergit noster „ a recognitore Catechismum, cuius pars iam „ excudi coeperat; adnoto quae mihi non probabantur; postea „ convocatis collegis, de mutata doctrina cum recognitore ex- „ postulo; moneo ne in editione pergat." [3]) Et indignabundus fere ad Hardenbergium sic scribit: „ Ubi intellexissem, genus „ doctrinae in libello mutatum esse, atque illic tradi, quae me „ hic praesente reprehensa semper fuerunt ... *facere pro fide* „ *ac dignitate mei ministerii non potui*, quin huius Gellium „ serio admonerem ... et me oportere adversus eum scribere, „ si libellus ederetur." [4]) E Lasci igitur autoritate omnia hac in re peracta esse, ultro Emdanos pastores Lasci auctoritatem etiam absentis agnovisse, minimeque haesitanter suam adversus Gellium auctoritatem Lascum interposuisse, e hisce verbis apte iam intelligitur. Quibus consentaneum, Gellii editionem suo iure interrupit et distulit [5]): presbyterium permovit, ut Gellii Catechismus, nisi aeterna obduci posset oblivione, mutaretur saltem in iis locis, qui suae doctrinae maxime officerent [6]): tandem ut totus premeretur effecit [7]), et tota denique hac re consopita, postquam novissimi Emdani Catechismi

[1]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 712.
[2]) Ibidem, Vol. II. p. 711.
[3]) Ibidem.
[4]) Ibidem, Vol. II. p. 695.
[5]) Ibidem, Vol. II. p. 696.
[6]) Ibidem, Vol. II. p. 712.
[7]) Ibidem, Vol. II. p. 699.

editionem Bullingero (a. 1555) narraverat, in hunc fere modum gloriatur: „Tantum hoc addam, ita me illic et ministros Ecclesiarum fere omnium et universam meam Ecclesiam, adhaec „et proceres Patriae omnes *in doctrina nostra* confirmatos „planeque consentientes reliquisse, ut numquam antea." [1]) Quis igitur contendat, Lascum, Ecclesiae Phrisiae Orientalis tunc temporis etiam Superintendentem, ut et apud Emdanos sacrorum antistitem, cui omnem ipsi pastores etiam absenti ultro detulissent auctoritatem, cuius nutu atque auspiciis in causa Gelliani Catechismi tantum non omnia peracta sint, qui tam acriter et vehementer doctrinam suam tuitus sit atque defenderit, et in sua doctrina omnes tandem confirmatos consentientesque esse glorietur, — quis contendat, inquam, hunc virum aliis permisisse novi Catechismi compositionem, cuius editionem Gellianae controversiae unice provocassent: Catechismi praesertim, cuius indoles atque ratio clare et perspicue doceant, e maiori Catechesi eum sic fuisse epitomatum, ut nonnisi ipse maioris Catechismi auctor eum tam libere tamque expedite excerpere potuerit. Quin imo ipsa dies, qua Catechismi praefatio data est, ad Lascum auctorem nos manu fere ducit. Fuit ea dies sexta mensis Octobris anni 1554, et gratuito prorsus epistolâ, quam die quinta huius mensis ad Bullingerum dedit, docemur, eum e gravi morbo, cum febre ardentissima coniuncto, restitutum ea ipsa demum die stylum rursum suscepisse, unde egregie explicatur, cur tam sere Catechismus exiret, quippe qui Lasci praefationem exhibere in fronte deberet [2]).

Vetustissima huius Catechismi editio prorsus periisse videtur, quare textum eius repraesentavimus ex Eilshemii recognitione [3]). Eilshemius unum annum, postquam Cat. Emd. ederetur [4]), natus, non tam procul ab eo tempore abfuit, quin rerum conditionem accurate percontari potuerit, et ratio, quam

---

[1]) Lasci *Opera*, Vol. II. 712.
[2]) Lasci *Opera*, Vol. II. 707.
[3] D. B. Eilshemius, *Handtboeck der waren gelovens*. Embden 1610.
[4]) Cf. Reershemius, o. l. p. 20.

in edendo Catechismo observavit, omnibus facile probabitur et simul quo iure eius textum secuti simus, luculenter ostendet. Etenim sic in praefatione ipse auctor narrat: „Hebbe derhal-„ven erstlick den Text des Catechismi, *nha dem allererst ge-„druckten Exemplar*, dat ick uth mynes S. Vaders Bernhardi „Buwonis Frisii (de anno 1544 thom Pastoren tho Eilsum „is bestellet worden) bibliothec bekomen, recht unde getruw-„lick affgeschreuen, nichten dauon noch tho gedaen." [1]) Quum tamen loci, e sacra scriptura desumpti, suo marte auxisse se dicat, eos in editione nostra pressimus. Divisionem quoque omittendam duximus, quoniam de suo eam textui addidisse se narrat auctor, ut (nisi mentitus sit Eilshemius in praefatione sua) genuinum textum prorsus intemeratum editio nostra exhiberet.

Latinum textum dedimus e recensione Gerobuli. Namque tres huius Catechismi versiones in lucem prodierunt, Latina, Gallica et Belgica. Latinae versionis hic titulus est:

Catechesis Ecclesiae Emdanae in gratiam studiosae iuventutis recens latinitate donata, Ioanne Gerobulo Hagano interprete. Aembdae 1566. *Venales apud Ioannem Gaudanum Bibliopolam.* 12°. *ex officina G. Galiaert.*

Gallica versio Samuelo H. de la Vigne debetur et hunc prae se fert titulum:

Catechisme c'est à dire Instruction des Enfans, par S. H. de la Vigne (1612) [2]). Edidit eam R. L. Grimershemius Emdae a. 1630 [3]). Repetita est editio, cum textu Saxonico a latere sibi apposita, a. 1650 Groningae [4]).

Belgica denique versio a. 1717 sub hoc titulo exiit:

Catechismus of Kinderleere tot nut en dienst van de jeugt in Oostfriesland. Door de dienaaren des godlyken woords binnen Emden op het korste vervattet. En nu uit de Saksische met de volle schriftuirplaatsen in de Nederlandsche Taal volgens order van het Eerwaarde Consistorium binnen Emden overgebragt en nagesien. Gedrukt te Emden. By H. van Senden en de andere Boekverkoopers in Compagnie. 1717 [5]).

[1]) Eilshemius, *Handtboeck*, in praefatione.

[2]) I. I. Harckenroth, *Emdens Herderstaf.* p. 23.

[3]) Reershemius, o. l. p. 21, 2.

[4]) Cat. Bibl. Emd. *Theol.* 8°. 521.

[5]) Ibidem. *Theol.* 8°. 520.

Tum Saxonica, tum Belgica huius Catechismi editiones toties repetitae sunt, ut frustra earum seriem componere conatus sim [1]. Et haec quidem de Lasci Catechismo hactenus.

21. De sacramentis (ed. a. 1552),

[Lasci *Opera*, Vol. I. p. 97—232.]

Anno 1551 in *prophetiis* sic dictis à Lasco locum de sacramentis ordine exposuit, ut ipse narrat in Epistola ad Hardenbergium data: „Ego nunc publice tracto argumentum sacramentarium, sine magno Patrum apparatu, sed simpliciter rem „iuxta scripturas expono. Videbis forte postea." [2]) Et reapse vidit ea Hardenbergius, nam ordine digestas praelectiones illas publici iuris fecit noster a. 1552 sub hoc titulo:

Brevis et dilucida de Sacramentis Ecclesiae Christi tractatio, in qua et fons ipse et ratio totius Sacramentariae nostri temporis controversiae paucis exponitur; naturaque ac vis sacramentorum compendio et perspicue explicatur, per Ioannem à Lasco, Baronem Poloniae, Superintendentem Ecclesiae peregrinorum Londini. Eph. 4. Obsecro itaque vos, cet. Londini per Stephanum Myerdmannum. An. 1552.

Praemisit ei epistolas duas, alteram dedicatoriam ad Edwardum VI, Angliae regem, alteram praemonitoriam ad lectorem. Subiunxit libello *Consensum Tigurinum* de quo sub nº. 6

---

[1]) Cf. de Catechismo Emdano, D. B. Eilshemius, *Handboek des waren geloofs.* 1610. *Oostvriesch kleinodt.* 1612. *Verded. van het Oostvr. klein.* 1621. E. Meiners, *Kort ontw. over de Lere der Waerheit.* 1740. *Oostfr. kerkl. gesch.* II. p. 330—341 et H. Meder, *De openlijke kerkleer der Ev. Geref. Gem. in Emden* Vol. I. 135—218, Emden 1804, et porro Ubbo Emmius, p. 948. *Gründtl. u. wahrh. Ber.* p. 173 sq. Beninga, *Hist. van Oostfr.* Matthaei Anal. T. IV. p. 812 (nota Harekenrothii). I. I. Harckenroth, *Emdens Herderstaf.* Emd. 1716. p. 4. E. F. Harckenroth, *Gesch. der Moederkerke.* Emden 1726. p. 189. I. I. Harckenroth, *Oostfr. Oorspronckl.* Emden 1712. p. 122. Chr. Funck, *Ostfr. Chronik.* Theil III. p. 19 sq. Outhof, *Waerschouwinge.* Emd. 1723. p. 640 sg. *Boekzaal der geleerde wereld,* l. supra indic. Bertram, *Hist. cr. Lasci.* II. p. 283 sq. *Erl. u. Verth. Ostfr. Kirchengesch.* p. 80. Reershemius, o. l. J. Chr. Jhering, Kirchenhist. von Ostfriesl. C. VIII. § 30 (inedit. asservatur in Bibl. Provinc. Frisiae Orient. quae Auricise est). *Frankf. Rel.* Handl. Tom. III. II. 22.

[2]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 663.

iam dictum est, quemque idcirco in editione nostra omittendum duximus, quod ad Lasci opera nihil pertinet et aliunde diu multumque iam innotuit. Asservat Lasci libelli exemplar inter alia Museum Brittanicum in Collectione Granvillensi, signatum nº. 41698. In nullam linguam hoc opusculum translatum est, et quamquam repetendam fore latinam editionem ipse exspectaverat auctor, ut hisce eius verbis docemur: „nunc sollicitant ut denuo edatur," [1]) tamen in prima editione acquieverunt aequales et nonnisi semel Lasci *de sacramentis* liber typis excusus est.

22. Brevis fidei exploratio (scr. a. 1550, ed. a. 1553).

[Lasci *Opera*, Vol. II. 477—492.]

Scribit ad Bullingerum à Lasco d. 7 Ianuarii 1551: „Ecclesiam porro ita colligimus, ut qui in illa censeri velit, „*editae per nos confessioni nostrae subscribat*, ut totius Ecclesiae nostrae nomina in Catalogo habeamus." [2]) Revera dubium quodammodo videtur, utrum de *Confessione Londinensi*, an vero de *Brev. fidei explor.* haec verba intelligenda sint. Quanquam enim absque dubio Confessionem spectare videntur, tamen ad breviculum Catechismum ea referre potius haberes, rite perpensis quae ipse noster de hoc libellulo alibi scribit: „Qui sese recens nostris adiungunt Ecclesiis atque ad Coenae „Dominicae usum admitti postulant, rogantur ut hisce respon„deant interrogationibus." [3]) Vel sic tamen absque dubio constat, quae ipse noster ad Bullingerum scripserit, de ipsa *Confessione* agere: namque haec revera basis ac fundamentum erat, quo Ecclesia superstrueretur, quare diserte testatur à Lasco, ei subscribere debuisse, quicunque Ecclesiae adiungere sese vellent. Quum tamen Confessionis subscriptio coram solis presbyteris perageretur, ne uti ipsi Ecclesiae sua auferretur auctoritas,

[1]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 699. Passim praeterea liber *de Sacramentis* commemoratur in epistola, qua Sigismundo, Poloniae regi, suum *Forma ac ratio* inscripsit.

[2]) Lasci *Opera*, Vol. II. 646.

[3]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 126. Cf. Micronn. *Christ. Ordinan.* ed. 1554. p. 94.

publice pro concione paucissimae hae quaestiones novitiis proponebantur, ut attestarentur palam, se eandem fidem amplecti quam profiteretur Ecclesia, cuius societatem in sacramentis praesertim expeterent. Itaque falluntur qui ex Epistola Lasci ad Bullingerum data, iam a. 1551 hunc Catechismum editum fuisse argumentantur. Hauddubie tamen iam sub finem a. 1550 ab à Lasco conscriptus erat latino sermone, quem textum ipse nobis in libro suo, cui *Forma ac ratio* titulus est, exhibuit [1]). Aliquantulum eum contraxit deinde sive ipse auctor sive Micronius, et belgice vertit indefessus Lasci interpres, Utenhovius. Quatenus autem versio belgica a textu latino differat, accuratissime in editione nostra ad marginem indicavimus. Exiit haec versio a. 1553 sub hoc titulo:

Een corte undersouckinge des gheloofs, ouer de ghene, die haer tot de Duytsche Ghemeynte, die te Londen is, begheuen willen; uutghestelt doer de Dienaers derseluer. Coloss. III. Het wort Christi woene ryckelick in u met alle wysheyt. 8º. a. 1553 [2]).

Repetita haec editio est anno sequenti in Micronii opusculo *de Christ. ordinancien der Nederlantscher Ghem.*, fol. 96—112. Tertio exiit Londini a. 1555 [3]), quarto a. 1556 d. 12 Sept. apud *Iohn Daye*, eodem prorsus titulo, et quinto denique Emdae apud Ctematium a. 1558, titulo in hunc modum paullulum mutato:

Een korte ondersoeckinge des gheloofs, ouer deghene die haer tot de Duytsche Ghemeinte, die te Londen was, begheuen wouden. Wtghestelt doer de Dienaers der seluer. Coloss. III. c. xvi. Het woordt Christi wone ryckelic in u, in allerley wysheyt. 1558.

Gallice et germanice versa haec fidei exploratio occurrit in versionibus eius operis, quod Lascus *Forma ac ratio* intitulavit, qua de re infra dicendi locus dabitur. Esse denique breviculum hunc Catechismum a Datheno in suam Liturgiam insertum et, publica Ecclesiae auctoritate sancitum, apud nostrates obtinuisse, donec loco submoverit eum atque expulerit Synodus Dordracena, notius est omnibus, quam ut de industria ostendatur. Editionis a. 1558, quae sola superstes esse videtur, exemplar asservat Bibl. Rem. Amstelod. N. 115.

---

[1]) Lasci *Opera*, Vol. II, 127 sq.

[2]) Cf. le Long, *Gesch. der kruyskercken.* p. 37. Catal. libr. prohib. a. 1569. p. 88.

[3]) Cf. *Catalog. Bibl. Wiardanae.* Auriciae. 1826. Nº. 2367.

23. Confessio de communione christi (ed. m. Maii a. 1554).

[Lasci *Opera*, Vol. I. 235—241.]

Errant pastores Emdani, qui huius libelluli originem ad annum 1545 revocant, ubi diserte testantur: „Mit dissen unde „anderen synen sendtbrieuen stemmen ock ouerein, de be- „kentenisse, welcke he tho Embden anno 1545 und anders „vor gestellet, und durch den druck uthgaen laten, daerinne „he betüget, dat he allertydt so gelehret hebbe unde noch „lehre." [1]) Quamvis enim editionis annus in titulo annotatus non sit, nihil tamen facilius est, quam certis finibus huius opusculi originem circumscribere. Etenim velut digito, quo tempore exierit, ipse auctor nobis indicat in sua ad Ducem Prussiae epistola, quae data est Aemdae 4 Iunii anni 1554, et ubi haec eius verba legimus: „Mitto tuae Celsitudini bre- „vem meam *Confessionem de nostra cum Christo Domino com- „munione et de corporis item Christi in Coena Dominica exhibi- „tione*, quam hic nunc edidi propter obtrectatorum quorun- „dum calumnias." [2]) Idem opusculum Ecclesiae Vesaliensi obtulit [3]), et ad Bullingerum quoque his verbis misit: „*Edidi „tamen brevem confessiunculam doctrinae meae*, quae calumniis „impetebatur, cuius exemplar tibi mitto." [4]) Brevissima confessiuncula est, qua efficere voluit noster, ut persuasum sibi haberent omnes, se in re sacramentaria idem prorsus sentire eandemque etiamnum tueri doctrinam, quam ante suum in Angliam abitum palam esset professus. Dedicavit eam collegis suis in ministerio Frisiae Orientalis et bilinguem ipse Emdae edidit. Latinae editionis titulus sic se habet:

Confessio Ioannis à Lasco, de nostra cum Christo Domino communione et corporis sui item in coena sua exhibitione: ad ministros Ecclesiarum Frisiae Orientalis. Psalm. 116. *Credidi; propterea et loquor.* [Emdae 1554].

---

[1]) *Gründtl. und warhafft, Bericht.* p. 142.

[2]) Lasci *Opera*, Vol. II. p. 701.

[3]) Ibidem, Vol. II. p. 706. „*Mittimus vobis aliquot exemplaria nostrae Confes- „sionis de re sacramentaria, nunc primum hic editae.*" d. 6 Iulii 1554.

[4]) Ibidem, p. 708. d. 5 Octobr. 1554. Cf. etiam Vol. II. p. 712.

Belgica autem versio hnnc prae se fert titulum:

Een corte ende clare bekentenisse Ioannis à Lasco van de ghemeinscap, die wy met Christo den Heere hebben, ende ooc insghelyckx van de wyse, op de welcke d'lichaeme Christi in d'Nachtmael ons aenghebrocht wordt. Psalm 116. [Emdae 1554].

Versionem quoque ad hunc annum referendam esse ipsius editionis forma clamat, quippe quae simili prorsus modo cum latina editione typis excusa sit et eundem typographum flagitet. Latinae editionis exemplar asservat Bibliotheca Regiomontana, signatum numero Cdβ. 394. 8°., belgicae vero versionis exemplar nulla publica bibliotheca mihi administrare potuit, sed egregia humanitate mihi copiam eius fecit vir plur. ven. Abr. de Vries, cuius memoriam pie diuque colent, quicunque eius humanitatem laete mecum experti sunt.

24. Cat. emdanus.

Vide supra sub N. 20.

25. Forma ac ratio (ed. a. 1555).

[Lasci *Opera*, Vol. II. p. 1—283.]

Res in paucis intricata et perplexa plerisque visa est, huius Liturgiae aperire originem, oeconomiam definire et accuratius referre successus. Longius [1]), Voetius [2]), Ensius [3]), Venema [4]) et Ypeius [5]) alii aliter expedire eam conati sunt et diversissimas protulerunt sententias, quas conciliare deinceps atque diiudicare haud absqne iudicio et satis ingeniose tentavit Mensinga [6]), qui ipse omnium penitissime in hanc rem inquisivit et

[1]) Is. le Long, *Kort historisch verhaal*, Amst. 1751. p. 40, 41.

[2]) Voetius, *Polit. Eccles.*, T. I. p. 350.

[3]) Ens, *Kort historisch berigt*, p. 167 sq.

[4]) Venema, *Hist. Eccles.*, T. VII. p. 276.

[5]) Ypey en Dermout, *Gesch. d. Nederl Herv. kerk*. T. I. p. 524. (Cf. etiam annotationem 524 am.)

[6]) Mensinga, *Liturg. Geschr. der Ned. Herv. kerk*, p. 18—29. Cf. etiam M. Goebel, *Gesch. des Chr. Lebens in der Rhein Westph. K.*, I. p. 343. Lechler, *Gesch. der Presb. u. Synodalverf.* Leiden 1854. p. 58.

ceteris longe probabiliorem coniecturam aliorum permisit iudicio. Ex eo autem opinionum diversitas nata erat, quod in Lasci quadam epistola dicitur, MICRONIUM hanc Liturgiam flandrice reddidisse [1]), quum ipse contra Micronius diserte testetur UTENHOVIO hanc versionem adscribendam esse [2]). Quam difficultatem auctores, quos nominavi, omnes ita dissolverunt, ut alii Lasco alii Micronio maiorem fidem tribuendam esse censerent, alterius excusso reiectoque testimonio. Hoc mihi quoque in causa est, cur Mensingae coniecturam, quamvis ceteroquin ingeniosam, puram putam recipere non possim, utpote quae ipsius Lasci verba ita praetereat silentio, quasi nulla eorum habenda esset ratio [3]). Nec tamen, si quid video, tam perturbata atque difficilis haec quaestio diluenda est, quam plerisque videtur, quare quid ipse censeam, paucissimis mihi expedire liceat.

Scripsit à Lasco duplicem eiusdem huius libri recensiones, *alteram* privatam a. 1551 in Ecclesiae Londinensis usum, *alteram* a. 1553—1555, editioni destinatam, ut Ecclesiae suae nomen atque famam a calumniis tueretur: Liturgiam vere sic dictam *illam*, — *hanc* sub Liturgiae forma Apologiam proprie habendam, quae praeter Liturgiam doctrinae quoque compendium et gubernationis formam exponat. Priorem scripto belgice vertit Uteuhovius, posteriorem in multis epitomavit, passim exscripsit, in omnibus adhibuit sollerter Micronius, quum ipse suo marte belgice similem ederet Apologiam, atque Lascus latine edendam sibi proposuerat.

Prioris recensionis historiam ipse noster his verbis narrat: „De instituendis cultus divini ritibus suspensa aliquamdiu „(i. e. a. 1551) deliberatio fuit, donec populus doceretur, „rituum varietate non scindi Ecclesias ... Horum ita visum „est pluries ac diligenter moneri Ecclesias, priusquam de „ritibus ullis instituendis quidquam omnino statueretur, ut „illorum diversitas neque Anglicas postea Ecclesias offen„deret et nostras item in servandae cum illis societatis offi„ciis nihilominus retineret. Postea rituum forma conscribe-

[1]) LASCI *Opera*, Vol. II. p. 35.

[2]) MICRONIUS, *Christ. Ordonnantien*, ed. 1554, praef. p. A. 5. a.

[3]) MENSINGA, o. l. p. 28.

„ batur et, priusquam institueretur, coram Ecclesia tota per „ partes explicabatur ...., facta omnibus potestate, ut nos „ amanter admonereht, si qua parte sibi quisquam satis- „ factum non esse existimaret. Ita vero iam edocta Ecclesia „ ... ventum tandem est ad rituum quoque nostris Ecclesiis „ peculiarem institutionem." [1]). Hanc recensionem Micronius respicit in praefatione libelli sui, ubi dicit: „ Waeronder ge- „ weest is Ian Wtenhoue, die dese onse tegenwoordighe ordi- „ dinantien in onse Nederlantsche sprake, wten latyne ouer- „ gheset heeft." [2]) Quum enim latine hanc Liturgiam conscripsisset à Lasco, cuius formulae tamen belgice pro concione dicendae essent, interpretis officium Utenhovio mandatum fuit. Errant igitur, qui Micronii verba ad ipsius Micronii libellum referunt, neque satis observaverunt, quam absonum et ridiculum esset et mirum plane dictu, Belgam Belgae officiis usum fuisse in libello edendo, qui utriusque vernaculo sermone loquatur. Quis quaeso sana mente praeditus unquam credat, Micronium, qui tot tantaque ipse belgice ediderit, latine conscripsisse libellum suum (quo sermone numquam scripsit publice) et hanc latinam recensionem, cuius nullibi reperiatur vestigium — si exstiterit omnino, quod certe nego — Utenhovio, ut eam belgice verteret, tradidisse! Quid vero multis verbis opus est in re tam certa tamque plausibili? quum ipsa huius Liturgiae prior recensio aliqua saltem parte nobis etiamnum supersit in Confessionis Londinensis vetustissima editione latina, quam nunc primum editio nostra exhibet, (Vol. 324—339) et primae belgicae versionis titulus diserte testetur, se quoque hanc Liturgiam pagellis suis dare. Quodsi indubitate constat igitur, Utenhovio unice huius Confessionis versionem belgicam deberi, res ipsa flagitat, eum Liturgiae huius quoque exstitisse interpretem [3]).

Duobus dehinc elapsis annis (a. 1553), quum Ecclesia Lon-

---

[1]) I. à Lasco, *Opera*, Vol. II. p. 11, 12.

[2]) Micronius, *Christ. Ordin*,, p. A. 5. *a*.

[3]) Sic quoque egregie dirimitur lis et in concordiam rediguntur Ypeii et Mensingae sententiae, quorum alter Utenhovii versionem editam esse affirmat (Ypey en Dermout, o. l. T. I. 524), alter vero negat (*Lit. Geschr. d. Ned. Herv. kerk.* p. 21). Non tota epistola, sed pars eius typis excusa est in Confessione.

dinensis iniquissime traduceretur et virulentissimis suffunderetur calumniis, famae ipsius sic apte et efficaciter prospicere atque consulere eius praesulibus visum est, ut tota forma ac ratio Ecclesiastici, quo uterentur, ministerii typis invulgaretur. Ipse hoc editionis consilium nobis indicat Micronius, ubi dicit: „ Als wij Dienaren der Ghemeinte dese ende derghelycke las- „ teringhen daghelickx ghehoret hebben, so hebben wy, te „ Londen noch wesende, bedwongen gheweest, d'ordinaucien „ onser Ghemeinten ordelick ende getrauwelick te *bescriuen*." [1]) Quae Micronii verba egregie conveniunt cum iis, quae ad d. 7 Iun. 1553 ad Bullingerum scripsit noster: „ Habeo nunc „ prae manibus caeremonias nostrae Ecclesiae omnemque illius „ in nostro ministerio gubernationem. Prodibit spero sub hye- „ mem;" [2]) unde indubitate patet, Liturgiam Ecclesiae Londinensis in multis refectam perpolitamque et plane nova conscriptam fuisse recensione, priusquam praelo destinaretur; quo facit etiam, quod Liturgia, propria sic dicta, rituum tantummodo et caeremoniarum formam exhibebat, nunc vero gubernandae Ecclesiae rationem quoque sollerter expendere cupiebant. Frustravit hoc consilium Edwardi regis subita mors, et quae inde secuta est peregrinorum sub Maria expulsio ac flebile exsilium. Emdae vero laetissimo hospitio excepti, iam iam ad institutum redierunt exsules, et ne libellus, quem manu scriptum secum ex Anglia adduxissent, obduceretur oblivione, Emdae bilinguem eum edere peregrinorum Ecclesiae ministri constituerunt. Etenim in latina editione, quae, dum in Anglia versabatur Ecclesia, satis fuisset, nunc eo minus subsistendum videbatur, quo latius per Frisiam Orientalem et apud populares quoque communi fama atque sermone invida heterodoxiae eorum suspicio substrepuerat. Micronio, qui iam in ipso libello praeparando saepius adfuerat auctori [3]), belgicae editionis cura mandata est. Compendiaria itaque forma vertit eum Micronius, ut et facilius divulgaretur et plures sibi conciliaret lectóres inter ipsam plebem, cui spissa volumina in odio semper esse

---

[1]) Micronii, o. l. p. A. vii, *β*.
[2]) I. à Lasco, *Opera*, Vol. II. p. 677.
[3]) Ibidem: „*Scribo autem non sine Theseo, nostro inquam Micronio.*"

solent. Huc faciunt Lasci verba: „Adumbratus sane erat, „cum adhuc in Anglia ministerio nostro fungeremur, atque „adeo etiam a collega nostra Martino Micronio compendio „quodam flandrice redditus," [1]) ut et Micronii: „in den „welcken ick grootelickx beholpen ben geweest, wt den boeck „die de voorn. Ian à Lasco onse superintendent, van den „ordinancien onser Ghemeinte, op het lanckste bescrenen „heeft." [2]) Apud populares igitur Micronii opusculum Ecclesiae peregrinorum nomen defenderet, coram Theologis vero et Principibus eius famae consuleret amplior et doctior recensio, quam latino sermone ipse à Lasco conscripserat. Huic tamen latinae huius editionis fini alter se mox subiunxit, et duplex revera consilium in libello excudendo sibi proposuisse nostrum, ipse in libelli praefatione prolixius narrat. Videlicet crebri pervenerant nuntii, in Polonia tandem meliorem diem sacrorum instaurationem exspectare et Euangelii lucem fauste iam hic illic et serene renasci atque illucescere. Quin plures etiam ex equitum ordine aegre ipsius Lasci officia desideraverant, utque tandem in patriam reverteretur, enm frequentius et ardentibus sollicitaverant votis. Hinc autem nostro subiit, levi mutatione opus, quod praelo iam subiectum esset, Polonicae Reformationi quoque sic accommodari posse, ut quasi in speculo perfectissimum Ecclesiae Reformatae exemplar exhiberet. Hoc quoque editionis consilium fuisse haec Lasci verba testantur: „Ad haec mihi animum quoque addiderunt, quae „istinc et per litteras multorum et per nuncios etiam adferuntur, nempe omnium fere animos tanto istic amplectendae „doctrinae Christi studio in eius Euangelio accensos esse, ut „Tuam Maiestatem in publicis regni Comitiis eo ipso nomine „unanimiter ab universo Nobilium ordine appellatam esse „audiamus, eoque plane spectare omnia, us spes sit brevi et „istic exspectandam esse per Dei gratiam Ecclesiarum restitutionem. Huc vero cum labor omnis noster in hoc libello „nostro imprimis pertineat et alicui forte usui esse etiam „possit, non abs re me facturum iudicavi, si illum toti meae

[1]) I. à Lasco, *Opera*, Vol. II. p. 35. Scribit haec a. 1555.

[2]) Micronius., o. l. p. A. vii. β.

„Patriae sub Tui nominis patrocinio assignarem;" [1]) — diserte praeterea testantur Epistolae tres, quae comitatae sunt huius libelli exemplaria ab ipso auctore ad Poloniae Regem, Senatum et Equestrem ordinem missa: evincit denique praemonitoria ipsius libri epistola, qua consensionem suam cum Confessione Augustana ob eam rem professus est, quod tanti eam faciebant Polonicae reformationis patroni. Sub finem a. 1554 praelo eum Emdae submisit noster, ut ipse d. 5 Octobr. 1554 ad Bull. scribit: „nunc sub praelo est Ratio gubernandi „nostram in Anglia Ecclesiam cum eius ritibus ac caeremo- „niis," [2]) et exeunte anno sequenti Francoforti editum ad eundem misit his verbis: „Libellum a me nunc primum edi- „tum tibi mitto, ut legas et iudices." [4]) Exiit autem sub hoc titulo:

Forma ac ratio tota Ecclesiastici ministerii, in peregrinorum, potissimum vero Germanorum Ecclesia: instituta Londini in Anglia, per Pientissimum Principem Angliae etc. Regem Edvardum, eius nominis Sextum: anno post Christum natum 1550. *Addito ad calcem libelli Privilegio suae Maiestatis. Autore Ioänne à Lasco Poloniae Barone. Cum Brevi etiam (in Epistola nuncupatoria) calumniarum quarundam refutatione: quae falso adversus ipsum in M a r t i n i a n i cuiusdam apud Bremenses pastoris f a r r a g i n e inspersae habentur. Psal.* 140. *Vir linguax non dirigetur in terra: Virum iniquum, malum venabitur ad praecipitium.* (s. d. l. et t.) [Francof. ad Moen. a. 1555.]

Epistola nuncupatoria data est ad Sigismundum Regem et Martiniani pastoris, i. e. Ioannis Timanni, Ecclesiae Sancto Martino dicatae apud Bremenses pastoris, libellum sub *Farraginis* titulo editum perstringit ac refutat. Epistolam sequitur praefatio ad Lectorem, quam excipit deinceps copiosus index rerum, quem omittere in hoc saltem libello iniquum fuisset et usum summopere impedivisset atque lectionem. In fine libri diploma regium affixum est. Reperitur etiam in paucis-

[1]) I. à Lasco, *Opera*, Vol. II. p. 13.
[2]) Ibidem, Vol. I. p. 349. „*Itaque cum prae manibus haberem libellum, quem* „*renascentis istic Euangelii initiis commodare posse.*" Cf. Ibidem, p. 355 et 387.
[3]) I. à Lasco, *Opera*, Vol. II. p. 708.
[4]) Ibidem, p. 714.

simis exemplaribus Lasci in ligno exsculpta effigies, quae tamen gratuito magis a possessoribus praefixa esse videtur, quam de industria editioni accomodata. Unde desumpta sit, prorsus nescio et multum differt a reliquis Lasci, quae feruntur, imaginibus: pictoris quoque nulla indicia ipsa tabula exhibet. Repperi eam in eo exemplari, quod sub hasta venit in auctione Bibliothecae Vriesianae. — Oeconomiam porro libri nobis expedit et errores typographicos, quibus editio scatet, ipse noster sic excusat: „In itineribus meis, ubi Angliam reliquissemus, „ multis locis recognitus est atque in concionum praeterea „ argumentis admonitionibusque Ecclesiasticis magna ex parte „ auctus, quae res paginarnm quoque ordinem in ipsa libri „ aeditione nonnihil interturbavit. Deinde ipsam quoque libelli „ aeditionem perturbavit inexspectata mea e Frisia migratio. „ Illic enim coeptus excudi, hic (Francof.) nunc primum est „ absolutus. Unde nemini mirum videri debet, si vel perturbate aliquid scriptum, vel semel atque iterum repetitum vel „ alicubi etiam in observando paginarum ordine aberratum „ occurrat." [1]) Unde certe docemur librum Francofurti sub finem a. 1555 editum esse, quamvis nullum typographi locive indicium in titulo promat. Exemplar eius asservat Bibliotheca Bodleiana, quae Oxoniae est. In prima editione hic liber substitit [2]).

Exstat huius Liturgiae versio Gallica, quae a. 1556 exiit sub hoc titulo:

Toute la forme et maniere du Ministere Ecclesiastique en l'Eglise des estrangers, dressée à Londres en Angleterre, par le prince treffidele du dit pays, le Roy Edouard VI de ce nom: L'an apres l'incarnation de Christ 1550, *avec le privilege de sa maiestie à la fin du livre. Par Iean à Lasco, Baron de Polonie. Traduit de Latin en Francois, et imprimé par Giles Ctematius,* 1556. *Que toutes choses se fassent honestement et par ordre en l'Eglise.* 1 Corinth. 34. [3]) 8°. Sine loco. [Emdae.]

---

[1]) I. à Lasco, *Opera*, Vol. II. p. 35.

[2]) Respici hic libellus videtur Gabbema, *Ep. clar. vir.* p. 123.: *Libellum tuum legam diligenter* cet. et Fuessli, o. l. p. 287: *Postremus ut approbet* cet.

[3]) Cf. Southerden Burn, *Hist. of the Prot. refugees in Engl.*, p. 187.

Huius versionis duo mihi innotuerunt exemplaria, alterum in Bibl. Bodleiana Oxon., alterum in Bibl. Ecclesiae Gallicae Sancto Martino dicatae, quae Londini est. Ante quinqennium in auctione Londinensi tertium exemplar centnm florenis stetit (£ 8. 8. 0).

Compendiaria huius Liturgiae recensio, quam Micronius belgice edidit, hoc splendet titulo:

De Christlicke Ordinancien der Nederlantscher Ghemeynten Christi, die vanden Christelicken Prince Co. Edewaerdt den VI. int iaer 1550 *te Londen inghestelt was. De welcke met de bewillinghe der Dienaren ende Ouderlinghen der seluer, ten trooste ende nutte aller ghelooueghen, ghetrouwelick met alder nersticheit t'zamenghenoecht ende wtghestelt syn. Doer Marten Microen. Waertoe ghedaen is 't Privilegium des voernoemden Co. Ed. den VI ter opbouwinghe der voernoemder Nederlantscher ende andere Uutlandtscher Ghemeynten onder synen grooten segel ghegeuen. Ephe.* 2. *In Christo Iesu alle timmeringhe tsamenghenoecht, wast op tot eenen heylighen tempel, in den Heere. Ghedruckt buyten Londen, doer Collinus Volckwinners.* Anno 1554. 8°. [1])

Sub tecto nomine Ctematium latere recte iam observavit Longius [2]). Repetita eius libelli editio fuit Emdae a. 1560 in 12°, in Hollandia a. 1563 et anno denique 1582 Delphis atque Antwerpiae [3]). Exemplari editionis a. 1554 usus sum, quod possedit olim Gerdesius, nunc Fredericus Muller, qui officiosissime id mihi administravit.

Iohannes Mayer Micronii opusculum germanice edidit sub hoc titulo:

Kirchenordnung, wie die unter dem Christlichen König aus Engelant Edward den VI in der Stadt Londen in der Niderlandischen Gemeine Christi durch Kon. Maiest. mandat geordnet und geholden worden, mit der Kirchendiener und Eltsten bewilligung durch Herrn Iohan von Lasco freiherren in Polen, Superintendenten desselbigen Kirchen in Engelland in lateinischer

[1]) Quantum in argumento exponendo Micronius subinde a Lasci editione differat, praesertim in baptismi consideratione, vide apud le Long, *Kort hist. verhaal*, p. 54. Mensinga, *Lit. Gesch. d. Ned. Herv. kerk*, p. 144, 5.

[2]) le Long, *Kort hist. verhaal*, p. 41—55, praesertim p. 55.

[3]) *Bibl. Longian. Catal*, p. 76, et Mensinga, o. l. p. 22. Bibl. Mennot. Amstelod. XII. 4.

Sprache weitleufftiger beschrieben, aber durch Martinum Micronium in eine kurtze Summe verfasset, und jetzund verdeutschet, gedrukt in der Christlichen Stadt Heidelberg durch Iohannem Mayer. 1565.

Exscripsit eam in syntagmate suo Richterus [1]). Heidelbergensis editionis exemplar prostat in Bibliotheca Rheno-traiectina [*Misc. theol.* O. 68].

26. Epistolae tres de rest. eccl. (ed. a. 1556 m. Martio).

[Lasci *Opera*, Vol. I. p. 347—388.]

Sub titulo:

Epistolae tres lectu dignissimae, de recta et legitima Ecclesiarum bene instituendarum ratione ac modo: ad potentissim. regem Poloniae, Senatum, reliquosque Ordines: D. Ioanne à Lasco, Barone Poloniae etc. autore. Basileae, per Iohannem Oporinum. [a. 1556.] noster publici iuris fecit epistolas tres, die ultima mensis Decembris a. 1555 in Poloniam missas. Comitabantur illae tris libelli, cui *Forma ac ratio* titulus est, exemplaria et datae sunt, *prima* ad ipsum regem (p. 349—352), *secunda* ad Senatum Poloniae (p. 353—383), et *tertia* ad Equitum Ordinem (p. 384—388). Videtur edidisse eas noster, ut singulis Senatoribus et Equitibus earum legendarum faceret copiam. Sub finem ipse libellus testatur, se exiisse *anno salutis humanae M.D.L.VI mense Martio* [2]). Eius exemplar possidet Bibliothecae Lugduno-Batava et Ultraiectina.

27. Purgatio (ed. a. 1556 m. Decembr.),

[Lasci *Opera*, Vol. I. p. 243—269.]

Ecclesia peregrinorum, Londino profuga, hospitium cum libero religionis exercitio ét ab aliis Germaniae Occidentalis civitatibus ét etiam a magistratu Francofurtano expetiverat, nec frustra.

---

[1]) Richter, *Die Ev. Kirchenordnungen d. XVI Jahrhunderts*, 1846. II. 99 sq.
[2]) I. à Lasco, *Opera*, Vol. I. p. 388.

Receperat eos inclyta urbs, domicilii ius iis obtulerat, denique concesserat albae virginis Ecclesiam, in qua congregare ritusque suos peragere possent, hac tantummodo iniecta conditione, ne uti Augustanae Confessionis excederent limites. Qnum igitur Lutheranorum fautores, arctius eius confessionis fines circumscribentes, quam fecisset ipse Melanchthon, peregrinorum Ecclesiam maligne dissensionis ab Augustana Confessione apud summum Magistratum accusabant, breviculam primum fidei suae Confessionem sub epistolae formae Magistratui obtulernnt peregrinae Ecclesiae pastores, quae ipsissimis Augustanae verbis ut plurimum comprehensa erat[1]). Mox tamen experientia edoctis, a Magistratu eiusmodi nudam Confessionem vilipendi, compertum iis fuit, de industria suam cum Augustana consensionem prolixe et efficacius perhibendam fore, nisi vellent ex urbe eiici. Conscribendae autem eiusmodi Apologiae provinciam Lasco nostro dederunt, qui lubens eam suscepit, nt Ecclesiae sibi carissimae pro virili succurreret et opportune simul oblatam suo quoque nomini prospiciendi arriperet occasionem. Itaque duplex consilium et in hoc libello conscribendo propositum ei fuit: primum ut Ecclesiam peregrinorum purgaret a calnmniis, alterum ut publicé coram Theologis et Principibus suam cum Augustana Confessione veram attestaretur consensionem. Totius ministerii nomine haec purgatio in scripto Senatui oblata est ad d. 21 Octobris a. 1556, quum ipse à Lasco Francofurto iam vale dixerat, et libelli excudendi negotium mandaverat collegae suo Valerando Pollano. Nec tamen recensio huins libelli, quae Senatui oblata est, prorsus cum recensione typis divulgata convenit. Ostenderat enim à Lasco eius exemplar Calvino et Melanchthoni, ut censoriam in eum uterque animadverteret virgulam et quae delenda corrigendave viderentur libere indicare non gravarentur. Hinc partim quae vehementius dicta essent, pressit noster aut extenuavit, quae minus caute et festinanter definita, correxit adque eorum nutum emendavit, et sic denique priorem recensionem, priusquam ederetur, recognovit, ut ét Calvino ét Melanchthoni editus lilibellus ab omni parte approbaretnr. Narrat hoc ipse in

[1]) Legitur ea, LASCI *Opera*, Vol. II. p. 719, epist. n°. 115.

Epistola ad Bullingerum his verbis: „Egoque illi (i. e. Me-„lanchth.) exhibui legendum scriptum nostrum de Confessione „Augustana, quod et Dominus Calvinus Francoforti legerat „et quaedam in illo mutari volebat, quae etiam mutata ex „parte protinus fuerunt, legitque illud Philippus et etiam „approbavit. Iamque excuditur, Basileae opinor, apud Opori-„num, nam id negotii Domino Valerando dedi;" [1]) et disertius etiam ad Sigismundum: „Scripsi ego ipse apologeticam doc-„trinae nostrae confessionem, quanto potui compendio, adver-„sus omnes qui nos ab Augustana Confessione praeter no-„strum meritum dissentire clamant; eamque a Calvino pri-„mum et suis, deinde ab omnibus Francofurti peregrinorum „Ecclesiis, moxque item a praecipuis in Hassia Ecclesiarum „Ministris, postremo autem Witembergae a Domino Philippo „Melanchthone lectam et consentienter approbatam, edendam „pridem curavi ... Sub praelo adhuc haeret." [2]) Qua denique ratione in scribendo versatus sit, apte haec eius verba illustrant: „Doctrinam (adversariorum) cum ab eodem ipso „Cyrillo infinitis locis, tum vero etiam ab omnibus orthodoxis „primaevae post Apostolos Ecclesiae Patribus, continua suc-„cessione unanimiter oppugnatam esse affirmamus, id quod „brevi per Dei gratiam non equidem nostris, sed ipsorummet „autorum verbis, neque verbis solum, sed plenis illorum sen-„tentiis ac rationibus demonstravimus." [3])

Ex Oporini officina prodiit a. 1556 sub hoc titulo:

Purgatio ministrorum in Ecclesia Peregrinorum Francofurti, adversus eorum calumnias qui ipsorum doctrinam de Christi Domini in coena sua praesentia dissensionis accusant ab Augustana Confessione. Autore D. Ioanne à Lasco, Barone Polono, Basileae per Ioannem Oporinum [4]).

Germanice eam transtulit FROMBERGER et Heidelbergae edidit, hoc ornatam titulo:

Purgation, das ist, ein notwendig Christlich Verantwortung,

---

[1]) I. à LASCO, *Opera*, Vol. II. p. 735.

[2]) Ibidem, Vol. II. p. 739.

[3]) Ibidem, Vol. II. p. 16.

[4]) Ad calcem libri legitur: *Anno Salutis Humanae M.D.L.VI Mense Decembri.*

der frembden Kirchendiener zu Frankfurth am Mayn. Wider etlicher calumnien und aufflagen, so sie aus unuerstand wahrer Religion beschuldiget, als ob ire Lehr von gegenwertigkeit des Herrn Christi, in seinem heiligen Abendmahl mit der Augspurgischen Confession nicht ubereinstimmete. Von Iohanne v. Lasko, Freyherrn aus Polen: erstlich in Latein beschrieben, Anno 1556. *Ins Teutsche übersetzt von Melchior Fromberger. Gedruckt zu Heidelberg.* 1598.

Latina editio, ut et versio Germanica, repetita est in Actis de Religione Francofurtanis, Tom. II. fol. 167—214, cum RITTERI animadversionibus. Prior recensio, quae in scripto Senatui oblata est, etiamnum superest in scrinio Francofurtano, unde accurate eam descripsimus et quatenus a recensione divulgata differret ubique ad marginem editionis nostrae adscripsimus. Priscae latinae editionis exemplar asservat Bibliotheca Rheno-Traiectina, signatum numero *Theol. Oct.* 271 [1]).

28. RESPONSIO ADVERSUS HOSIUM (ed. a. 1559).

[LASCI *Opera*, Vol. I. p. 391—462.]

STANISLAUS HOSIUS (1504—1579), Cardinalis et Episcopus Varmiensis, sub hyemen a. 1558 opusculum polemicum praeparaverat, quo Vergerii aliorumque reformatorum refellere conabatur sententiam, esse scilicet sacram scripturam intellectu tam facilem, ad cuiusvis sic accomodatam lectionem, adeo dilucidam et perspicuam, ut laici nullo pacto Ecclesiae indigerent interpraetatione [2]). Vere eiusdem anni lucubratiunculam suam ediderat sub titulo „*De expresso verbo Dei*" [3]) et inter alios quater etiam Lascum nostrum e latere carpserat. Miserat praeterea ad amicum quemdam Lasci doctrinae compendium,

[1]) Cf. *Frankfurter Relig. Handl.* Tom. II. p. 166 passim. I. PH. FRESENIUS, *Kirkhengesch. von denen Reform. in Franckf, a/M.* Frankf. 1751. p. 116, 7. Asservatur in tabulario Regiomontano scedula epistolae Ducis Prussiae ad Brentium de hoc libello datae.

[2]) ANT. EICHHORN ,*Der Ermländ. Bischof und Cardinal Hosius.* Mogontiae 1855. T. I. p. 294.

[3]) STAN. HOSII *Opera in duos divisa tomos.* Coloniae ap. Mat. Cholinum. 1584, ed. RESCIUS. Tom. I. p. 611—643.

****

ex ERASMI ALBERI [1]) adversus Carlostadianos libello exscriptum et certis quibusdam articulis digestum. Videtur scripto hoc compendium in Polonia divulgatum esse et Lasci autoritati summopere offecisse, utpote quod ex adversarii testimonio doctrinam eius referens, seorsim ea tantummodo exhiberet, quae minus caute hic illic in scribendo obiter monuerat potius quam censuerat noster: permulta etiam contineret, quae e medio contextu vicinis omissis desumpta longe alium praebebant sensum, quam circumiecta iis tribuendum esse flagitarent: haud unam denique ei obtruderet sententiam, cuius Lascus numquam exstitisset patronus, sed vero saepissime adversarium sese ostendisset acerbissimum. Paucis hoc ipse à Lasco sic narrat in Epistola ad Comitem à Tarnow data: „Sparsi sunt ante unum aut alterum mensem atque ad me „demum etiam allati Articuli quidam de me meaque doctrina „per Hosium ex Erasmo Albero, ut titulus habet, exscripti „et huc tandem in Poloniam ad traducendum nomen meum „transmissi." [2]) Tum Alberi articulis tum Hosii libello „*de expresso verbo Dei*", quod sub Hosii nomine utrumque opus in Polonia ferebatur, una responsione occurrere nostro placuit, ediditque eam a. 1559 sub hoc titulo:

Brevis ac compendiaria responsio ad Collectos certos quosdam ex Erasmo Albero per Stanislaum Hosium, titulo Varmiensem Episcopum, articulos de doctrina Ioannis à Lasco: atque huc demum in Poloniam transmissos, simulque et ad libellum ipsius nuper editum de oppresso verius quam expresso verbo Dei. Per ipsummet Ioannem à Lasco. Percutiat te Dominus, paries dealbate! Act. 23. S. a. l. et typogr. 8°. [1559].

Dedicata est Comiti à Tarnow, et centum viginti tribus pagellis in recto et in verso constat. Miserat eius exemplar noster ad Elisabetham, Angliae reginam, his verbis: „Mitto „Maiestati Tuae meam Responsionem adversus calumnias „[H]osii, titulo Varmiensis Episcopi." [3]) Data est haec epistola m. Septembri a. 1559, quare ipsam quoque huius libelli

---

[1]) ERASMUS ALBERUS superintendens Brandenburgensis fuit et obiit a. 1553.
[2]) I. à LASCO, *Opera*, Vol. I. p. 393.
[3]) Ibidem, Vol. II. p. 765.

editionem ad hunc annum revocavi. Namque *terminum a quo* Hosii libelli publicatio constituit medium annum 1558, *terminum ad quem* mensem Septembrem a. 1559 fuisse Lasci ad Elisabetham epistola ostendit. Quum igitur ad Elisabetham sic scribat, ut de libello nuperrime edito se loqui haud obscure indigitet, nullus dubitem ad medium annum 1559 huius libelli editionem definire. Respondit Lasci responsioni Hosius libello, cui titulus „*de oppresso verbo Dei*", quem anno 1584 diu post Hosii mortem excudendum curavit Rescius [1]).

Nusquam locorum in Lasci biographiis sive operum syllabis ulla huius adversus Hosium Responsionis mentio facta erat, et quum epistola etiam ad Elisabetham, de qua diximus, nondum reperta esset, omne eius vestigium nos quoque baud dubie fugisset, nisi vir doctissimus Edwardus a Muralto, qui Imperiali Bibliothecae Petropolitanae praeest, officiosissime mihi et egregia qua est humanitate eius titulum accurate exscriptum indicavisset: cuius promptae parataeque semper benevolentiae cum grati animi testificatione id quoque acceptum refero, quod unicum huius libelli editum exemplar, quod Bibliotheca Petropolitana possidet, mihi per tres continuos menses concreditum fuit. Nusquam praeterea eius exemplar detegere potui et in Hosii quoque biographia, quam Eichhornius edidit, haec eius cum Lasco disceptatio ne verbo quidem commemoratur. Hosii operum editionis egregia liberalitate mihi copiam fecerunt Professores Seminarii Catholicorum Warmundani, quo officio me admodum et plus quam dici potest sibi devinxerunt humanissimi viri, quorum exemplum utinam utrinque semper imitaretur!

29. Responsio adversus Westphalum (ed. m. Martio a. 1560).

[Lasci *Opera*, Vol. I. p. 271—344.]

Legimus in Epistola Lasci a. 1554 ad Hardenbergium data: „Accepi … *Farraginem* Westphali, mendaciis et ca-

---

[1]) Legitur, Hosii *Opera*, ed. laud. Tom. II. p. 1—61. Cf. *Epistolam dedicatoriam* Rescii. Ib. Tom. II. p. viii.

„ lumniis plenam, *brevique ad illam respondebo* per Dei gra„ tiam et quidquid huius erit ad te transmittam, prinsquam „ evulgatur,"[1]) et in Epistola ad Bullingerum eiusdem anni: „ Emisit (sc. Westphalus) praeterea etiam *farraginem* inter„ pretationum super verbis coenae collectam ex scriptis Car„ lostadii, Zwinglii, Oecolampadii, Petri Martyri, Vestrae „ Confessionis adversus Lutherum, Buceri, Bullingeri, Calvini „ et ex meo quoque ad extremum libello, *sed huic ego cogito* „ *respondere.*"[2]) Respicit Lascus hisce verbis Westphali *Farraginem confusanearum et inter se dissidentium opinionum de Coena Domini, ex Sacramentariorum libris congestam*, quae Magdeburgi exiit a. 1552. Itaque huic opusculo respondere se voluisse diserte testatur, et quaedam reapse ab eo contra Westphalum adumbrata fuisse haec praeterea eius verba nos docent: „ Coeperam in Westphalum adornare quaedam, sed „ me domestica hic tempestas quaedam interea excepit praeter „ omnem meam exspectationem."[3]) Huius scripti nihil usquam tamen exiit et nullo pacto igitur haec eius verba ad eius *Responsionem adv. Westphalum* referri possunt.

Anno porro sequenti (1555) in Epistola ad Sigismundum, quem libro *Forma ac ratio* praemisit noster, etsi Timannum praesertim aggrederetur, quaedam tamen de Westphalo quoque monuit eiusque procacitatem obiter perstrinxit. Haec in eum illico retorsit Westphalus edíditque adversus eum libellum, cui titulus: J. Westphali *iusta defensio adversus insignia mendacia Ioannis à Lasco, quae in epistola ad Poloniae regem contra Saxonicas Ecclesias sparsit*[4]). Maligne praeterea atque furtim Francofurtanae, Lutheranismo addictae, Ecclesiae Pastores et per eos Senatum huius urbis adversus peregrinorum Ecclesias instigaverat. Hinc factum ut quasi in se scriptam Peregrinorum apologiam acciperet Westphalus, quam sub *Purgationis* titulo Lascus a. 1556 ediderat. Statim igitur ad respondendum paratus erat pugnacissimi ingenii intrepidusque

[1]) I. à Lasco, *Opera*, Vol. II. p. 696.

[2]) Ibidem, Vol. II. p. 698. Cf. p. 700.

[3]) Ibidem, Vol. II. p. 708.

[4]) Exiit *Argentorati ex officina Blasii Fabricii* a. 1557 (a. 1556 scripta, ut patet ex Epist. praemonitoria).

digladiator et a. 1557 rabidam utique et dentatam epistolam in *Purgationis* auctorem edidit sub hoc titulo:

Responsio Ioachimi Westphali ad scriptum Io. à Lasco, in quo Augustanam Confessionem in Anglianismum transformat. Addita est haec responsio eius epistolae, qua breviter respondet ad convicia Ioannis Calvini. Ursellis 1557 [1]).

Est haec demum Westphali lucubratiuncula, cui Lascus Responsionem suam sub hoc titulo opposuit:

Responsio ad virulentam, calumniisque ac mendaciis consarcinatam hominis furiosi Ioachimi Westphali Epistolam quandam, qua Purgationem Ecclesiarum Peregrinarum Francofurti conuellere conatur, per Ioannem à Lasco, eius ipsius Purgationis autorem, sic ut Paragraphi Paragraphis e regione respondeant: quo magis faciliusque appareat, utrinam causam aequiorem habeant in hac controversia, de Augustana Confessione. Accessit rerum, quae praecipue toto libello tractantur, index. Basileae per Ioannem Oporinum. Ad calcem additur: *Basileae ex officina Ioannis Oporini, Anno salutis humanae MDLX mense Martio.*

Post Lasci obitum igitur in lucem haec responsio edita est, quod etiam in caussa esse videtur, cur *index rerum*, quem titulus promittat, vel sic tamen in fine libelli desideretur. Ostendit enim pagellarum ordo, titulum, dum Lascus etiamnum viveret, omnium primum typis excusum esse. Exemplar huius responsionis pretiosissimum Bibliotheca possidet Argentina, cuius officiosissime mihi copiam fecit Vir Clar. Reuss, qui hoc quoque nomine optime de me meritus est et studiis meis peregregie consuluit.

30. Diversa.

Verbo tantum moneo, quaedam minoris momenti scripta in editione nostra Epistolarum syllabo inserta esse, etsi epistolae formam potius quam indolem referrent, aut etiam hoc quoque nomine in Epistolarum serie locum sortiri proprie non de-

---

[1]) Cf. A. Greve, *Memoria Ioachimi Westphali, Superintendentis Hamburgensis, instaurata.* Hamb. apud Bohn. Lipsiae apud Breitkopf 1749. p. 68, 140—158, praesertim p. 154 et 155.

buissent. Huius generis sunt: 1°. *Iuramenti formula* [1]), 2°. *Supplicatio ad Regem Daniae* [2]), 3°. *Responsio ad Regem Daniae* [3]), 4°. *Series ac progressus Colloquii cum Brentio* [4]), cuius novam eamque meliorem dedimus recensionem, 5°. *Consilium ad Ecclesiam Vesaliensem* [5]) et 6°. denique *Responsio ad Ministros Ecclesiae Prutenicae* [6]), quam e manu scripto codice edidimus. Quae tamen quum neque Dogmaticis, neque Liturgicis scriptis adiici possent et pauciora essent, quam ut peculiaris iis assignaretur classis, Epistolarum syllabo ea non tam inepte, ut videtur, inserta editio nostra exhibet.

---

31. Versio belgica novi testamenti (ed. 1556).

Gellius Ctematius a. 1556 belgicam novi testamenti versionem edidit sub hoc titulo:

Het Nieuwe Testament dat is; Het Nieuwe Verbond onses Heeren Iesu Christi. Na der Griekscher waerheyt in Nederlandsche sprake grondlick end trouwlick ouerghezett. Coloss. 3. *c.* 16. *Het word Christi wone in u rycklick in allerley wyszheit. Embden by Gellius Ctematius,* 3 *Novemb. a.* 1556. *In duodecimo* [7]).

Ad fidem graecae editionis, quam Robertus Stephanus a. 1550 Parisiis excudit, belgice novum hocce testamentum vertit Utenhovius, cuius primarius collaborator fuit Godfridus Wingius. Ut tamen ipse in praefatione sua diserte testatur interpres, haud uno nomine Lasco etiam indebuit, qui una cum Deleno, aliis, versionis specimina plus uno loco expolivit atque correxit, et numquam non doctrinae suae copiam praeluxit interpretibus [8]).

---

1) I. à Lasco, *Opera*, Vol. II. p. 547.
2) Ibidem, p. 680.
3) Ibidem, p. 684.
4) Ibidem, p. 724.
5) Ibidem, p. 708.
6) Ibidem, p. 705.
7) Is. le Long, *Boekzael des Nederduytschen Bijbels*, p. 709.
Ibidem, p. 710.

32. Versio polonica s. scripturae (ed. 1563).

Ipse contra una cum Simone Zacio, Franc. Stancaro, Petro Statorio, Lismanino, Ochino, G. Blandrata, Paulo Alciate et Martino Crovicio, non emendatoris correctorisve tantum sed vero veri interpretis officio functus est noster in praeparanda totius Sacrae Scripturae polonica versione, quae a. 1563 exiit sub hoc titulo:

Biblia Swięta. To iest Księgi Starego y Nowego Zakonu Własnie z zydows kiego, Greckiego y Łacińskiego, nowo na Polski vęzyk z pilnośćia y wiernie wyłożone. w Brześćin in Litewskim. 1563. fol.

Quid vero ipse à Lasco, quid reliqui interpretes in hisce praestiterint, penitius investigare huius loci non esset, et in vitae ipsius narratione accuratius expendetur [1]).

Ex praecedentibus igitur patet editionem, quam curavimus, hisce nominibus Lasci operum syntagma illustrare:

1°. Certum eius operum Catalogum constituimus, qui hucusque desiderabatur.

2°. Ineditam *de s. coena considerationem*, quam a. 1544 sub epistolae forma divulgavit, e manu scripto codice edidimus.

3°. *Epitomen Doctrinae Ecclesiae Frisiae Orientalis*, quam saepius iam conclamaverant viri docti, in fine secundi voluminis editio nostra exhibet.

4°. *Disputationis cum Bucero* schema exprompsimus.

5°. Priorem partem eius libelli, quam sub titulo *Simplex ac fidelis narratio* edidit Utenhovius, Lasco verisimiliter tribuendam esse ostendimus.

6°. Quinquaginta et quod excurrit *epistolis* Gerdesii syllabum adauximus.

7°. Belgicam recensionem pagellis nostris dedimus eius opusculi, quod *de fug. pap. illic. sacr.* conscripsit, et cuius germanica tantummodo versio Lasci biographis praesto fuerat.

---

1) Ringeltauben, *Nachricht von Polnischen Bibeluebersetzungen.* Dantz. 1744. p. 83—114. Grässe, *Allgem. Literat. Gesch.* Tom. V. 860. Reershemius, *Ostfr. Prediger Denkmahl*, p. 21.

8°. *Moderationem Doctrinae de s. Coena* eandem esse atque Epistolam, quam Bullingeri tractatui praemisit, certis argumentis ostendimus, et ipsum huius epistolae textum typis excudendum curavimus.

9°. *Confessionis Londinensis* textum originalem, latino sermone conditum, nunc tandem repertum erutumque una cum epistola dedicatoria et brevicula Ecclesiae peregrinorum Liturgia, cuius nullibi facta erat mentio, editio nostra belgicae versioni e latere apposuit.

10°. *Brevis fidei explorationis* textum latinum accuratissime cum versione belgica contulimus.

11°. *Catechismi Londinensis* vetustissimam (anni 1551) editionem, a qua recensiores permultum differunt, accuratissime descriptam lectori editio nostra offert.

12°. *Catechismi Emdani* originem stabili ratione sic aperuimus, ut huius quoque auctorem Lascum agnoscendum esse palam certumque sit.

13°. Intricatam atque in paucis perplexam quaestionem de necessitudine, quae Lasci libello *Forma ac ratio* cum Micronii opusculo intercedit, editio nostra solvit atque expedit.

14°. *Purgationis* codicem manu scriptum cum editione typis excusa composuimus, et quantum a se invicem distarent ad marginem adscripsimus.

15°. *Responsionem adversus Hosium*, quae avernali obducta caligine hucusque prorsus latuerat, eius operum Catalogo adiecimus et repetita editione omnibus harum cupediarum eam pandimus amatoribus.

16°. denique loco *Seriem ac progressum Colloquii ipsius cum Brentio* e codice manuscripto alia dedimus recensione, quam ediderat eam Meiuersius.

Quamquam igitur mea sponte agnosco quaedam minoris momenti inedita scripta, quasdam praeterea priscas repertorum editiones etiamnum desiderari, quarum omne vestigium expulisse videtur Inquisitio, et lubens ipse fateor, epistolas Lasci quas collegimus pauciores esse numero, quum ut desiderium nostrum in tanto viro expleant; vel sic tamen in summa felicitatis meae parte duco, tam faustam tamque secundam mihi

Deum Opt. Max. dedisse fortunam in causa praesertim, ubi plus fortuna quam consilium valeat.

Quodsi quis forte fortuna Lasci scripta vel epistolas, quas mihi incognitas esse editio nostra arguat, sive in privata collectione possideat ipse, sive in Bibliotheca, quae publice prostet, ubilibet latere sciat, hunc vehementer etiam atque etiam rogo et per scientiae alma iura perque ipsius Lasci manes oro atque obtestor, ut haec mihi, qualiacunque tandem ea sint, quantocius indicare velit, priusquam editionis nostrae postremum volumen ex officina typographi prodeat.

In fine denique excusanda mihi est inscriptionis in tribus opusculis omissio, quae me peregre circumvagantem, ut fit in itineribus, fugit, donec serius eheu! domi sese proderet. Indicem vero rerum atque nominum de industria idcirco pressi, ad calcem tertii voluminis eam exhibiturus, quod nondum omnis evanuit mihi spes atque exspectatio, fore ut quaedam etiamnum anecdota Lasci monumenta appendicis loco in postremo volumine adspergere queam, quorum igitur materies haud leviter indicem rerum perturbaret, si nunc iam typis excusus, inordinatum posthac acciperet additamentum.

Scribebam in pago Beest (in Gelria Batavorum),
pridie nonas Decembres a. MDCCCLXV.

A. Kuyper.

EMENDANDA.

Vol. I. p. 31 *nos.* l. *non.*

p. 57 *Christus*, l. *Christum.*

p. 140 *ullum.* l. *ullam.*

Vol. II. p. 150 lin. 12 excidit: *neque sumus.*

p. 157 lin. 26 *si*, l. *etsi.*

p. 653 *lusiores latrunculorum amat*, l. *lusi latrunculorum amatores*, cet.

TABULA

SECUNDUM TEMPORIS ORDINEM DIGESTA.

VOLUMEN PRIMUM.

SECTIO I. OPUSCULA DOGMATICA ET POLEMICA.

1. (scr. 1544) Epistola de Coena. . . . . p. 557
2. (scr. 1544) Epitome doctrinae Eccl. Phr. Or. . . . . . p. 481
3. (ed. 1545) De incarnatione adv. Mennon. . . . . . . p. 1
4. (scr. 1546) De fugiend. Pap. illic. sacr. . . . . p. 63
5. (ed. 1551) Summa Controv. de Coena. . . . . p. 465
6. (ed. 1552) De Sacramentis. . . . . p. 97
7. (ed. 1554) De Commnnione Christi. . . . . p. 235
8. (ed. 1556) Epistolae III de Ordin. Eccl. . . . . p. 347
9. (ed. 1556) Purgatio. . . . . p. 243
10. (ed. 1559) Responsio adv. Hosium. . . . . p. 391
11. (ed. 1560) Responsio adv. Westphalum. . . . . p. 271

VOLUMEN ALTERUM.

SECTIO II. OPUSCULA LITURGICA ET SYMBOLICA.

1. (ed. 1551) Confessio Londinensis. . . . . p. 285
2. (ed. 1551) Catechismus Londinensis. . . . . p. 340
3. (ed. 1553) Brevis fidei exploratio. . . . . p. 476
4. (ed. 1554) Catechismus Emdanus. . . . . p. 495
5. (ed. 1555) Forma ac ratio. . . . . p. 1

SECTIO III. EPISTOLAE AD DIVERSOS.

1—136. a. 1526—1560. . . . . p. 545
Epistolarnm conspectns. . . . . p. 767

I.

OPUSCULA DOGMATICA ET POLEMICA.

CONSPECTUS.

1. De Incarnatione adv. Mennon., 1545. . . . . p. 1
2. De Fug. Pap. illic. sacris (text. flandr. c. vers. lat.), 1546. „ 63
3. De Sacramentis, 1552. . . . . „ 97
4. De Communione Christi, 1554. . . . . „ 235
5. Purgatio, 1556. . . . . „ 243
6. Responsio adv. Westphalum, 1560. . . . . „ 271
7. Epistolae III de Ordin. Eccl., 1556. . . . . „ 347
8. Responsio adv. Hosium, 1558. . . . . „ 391
9. Summa Controv. de Coena, 1551. . . . . „ 465
10. Epitome Doctrinae Eccl. Phris. Orient., 1544. . . . „ 481
11. Epistola de Coena, 1544. . . . . „ 557

DEFENSIO

uerae semperq; in Ecclesia

receptae doctrinae de Christi Domini, Aduersus Mennonē Simonis, Anabaptistarū Doctorem, per IOANNEM à LASCO, Poloniae Baronē, Ministrum Ecclesiarum Phrisiae Orientalis.

HEBRAE. II.

Posteaq; pueri communionem habent carnis et sanguinis, Et ipse similiter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium.

BONNAE

Ex Officina Laurentii Mylii.

ANNO. M. D. XLV.

DEFENSIO VERAE

SEMPERQUE IN ECCLESIA

receptae doctrinae de Christi Domini incarnatione, Adversus Mennonem Simonis, Anabaptistarum Doctorem.

ITA equidem initio mecum statueram simul atque scripta tua accepissem, mi Menno, ut tibi continuo et paucis responderem: sperans fore, ut quae inter nos est doctrinae controversia brevi, ac simplici locorum utrinque collatione dirimeretur, praesertim cum nobis spem ipsemet certissimam fecisses, te, si verbi Divini autoritate urgereris, in nostram sententiam facile esse concessurum. Neque hic movebar tuis illis de me, collegis meis, universaque adeo Ecclesia nostra prae iudiciis, ne dicam calumniis, quibus tuam ad me Epistolam, nescio quo consilio, certe praeter meritum omne nostrum explevisti: cogitabam enim, atque aliis idem etiam (A ii[a]) persuadebam, ferenda haec nobis omnia aliquandiu esse, si quomodo saltem te et tuos per nostram istiusmodi patientiam ad doctrinae consensum inducere Scripturae autoritate potuissemus, id quod nos alioqui ante omnia in votis habebamus. Ceterum ubi intellexissem, nos, non solum contemni prorsus abs te, sed ita praeterea traduci etiam passim, ut videri posses in nostro illo colloquio, ad quod nos te amice sane, ut fratrem, ob spem concordiae, impetrata etiam Principis autoritate invitaveramus, nihil propemodum aliud quaesiisse, quam ut elevata modis omnibus nominis nostri existimatione, gratiam tibi apud tuos, novamque autoritatem quandam comparares, mutavi protinus, ne quid dissimulem, consilium meum, neque mihi ad te amplius quidquam omnino scribendum esse putavi; ne si quid ad te liberius paulo scripsissem, id tu et aliter forte quam nos vellemus accepisses, et ad novam rursus etiam detorsisses nostri proscindendi occasionem, atque ita demum fieret, ut quod nos componendi potissimum dissidii studio instituis-

(A iib)semus, id illi magis ac magis excitando causam adhuc praeberet: a quo nos interim modis plane omnibus (quod in nobis quidem est) abhorremus. Continere me itaque omnino a scribendo volebam, ut si nihil aliud efficerem, serendi certe maioris inter nos dissidii occasiones omnes (nostra saltem ex parte) amputarem. Sed et hic adeo mihi non successit meum consilium, ut multo etiam infoelicius cesserit, quam si tibi initio mox respondissem. Tui enim insolentiores silentio hoc meo facti (quos ego tamen mitiores omnino futuros esse sperabam) triumphos tibi iam nescio quos ante ipsum etiam congressum decernunt, nobisque iactabundi insultant, quasi quod ad tua respondeamus, nihil omnino habere possimus. Tu vero non solum nomen iam meum traducis, qui tamen male de te meritus nunquam mihi esse videor: sed ministerium quoque Ecclesiarum nostrarum, atque ipsas etiam Ecclesias, gravissime et praeter culpam omnem infamas. Doces nos seductores esse, qui nostras Ecclesias nescio qua tyrannide in fide atque observatione (A iiia) eorum retineamus, quae verbo Dei approbare haudquaquam possimus: vocas nos idololatriae Ministros ac Doctores, propterea quod infantes nostros baptizemus et baptizandos esse doceamus. Coetum item nostrum ita conspuis, ut nihil praetermittas, quod ad proscindendum illum omni conviciorum genere quoquomodo pertineat. Breviter, spolias nos omneis Ecclesiae titulo, et pro eiectis prorsus, ac deploratis habes, quod doctrinam tuam (quam refutare non queamus scilicet) non interim tamen recipiamus. Haec vero, neque abs te expectassemus unquam, de quo nobis multo quidem meliora pollicebamur: et posteaquam illa iam sparsisti, graviora sane esse iudicamus, quam ut ad ea silere amplius, vel possimus omnino, vel etiam debeamus. Sunt enim eiusmodi, ut sine gravi impietatis nota ab homine Christiano ferri dissimularique non possint. Proinde facere amplius non potui, quin silentium hoc meum iam tandem abrumperem: ut et Ecclesiarum nostrarum dignitati pro debito officioque meo non deessem, et doctrinam (A iiib) item nostram a maledictis tuis Verbi Divini autoritate vindicarem: quam tu clamoribus quidem facile apud tuos incessere potes, caeterum Scripturae autoritate (etiamsi illam perpetuo iactes) impugnare vere nunquam potes. Vitam meam accusare malim ipsemet, quam excusare apud Deum praesertim, certus mihi non defuturam esse illius misericordiam, cui interim gratias ago, quod me ab his, quae mihi notam aliquam in eius Ecclesia inurere possent, clementer immunem hactenus servarit, prolapsurum alioqui in omne scelerum genus, nisi ipse servasset. Quare hic tibi aliud nihil respondebo, quam quod Socrates cuidam se proscindenti respondisse fertur, nisi quod ego gratuitae Dei misericordiae id acceptum refero, quod ille Philosophiae tribuebat. Et libenter fateor

me omnium hominum deploratissimum fuisse futurum, si non me bonitas et vere Paterna Dei misericordia tutaretur ac servaret. Sed quod ad Doctrinam nostram Ecclesiarumque nostrarum dignitatem attinet, eam sane me ita defensurum per Dei gratiam confido, ut (A iiii[a]) omnes intelligant, nullam te causam habuisse, cur in nostras Ecclesias earumque Doctrinam ac ministerium tam atrociter invehereris. Respondebo tibi igitur, serius quidem quam par est, fateor, sed non sine causa, ut iam dictum est. Et sat cito alioqui si sat bene, quod aiunt. Bene autem respondisse me existimabo, non si maledicto pro maledictis regeram, neque item si te tuosque cuiusquam invidiae exponam: sed si me Christi Domini gloriam (pro mea tenuitate) promovisse quoquomodo videam, atque gradum etiam qualemcunque fecisse ad componendum Doctrinae hoc dissidium, quo ita scinditur Christi Ecclesia, cuius equidem maiorem multo, quam nostri ipsorum rationem habere (si sumus Christiani) debemus. Neque tibi persuadeas velim, nos tuis tuorumve conviciis ita commotos esse, ut non meminisse interim velimus patientiae et mansuetudinis Christianae. Equidem gratius fecisses ac forte rectius etiam, si quorum culpa nulla tenemur, ab iis tibi etiam temperasses: sed etsi tibi hic tu una cum tuis nimium indulgere voluisti, nos (A iiii[b]) tamen nihil horum omnium (quatenus id modo fiat sine Doctrinae ministeriique nostri indignitate) meminisse prorsus volumus: parati vel iustam nominis nostri jacturam facere, nedum ut iniquam patienter ac modeste ferre nolimus, tantum ut inducta Doctrinae concordia, unanimi consensu omnes Christi demum gloriam propagemus. Quin et haec privatim scribere ad te maluissem, et facturus id eram omnino, si id Ecclesiarum nostrarum dignitas, tam atrociter abs te laesa, permisisset. Sed tu ipse me plane ut tecum publice cogar agere coëgisti. Si enim privatim ad nos tua (quemadmodum te id facturum receperas) transmisisses, privatim tibi vicissim respondere etiam potuissemus. Nunc ita inter tuos sparsisti ea omnia, priusquam omnino ad nos pervenissent: et postea etiam Ecclesiae nostrae Doctrinam, ministerium, et omnem prorsus existimationem ita traduxisti, ut publicam omnino vicissim adversus te defensionem flagitare videantur. Iam et tui in causa sunt etiam, ut me publice tecum agere oporteat: qui nescio quo (A v[a]) consilio (abs te enim profectum esse non suspicamur) rumorem constantissimum per Phrisiam occiduam et magnam Hollandiae partem sparserunt, permissam tibi hic et tuis, in nostris Ecclesiis tua omnia docendi libertatem, nobis devictis scilicet, et nihil habentibus, quod tibi opponeremus. Id porro cum non ad nos tantum, sed ad Magistratum quoque nostrum, ac totam denique Patriam hanc pertineat: non potest etiam nisi publica defensione refutari. Quare veniam mihi dabis, si per te et tuos ad-

actus, publice tecum agam: multo sane libentius privatim acturus, si licuisset. Vehementer autem optarim, ita me tecum posse agere, ut neque tu, neque tui, modestiam merito desiderare in me possitis: atque omnes intelligant me nihil aliud quaerere, quam ut consensus Doctrinae inter nos, iuxta Verbum Dei, induci possit, ad Christi gloriam, cui nos soli hic servire oportet. Id porro hac potissimum ratione fieri posse puto, si, non regestis ullis in te tuosque conviciis, ad Doctrinae ipsam mox controversiam descen-(A v^b^)damus, ac doctrinae nostrae pariter ac tuae summam, primum in controversis capitibus, deinde vero illius testimonia, postremo autem testimoniorum interpretationes et pondus conferamus. Sic enim facile apparebit uter nostrum solidiore fundamento nitatur. Et si Doctrinam nostram verbi Divini autoritate comprobaverimus, res ipsa docebit nos praeter omnem causam illius nomine traductos abs te esse, nostramque omnium innocentiam approbabit. Priusquam tamen rem ipsam aggrediamur, id abs te petimus: ne gravatim feras, si circa locorum scripturae explicationem ad Graecos potissimum fontes, quos sane non temere Spiritus sanctus omnis propemodum Apostolicae doctrinae Archetypon esse voluit, recurramus: praesertim in investiganda vocum significatione, ex qua sane colligi locorum sententias oportet. Quo pacto enim scias veram loci sententiam, si propriam non habeas verborum illius significationem: ex quibus equidem non intellectis multos passim errores natos esse videmus (A vi^a^). Sic quidam Petrum caput ex *saxo* fecerunt. Sic et alii spiritualem cultum apud Paulum moderatum corporis exercitium esse putarunt, sive castigationem, et quae innumera recenseri hic possent. Deinde quoties loci pugnare inter sese videbuntur, ut discrimen habeamus inter locos, qui proprie tractant aliquid, et qui aliud agentes eiusdem rei etiam obiter meminerunt; utque maius sit locorum pondus, qui proprie aliquid tractant, aliique ad illos referantur. Postremo si par esse pondus locorum pugnantium videatur, ut illorum conciliatio ex mutua plurium locorum collatione petatur: eiusmodique illis interpretatio adhibeatur, quam Scripturis familiarem esse constet, a peregrinis vero, et quarum in Scripturis usus non sit ullus, interpretationibus abstineamus. Haec etsi mihi postea quoque (ubi id commodum fuerit) repetenda adhuc erunt, praefari hic tamen paucis volui, ut si illa urgeri suis postea locis videas, ne veluti re nova offendaris. Nihil autem iniqui me hic petere arbitror, quod mihi negari abs te possit: siquidem solam verbi Divini au-(A vi^b^)toritatem (quemadmodum te facturum esse credo) sequi velis. Et si has leges recipis, tu ipse comperies te in approbandis tuis dogmatis parum solido fundamento niti, etiamsi tibi invictus ipse videaris. Erant autem tria potissimum Religionis nostrae capita, de quibus inter nos non potuit convenire: de

Christi Domini incarnatione, de Baptismo et de Ecclesiastica ad verbi ministerium vocatione. De his itaque tecum agemus, nostramque tibi doctrinam, quantum Dominus permiserit, invicta verbi illius autoritate approbabimus. Sed quoniam et per valetudinem meam parum alioqui firmam, et per negotiorum item molem absolvere id mihi nunc totum non licuit; atque alio demum vocatus certus esse etiam non possem, quando mihi rursus ad coeptum opus redeundum esset; et non deessent praeterea, qui hoc a me flagitarent, ut quae de Christi Domini incarnatione collegi, ne amplius premerem, etiamsi reliqua nondum absolvissem; proptèrea quod per nostrum silentium tui plurimos in tuis dogmatis confirment, dum nos (si quid mo-(A vii[a])do haberemus) tibi iamdudum hauddubie responsuros fuisse iactitant, et certissimam tibi (dum nos silemus) victoriam decernunt: — facile id mihi passus sum persuaderi, ut, repositis in aliud tempus reliquis illis capitibus, nempe de Baptismo, et Ecclesiastica vocatione, nostram tibi doctrinam de Christi Domini incarnatione approbemus. Baptismi vero et vocationis Ecclesiasticae causam in aliud tempus suspendamus. Age igitur ad rem ipsam iam tandem accedamus, et quae de incarnatione Christi inter nos controversia sit, exponamus.

Omnis nostra controversia circa originem carnis Christi versatur, iuxta quam homo esse voluit, cum sit unus atque idem (iuxta divinitatis suae existentiam) cum Patre et Spiritu sancto, Deus laudandus in saecula, Amen. Non igitur hic quaeritur, An Christus Dominus sit ille Patris Dei unice dilectus, illique ὁμοούσιος Filius; hoc enim extra controversiam omnes, uno ore cum Petro Apostolo profitemur. Sed de natura atque origine carnis suae quaestio (A vii[b]) est, ut certam humanitatis quoque suae rationem habeamus: quemadmodum vere Deum esse novimus, dum illum Patri ὁμοούσιον esse fatemur. Quare et tu extra causam adferre videris illa, in tua adversus nos Epistola, quae ad probandam Verbi aeterni in Divinis naturam, Patrisque Dei omnia per illud creantis, gubernantis, ac restituentis providentiam, quae tamen tu ita urges, quasi nos ea apud te impugnassemus, tuque illa adversum nos tuenda suscepisses. De hoc sane nulla unquam apud nos dubitatio erat: imo vero id nobis in causa etiam fuit, ut doctrinam tuam de Christi Domini incarnatione non reciperemus, quemadmodum postea dicemus, tantumque abest ut ea impugnemus, ut in adiumentum quoque illa causae nostrae, veluti per te iam concessa, accipiamus. Caeterum ut intra certos fines nostra concludatur disputatio, id solum hic agendum nobis est, ut de origine ac natura carnis Christi disseramus, quae vero huc non pertinent, (A viii[a]) non temere etiam admisceamus. Hic igitur nos docemus Christum Dominum carnem e matris suae substantia sumpsisse, ut, quemadmodum eiusdem est cum Patre suo substantiae ante saecula

genitus, ita eiusdem sit etiam cum matre (et proinde nobiscum quoque) substantiae, homo in saeculo natus. Neque interim duos Christos facimus (quemadmodum tu parum equidem Christiane de Christo loqueris), sed unum atque eundem Christum Deum pariter atque hominem esse fatemur, id vèro non commixtione ulla Divinae cum humana substantiae, sed admirabili quadam in una eademque persona coniunctione, quae tamen Spiritu sancto autore facta sit, non commutatione Divinitatis in carnem (quemadmodum tu somnias), sed assumptione humanitatis in Deum, quemadmodum Athanasius docet. Haec nos inquam de natura ac origine carnis Christi. Tu vero videri quidem vis Christo Domino et Divinitatem simul et humanitatem tribuere: sed ita illi id utrunque interim tribuis, ut utrunque ei adimere potius velle videaris. Do-(A viii[b])ces enim verbum illud, quod est Deus, eiusdem cum Patre existentiae, quodque olim Spiritus erat, in virginis demum utero ex Spiritu sancto factum esse carnem, desiisseque esse quod erat, nempe Spiritum, et veluti commutatione quadam coepisse esse, quod non erat, carnem, in qua demum et passum sit pro nobis, et mortuum, et sub peccatum condemnatum, faterisque Christum esse Deum, sed mutabilem, et mortalem, ac rursum fateris esse hominem, sed sine nostra carne, qui sumus homines, quasi vero aut Deus natura esse possit mutabilis, aut homo sit, qui carne humana careat.

Haec igitur inter nos est controversia. Nos (ut veram Christo Domino Divinitatem iuxta ac humanitatem asseramus) dicimus, Verbum illud adorandum, quod natura ab aeterno et in aeternum est Deus, et proinde Spiritus etiam, esse etiamnum quod erat, sed ita iam nobis in Christo Domino coniunctum, posteaquam carnem in se nostram assumpsit, ut sit vere quod dicitur Emanuel, hoc est, nobiscum Deus. Tu vero doces Verbum, quod olim Spiritus erat, commu-(B i[a])tatione quadam factum esse carnem, eam vero non nostram, sed e Spiritu sancto conceptam et deductam: interim vero tibi ipse non constas, sed nescio quid de promissione imaginaris, et rem ita omnem implicas, ut incertum sit, ad uterumne matris, an vero ad verbum promissionem referri velis. Hoc igitur primo excutiendum nobis erit, et videndum, utri hic a vero aberremus.

Ordiemur autem ab eo, quod utrique circa controversiam fatemur: Verbum esse Deum, — ac primum nostra confirmabimus, deinde vero ad tuorum confutationem descendemus. In hoc autem consistet summa nostrae confirmationis, ut doceamus nulla id commutatione fieri potuisse, ut verbum, quod erat Spiritus, fieret caro: deinde adferemus testimonia: Verbum carnem factum esse assumpta nostra in se natura. Iam vero in confesso id est: Verbum, quod caro factum est, fuisse ab aeterno Deum, neque te hic a nobis dissentire

puto. Quodsi vere Deus erat, eiusdem cum Patre existentiae hauddubie erat; Deus enim ipsemet apertissime per prophetam suum testatur: Extra se non esse ullum De-(B i^b)um. Et loquitur illic de tota Divinitatis existentia, ut quidquid omnino est vere Deus, id totum unius atque eiusdem existentiae esse intelligamus, unde et nos unum atque eundem Deum in tribus personis adoramus. Quare si Verbum illud, quod caro factum est, vere et ex animo fateris esse Deum, negare certe non poteris, illud unius atque eiusdem cum Patre existentiae esse oportere. Aut si id neges, ne Deum quidem esse fateri poteris (quidquid omnino hic somnies), quum Patri ὁμοούσιος non sit; neque enim mentitur Deus, qui id de se ipso testatur. Porro Dei existentiam nobis Scriptura multis locis ob oculos ponit, quatenus a nostra infirmitate apprehendi potest; docet illum esse Spiritum et proinde Spiritu quoque adorari oportere. Deus spiritus est, inquit Christus. Docet esse immutabilem, non quod ad existentiam modo, sed quod ad voluntatem quoque attinet: Ego sum, inquit, Deus et non mutor. Docet praeterea esse sanctum: Sancti eritis, inquit, quia ego sanctus sum. Docet esse et aeternum: Dominus in aeternum permanet. Si igitur tu verbum illud sacrosanctum agno-(B ii^a)scis esse verum Deum: illud concedas necesse est, ut Spiritus fuerit, priusquam caro fieret; ut fuerit immutabilis, sanctus et aeternus, quandoquidem extra hunc talem et unum Deum non est ullus amplius Deus. Quodsi verbum Spiritus erat, et quidem immutabilis, qui fieri id potuit, ut in carnem mutata sua existentia transiret? Si sanctus, quomodo sub peccatum in Patris iudicio condemnatur? Si aeternus, quo pacto moritur? Quo magis igitur nobis assentiris verbum vere esse Deum, hoc magis ipsemet pugnas adversus tuam doctrinam de Christi Domini incarnatione, dum verbum illud, quod Deus est, facere conaris mutabile, condemnationi obnoxium, et mortale, quorum equidem nihil in id, quod vere Deus est, cadere ullo modo potest. Nec est quod nos hic rationis nostrae iudicio niti cavilleris. Os Dei loquutum est de sua ipsius existentia quae recensui. Quare hoc tibi ipsi faciendum hic esset, quod a nobis toties fieri postulas, hoc est, ut des gloriam Deo: atque de illo ita plane sentias, quemadmodum se ipsemet nobis verbi sui testimonio patefecit. Frustra autem quae dixi (B ii^b) ad Patris duntaxat personam referas: absolute de Deo dicta esse haec omnia legimus, ut sub Dei nomine id totum, quod Deus est, intelligamus: neque extra hanc illius existentiam ullum nobis alium Deum somniemus, qui quidem vere sit Deus.

Iam et illud quod huius nostrae controversiae praecipuum caput est, Paulus aperte discutit. Nos dicimus Verbum post carnem nostram e matre virgine assumptam (quod quidem ad divinam naturam suam attinet) spiritum etiamnum esse: — tu vero doces in matris virginis utero

e spiritu (commutatiooe quadam) factum esse carnem, neque aliud esse ais Christum in carne, quam verbum incarnatum, quod olim spiritus erat. Hio igitur Paulum iudicem audiamus. Is vero Christom spiritum appellat, nimirum verbi naturam in illo intuens, nos ad imaginem suam virtute sua traosformantem. Dominus, inquit, spiritus est. Quodsi verbum in carnem transiit, quo pacto Christus a Paulo vocatur Spiritus? Aut si etiamnum Spiritus est, quo pacto constare poterit tua de illius incarnatione doctrina? Nos igitur Dei ipsius vocem sequuti, sequuti et Pauli doctrinam, neque factum esse, neque (B iii[a]) fieri potuisse docemus, ut verbum illud, quod Deus est, ulla nnquam commutatione factnm sit caro. Locum Ioännis illom „Verbum caro factum est" postea expendemus, qui nullam nobis commntationis necessitatem imponit. Nuoc quod coepimus prosequemur, hoc est, quonam modo Verbum factum sit caro, sine ulla Divinae suae existentiae commntatione.

Id vero nobis pulcherrime exponit Paulus, etiamsi to verba illius invertere conaris. Christus, inquit, eum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, ut esset aequalis Deo, sed semetipsum inanivit forma servi snmpta. Audimus, ecce, incarnationis modum: semetipsum inanivit (inquit), *forma servi sumpta*. Quid, obsecro, clarius dici potest? Dubium sane non est inaniendi voce designari hic mysterium Dominicae incarnationis. Estque huiusmodi Paulina argumentatio: nos debere erga nos invicem ita affectos esse, quemadmodum Christum Dominum erga nos affectum fuisse videmus. Non esse nobis spectanda quae nostra sunt, sed quae aliorum, resque proximi nostris rebus anteponendas semper (B iii[b]) esse; imo vero, etiamsi quid forte in nobis quam in aliis praestantius videamus, infirmitatem nobis tamen aliorum magis intuendam, quam donorum nostrorum excellentiam; atque adeo hano dissimolandam potius, illam vero quodammodo induendam, ut eos qui imbecilles sunt, ad nostrorum etiam donorum communionem istiusmodi dissimulatione perducamus. Quandoquidem et Christus Dominus nostra magis quam sua spectare voluit, et maiorem se habere declaravit nostrae miseriae, quam divinae suae ipsius excellentiae rationem. Cumque Deus ac Dominus esset omnium, dissimulata interim ea Dei forma, hoc est, ineffabili illo divini splendoris sui aspectu, quo se omnis gloriae Dominum ab aeterno in sinu Patris sui esse declaravit, et assumpta in nostram gratiam servi forma, hoo est, hnmili carnis nostrae aspectu, nostri similis esse volnit, ut nos sui similes redderet, assumptaquo in se carne nostra omnem simul nostram infirmitatem induit, ut nobis suam impertiret gloriam, qnam a Patre suo caelesti factus homo accepit. Iam si propo-(B iv[a])sito Christi Domini exemplo hortatur nos Paulus ad assimulandam proximi infirmitatem, quo illum lucrifaciamus, certo in proposito exemplo impleri

id oportuit, ad cuius imitationem provocamur, alioqui frustra id exemplum Paulus proposuisset, in quo id praestitum non fuisset, ad cuius nos imitationem adhortatur. Perspicuum est igitur ex hac Pauli argumentatione, Christum Dominum, nostrae, et non alterius ullius carnis infirmitatem in sua incarnatione induisse, nedum ut commutatione ulla prioris existentiae factus sit caro, praesertim quae nostra omnino non esset. Neque est quod hic arguteris in *formae* et *inaniendi* vocibus: quod enim ad *formae* vocem attinet, dubium non est, eodem illam modo accipi utrobique oportere: hoc est, et in Dei, et in servi consideratione, neque altero loco aliter posse accipi, quam ut primo illam loco positam esse videmus, siquidem verba verbis debeant respondere. Perspicuum est autem in Dei consideratione, formae vocem accipi non posse pro externa duntaxat similitudine (hoc namque esset Christum Dominum Divina sua existentia velle exuere). Proinde ne in servi quidem consideratione (B iv[b]) ad eum modum accipi etiam potest. Neque obscurum est quid apud graecos significet μορφήν, nempe non externam illam dumtaxat similitudinem, qua alii aliis similes sumus (haec enim ab illis ὁμοιότης vocatur), sed speciem ipsam sive characterem aut aspectum, quem mox rursum σχῆμα appellat: hoc est, effigiem quamdam, seu figuram. Cum igitur in Dei consideratione μορφή, sive forma, non tam externam, ut dixi, similitudinem ullam, quam ipsam speciem, aspectum, figuram, effigiem, ac characterem Dei significet: hoc est, illud ipsum, per quod Deus cognoscitur esse Deus: — sane in servi etiam consideratione aliter accipi non potest, quam pro ipsa servitutis nostrae specie, aspectu, figura, effigie, sive charactere, hoc est, pro eo ipso, per quod servus (nimirum homo) cognoscitur esse servus. Porro antithesis ipsa formarum a Paulo proposita nos docet, ut quemadmodum id ipsum, per quod Deus cognoscitur esse Deus, aliud nihil est, quam immensa illius potentia, et splendor inaccessae lucis suae ac gloriae: ita id ipsum etiam per quod servus cognoscitur esse servus, nihil aliud esse intelligamus, quam carnem hu-(B v[a])manitatis nostrae, sub peccati servitutem per Parentis nostri inobedientiam venundatam. Sic tamen, ut carnem nostram illum assumpsisse intelligamus, non autem carnis nostrae servitutem: Hoc enim est quod Paulus ait, Dominum formam servi, non autem servitutem ipsam assumpsisse. Exponit autem Paulus ipse carnis nostrae in nobis servitutem, dum ait: Video aliam legem in membris meis, captivum me reddentem legi peccati, quae est in membris meis. Eam igitur humanitatis nostrae carnem, in cuius membris servitus nostra omnia ita haeret, ut non abs re forma seu character illius dicatur; eam, inquam, Paulus a Domino assumptam esse docet, ut nos ab hac ipsa illi induta servitute, aut potius noxa illius, merito suo liberaret: ac

factus Emmanuel, in nobis vere iuxta Ioannem, hoc est in carne nostra habitaret. *Inaniendi* vocem ita tu quidem accipis, ut intelligas inaniisse aliud nihil esse, quam priorem existentiam prorsus deseruisse. Atque magnum hic momentum in ea voce (ita interpretata) ponis: quasi hoc verbo Paulus significare voluerit Christum (B v[b]) deposita priore existentia in alteram transiisse, hoc est: e verbo quod Spiritus erat factum esse carnem. Ita enim reddis hoc verbum *inaniit* sese: *He is van sick selvest wthgegaen.* Ut videaris docere, Filium Dei desiisse esse quod erat, nempe carnem. At vero subsequentia Pauli eodem ipso loco verba et tota illius argumentatio manifeste docent, hanc vocem aliter, quam tu interpretaris, accipi oportere. Quemadmodum enim in ferenda proximi infirmitate (ad quod nos eo loco Paulus proposito hoc Christi Domini exemplo hortatur) non requiritur, ut dona si quae ceteris praestantiora habemus omnino deponamus: sed ut illis dissimulatis ad proximi nos infirmitatem ita attemperemus, ut ipse intelligat eam nobis communem secum esse: cogitetque se participem posse esse etiam eorum donorum omnium, quae antea in nobis agnoscebat, posteaquam videt, nobis eandem infirmitatem secum una communem esse per nostram illam assimulationem. Ita cum huc spectet tota Paulina eo loco argumentatio, doceri sane non potest Paulum (B vi[a]) per hoc inaniendi verbum quidquam omnino de deserenda, deponendave priore verbi in Christo existeutia significare voluisse, quandoquidem sibi neque cohaereret neque responderet etiam ipsamet argumentatio, in qua, quod in proposito ad imitandum exemplo imprimis urgetur, id demum in ipsa exempli imitatione excluderetur. Cum igitur non hoc a nobis exigat Paulus eo loco in propositi nobis Christi exempli imitatione, ut dona (si qua peculiaria habemus) in ferenda proximi nostri infirmitate prorsus deponamus: sed potius ut illis dissimulatis infirmitatem illius assimulemus: Sane neque proposito Christi Domini exemplo aliud intelligi voluit per inaniendi verbum, quam splendoris Divini voluntariam dissimulationem, nostraeque servitutis in carne nostra assimulationem. Sed et Paulus ipse apertius mox declarat, quidnam verbo hoc inaniendi voluerit designare; quod enim μεταφορικῶς dixerat: semetipsum inaniit, id mox simpliciter ita repetit: semetipsum humiliavit, ut vel ex ipsiusmet Pauli verbis manifeste appareat inanitionem hoc loco (B vi[b]) idem esse, quod humiliationem: quae quidem constiterit non ulla prioris existentiae depositione (quemadmodum id ex ipsa Paulina argumentatione demonstratum est), sed dissimulatione Divini splendoris sui, et servitutis nostrae (per assumptam carnem nostram) assimulatione. Vides igitur frustra te verbo hoc inaniendi niti, ad doctrinae tuae confirmationem, ut interim illud quoque taceam, quod Dominus ipse tuae hic interpretationi reclamat.

Testatur enim ipsemet, se non ita semetipsum inaniisse sumpta in se forma nostrae servitutis, ut formam Dei prorsus deposuerit deserueritve, quod quidem fieri oportuisset, si per prioris formae desertionem nostram formam assumpsisset, nam et in caelis se interea fuisse docet, cum hic in terris nobiscum ageret: Et faciem suam ut solem, vestesque item suas ut nivem splendere facit. Quid vero, dum aegrotos sanat, mortuos suscitat, et (quod soli Deo est proprium) verbo peccata condonat; an et tum quoque se ita inaniit, ut nullam prorsus Dei formam reliquam apud se haberet? Perspicuum est igitur hoc Pauli loco, et formam servi, quam (B vii[a]) Filius Dei assumpsit, aliud non esse, quam carnem humanitatis nostrae, quae est ipsissimus character, forma ac species nostrae servitutis; et inanitionem idem plane esse, quod humiliationem, neque posse doctrinam tuam cum Pauli doctrina hoc loco consistere, qui non recte germanice redditus (quod quidem ad verbum inaniendi attinet) errori forte tuo occasionem dedit. Habemus ergo ex hoc Pauli loco, Verbum illud adorandum (quod est ab aeterno et in aeternum Deus) factum esse hominem non ulla commutatione prioris suae existentiae, neque item prioris formae suae desertione: sed assumptione carnis nostrae per voluntariam ipsius humiliationem.

Hunc porro humiliationis Dominicae modum, quo servitutis nostrae formam in se ille recepit, pulcherrime nobis describit idem Paulus in Epistola ad Hebraeos, capite ii, simulque et Divini in hac parte consilii rationem exponit. Quod videlicet Pater Deus filium suum honorare voluerit, dato illi iuxta providentiam suam regno, quod multis filiis in gloriam (merito suo) adductis constaret. Quo pacto enim Rex esset, nut (B vii[b]) quibus imperaret, si nullos regni sui cives ac ministros haberet? Porro cum id Divina posceret iustitia, ut quod per carnem nostram in lumbis Adae conclusam promerueramus, id ipsum in eadem carne nostra etiam dependeretur: nos vero id praestare non possemus; et tamen in hoc conditi a Deo essemus, ut in gloriam regni nihilominus adduceremur; — Aequum hoc hauddubie fuisse, ut is, propter quem sunt omnia et per quem sunt omnia, Deus, Divinae hic suae ipse iustitiae satisfaceret per suam bonitatem ac misericordiam: ac donato nobis unigenito filio suo, ut Princeps salutis nostrae esset, perfectum illum per eas ipsas, quas nos commerueramus, afflictiones, in carne nostra redderet, quo et nos per ipsum perfecti simul redderemur, quatenus tantum beneficium non contemneremus; nimirum persoluto iam in carne nostra eo, quod alias debebamus, per carnis nostrae communionem. Iam ut hoc filius praestaret, quod nulla alioqui creatura alia praestare poterat, nempe ut salutis nostrae Princeps esset, nosque ad regni sui gloriam adduceret, Emmanuelem se esse declaravit, (B viii[a]) et posteaquam nos carne et sanguine constaremus,

atque adeo per haec (in Ada) peccassemus etiam; particeps et ipse factus est eorundem ipsorum, ut mori posset, ac per mortem (veluti fidelis Pontifex) tyrannidem eius aboleret, qui mortis imperium in carne nostra habebat, posteaquam eam, nihil ipse commeritus, et iuxta alteram naturam suam immortalis, nostra duntaxat causa pertulisset. Verba Pauli (quod quidem ad assumptae servilis formae modum attinet) sic habent: Posteaquam igitur pueri communionem habent *carnis* et sanguinis, et ipse quoque *particeps similiter factus est eorundem ipsorum, ut per mortem* cessare faceret, sive aboleret eum, qui mortis habebat imperium cet. Hic vero tu agnoscis quidem ea Pauli verba, et fateris, filium Dei communicasse carni et sanguini: caeterum eam carnem, cui is communicasset, negas esse nostram. At vero Paulus id agit potissimum hoc loco, ut doceat, filium Dei nostrae et nullius alterius carnis participem factum esse. Atque agit hoc sane et verbis ita dilucidis, et argumentatione ita urgenti, ut neque tibi neque (B viii[b]) cuiquam, ullam hic prorsus suffugium permittat. Argumentatio Paulina talis est: Adduci pueri ad gloriam Regni coelestis debebant, ut Filius Dei regnum in illis suum haberet, quo ipsum Pater ab aeterno iuxta suam providentiam honorarat: Id vero cum fieri non posset, nisi abolita prius Diaboli tyrannide, qui in pueros illos, hoc est, in nos omneis (per decretum Dei) mortis imperium habebat: atque haec ipsa Diaboli Tyrannis, aboleri nullo alio modo posset, nisi persoluto in eadem carne, eo, quod iam nostro in Ada peccato semel fuerat constitutum, nempe morte (impleri enim oportebat decretum aeterni Dei); Ut igitur ea ipsa Diaboli tyrannis vere aboleri in carne nostra posset, Filius ecce Dei, qui solus efficere id potuit, eius ipsius carnis particeps esse voluit, quae et peccato (quatenus est tentatus), et morti etiam obnoxia esset; hoc est, nostrae (neque enim est alia praeter nostram caro ulla peccato ac morti obnoxia, quae quidem ad gloriam interim adduci adhuc debeat); ut persoluto in ea peccati nostri stipendio, a Diaboli illam tyrannide liberaret, atque (C i[a]) ita nos demum (impleta in nobis per naturae communionem Patris sui iustitia) ad Regni sui gloriam evocaret. Haec est, inquam, Paulina argumentatio, qua equidem planum fit, Filium Dei nostrae, non alterius ullius carnis participem factum esse. Cum enim ait, Dominum ideo carnis et sanguinis participem factum esse, ut per mortem Diaboli Tyrannidem aboleret; id simul docet etiam, illum non alterius ullius carnis participem factum esse, quam quae et peccato (ut tentaretur), et morti simul obnoxia esset. Ea porro nostra est, quae sola per peccatum morti obnoxia esse coepit. Alioqui ne morti quidem obnoxium esse potest, quod peccato obnoxium non est, est enim nihil aliud mors quam peccati stipendium; ac peccatum rursus mortis aculeus; et alia

caro nulla est praeter nostram, quae quidem (sed sub spe gloriae interim) et morti sit obnoxia et peccato. Constat igitur ex hac Pauli argumentatione, Filium Dei, nostrae et non alterius ullius carnis participem factum esse, atque hac ratione formam nostrae servitutis assumpsisse. Iam et verbis ipsis Paulinis nihil clarius esse po-(C i[b])test. Ait Filium Dei participem factum esse carnis et sanguinis; — extare igitur prius oportuit eam carnem, cuius particeps esse debebat. Quo pacto enim participaremus iis, quae nusquam extarent? Deinde participare non possumus nisi cum aliis; quod enim soli obtinemus, eius sane partem habere non dicimur, sed domini ac possessores totius appellamur. Igitur cum Paulus testatur, Filium Dei participem factum esse carnis et sanguinis, docet simul, ipsum non aliam sane carnem ullam assumpsisse, quam eam, quae et antea iam extitisset, et aliis etiam communis praeterea esset. Participem enim fieri alicuius rei aliud nihil est, quam venire in eius communionem; id plane nobis significat vox graeca μετέχειν, hoc est, cum aliis simul habere. Quo quidem verbo hic usus est Paulus, ut doceret, Filium Dei non ullum aliud genus carnis (sibi videlicet soli proprium) assumpsisse, sed in communionem, seu participationem, venisse eius carnis (nimirum humanae), quae et antea multo extabat, et aliis etiam communis erat. Nulla autem alia caro extabat praeter nostram (ut dictum est), ad quam equidem, etsi peccato ac morti (C ii[a]) subiectam, promissiones interim vitae aeternae (Christum intuentes) pertinerent. Huius igitur et nullius alterius carnis Filium Dei participem factum esse constat, cum certum sit, eum nostra causa egisse quicquid egit. Quid! quod ne id quidem ociosum est, quod ait: *similiter* illum participem factum esse carnis et sanguinis, hoc est, ad eundem modum, — nempe per conceptionem et nativitatem naturalem, praeterquam quod sine Patre homine est homo, quemadmodum et sine matre aeternus est ac immortalis Deus; refertur enim participatio carnis in Christo hac voce *similiter* ad puerorum naturam, qui et ipsi carnis et sanguinis communionem habebant, ut et hinc appareat, Filium Dei, licet sine Patris hominis ministerio (id enim diserte ab angelo et virgine ipsa matre docemur) ,non alio tamen ullo modo participasse carni et sanguini (quod quidem ad matris personam attinet, in qua nihil exceptum legimus), quam illis pueri antea communicassent: nedum ut ullo e coelo, vel undecunque aliunde, quam e matris substantia carnem Christi (C ii[b]) Domini deductam esse putemus. Sed omnem prorsus dubitationem tollunt reciprocae voces additae, *eorundem ipsorum*. Quae enim reliqua dubitatio esse potest, Filium Dei nostrae et nullius alterius carnis, nostri item et nullius alterius sanguinis participem factum esse, cum ipsemet Dei Spiritus per os Pauli testetur, illum participem factum esse, non

equidem alterius ullius, sive e coelo, sive uspiam aliunde desumptae carnis, neque alterius item ullius sanguinis, sed *eorundem ipsorum*, quorum videlicet pueri illi (sub quorum nomine nos designamur) participes prius fuissent? Hoc sane nobis indicat additus articulus τῶν αὐτῶν, ut de alia quacunque carne, aliove item ullo sanguine imaginari non possimus. Manifestum est igitur ex hoc Pauli loco, Filium Dei non commutatione ulla, desertioneve prioris suae existentiae, sed ipsa carnis nostrae participatione, formam servi assumpsisse, neque vel desiisse esse quod prius erat, vel priorem formam suam deseruisse; sed esse et nunc quod prius erat, et formam priorem suam (tantisper dum in terris (C iii[a]) versaretur) carne humanitatis nostrae contexisse.

Neque vero hic urgebo verba illa Pauli, quibus et eum, qui sanctificat, et qui sanctificatur, ex uno omneis esse docet, donabimusque tibi, ut ad Deum illa (quemadmodum vis), non autem ad Adamum referas, etiamsi ipsa Pauli oratio aliud poscere videatur. Certe verba haec eludere nullis unquam cavillis poteris, quibus Paulus de puerorum, hoc est, de nostra carne, deque nostro sanguine praefatus, Filium Dei *eorundem ipsorum*, idque *similiter participem factum esse*, expresse testatur. Iam et illud frustra nobis eripere conaris, quod mox de assumpto semine Abrahae sequitur. Ais enim assumendi verbo designari hic, non naturae participationem ullam, sed in gratiam acceptationem, ut assumpsisse hoc loco (te quidem interprete) nihil aliud sit, quam in gratiam recepisse; neque aliud hic doceri a Paulo, quam quod Filius Dei, non angelos ullos, sed Abrahae duntaxat semen in gratiam receperit. At vero totus Pauli sermo versatur hic circa assimiliationem Filii Dei ad imaginem nostrae servitutis, quae quidem constat carnis (C iii[b]) nostrae participatione, non autem de nostra acceptatione disputat. Quare perspicuum est verbum assumendi hic non tam ad acceptationem (ut tu vis), sed ad eandem potius, de qua toto propemodum hoc capite agitur, ὁμοίωσιν, et proinde ad participationem quoque pertinere. Deinde cum extra controversiam sit, idem verbum apud eundem Paulum in eodem argumento ad eandem nostrae servitutis assimiliationem referri, dum formam servi a filio Dei assumptam esse docet, — multo hic evidentius apparet, non alio illud referri posse, quam ad eandem eiusdem Filii Dei nobiscum μετοχήν, propterea quod addita particula ἐπί (quae suum in compositionibus pondus habere semper solet) ociosa videri non debet. Si enim simplex verbum λαμβάνω hanc apud Paulum (in eodem, ut dixi, argumento) obtinet significationem, ut alio referri non possit, quam ad servilis formae participationem; multo magis eam significationem obtinebit hic etiam ἐπιλαμβάνω, quod equidem non assumere modo, sed proprie etiam superassumere significat, si naturam additae (C iiii[a])

compositivae particulae observemus. Scio vero te bic gravatim id laturum esse, quod te ad graecarum vocum significationem revocare ita coner. Sed mihi non tanti bic faciendnm est tuum iudicium, quanti Spiritns sancti non inane alioqui consilinm, qui posteaqnam doctrinas Evangelicae atqne Apostolicae Archetypon esse voluit linguam graecam, nostri nos etiam officii esse putamus, nt germanum illius intellectum e fontibus potius, quam e rivulis, iuxta doni nostri mensnram petamus. Ut interim taceam non esse decorum christiano doctori, qnalis tu haberi vis, non solnm ignorare Arcbetypa Evangelicae atqne Apostolicae doctrinae, sed ea contemnere qnodammodo etiam, dnm neque tn ipse in illis versaris, et illorum testimonia non magnopere moraris. Quasi vero contemptus hic non in ipsnm etiam Spiritum sanctum derivetur, linguarum in Ecclesia et earum cognitionis anctorem, quem tu interim ita tibi usurpas, nt solns fidelis scripturae interpres videri velis. Sed ad institntnm. Satis apparet ex iis, quae diximns, assnmendi verbum hoc Pauli loco opor-(C iiii[b])tere referri ad assimiliationem Filii Dei ad nos, non antem ad tuam acceptationem.

Iam vero tnis ipsius armis tecnm agemus, et donabimus tibi veram esse tuam bic in verbo assumendi interpretationem, etiamsi clarissimum sit illam consistere nullo modo posse, non qnod sit impia, nihil enim babet aliennm a Christiana regula, sed quod ad enm Panli locum nullo modo pertineat. Age vero, accipiatur hic *assumpsisse* pro *in gratiam* recepisse. Quid tum postea? Num ideo falsum erit, quod Panlus docet de carnis et sanguinis nostri in Christo participatione? Imo vero bao tna interpretatione confirmabitur doctrina nostra de incarnatione Cbristi. Illud enim ex boo Pauli loco efficietur iuxta tuam ipsius interpretationem, Filium Dei oportuisse fieri fratribns similem carnis ipsorum participatione, posteaquam illos, non autem Angelos, in gratiam recepit. Eritque Pauli argumentum buiusmodi, sumptum ab aeterna ac immutabili iusticia Dei et fidelitatc Sacerdotii Cbristi, qnem Panlus non misericordem solum, sed fidelem quoque Pontificem appellat. Filius Dei bomines (C v[a]), non Angelos, in gratiam recepit, et hi recipi non poterant, nisi abolita Diaboli in illos tyrannide, idque per mortem, quae carni nostrae in poenam peccati constituta erat. Posteaquam igitnr semen Abrahae assnmpsit, boc est, in gratiam recepit, debnit sane fratribus *per omnia* similis reddi, nt se non solum misericordem, sed fidelem quoqne Pontificem esse declararet in nostrorum peccatorum expiatione. (Neque enim tam fideliter succurrere potuisse videri potest Dominns noster nobis, qui tentationibus subiecti aumns, si se iisdem tentationibns etiam obnoxium ipsemet assumpta servitutis nostrae forma non reddidisset.) Quam facit iam, posteaquam factus et ipse obnoxius nostris tentationibus (per naturae

nostrae participationem), atque adeo tentatus etiam, potest iam demum omnibus, qui tentantur velut fratribus succurrere, et, ut vere fidelis Pontifex, suo ipsius (iuxta eandem carnem) merito ad sui illos regni gloriam evocare. Estque hic observandum diligenter, quod Paulus hoc potissimum nomine, Christum fidelem Pontificem esse statuit, quod se ob-(C v[b])noxium fecerit tentationibus nostris. Inde enim id quoque colligitur, Filium Dei nostram et nullam aliam carnem assumpsisse, quae sola talis creata est, ut tentari et proinde peccare quoque ac mori posset. Alioqui, quod coeleste Divinumque est, id prorsus est ἀπείραστον, quemadmodum Iacobus docet. Quodsi iuxta carnem Filius Dei factus est tentationi obnoxius, ut se fidelem Pontificem nostrum esse declararet, perspicuum est, eum non aliam carnem assumpsisse, quam nostram, ut in ea tentari et proinde mori quoque posset, nobisque merito suo succurrere, qui et tentationi et peccato et morti (quantum in nobis est) subiecti sumus. Nam in eo ipso, inquit Paulus, quod tentatus est, potest et iis qui tentantur succurrere. Utcunque igitur Paulum hic interpreteris, manet inconcussa doctrina nostra, Filium Dei nostram et non aliam carnem assumpsisse, idque per illius participationem. Ut interim taceam, quod Paulus Christum Dominum (quatenus hominem hauddubie) in caput suae Ecclesie datum a Deo Patre esse testatur. Fieri sane non potest, quin caput cum suo corpore communionem eiusdem carnis habeat. (C vi[a]) Et cum prior sit Ecclesia Christi incarnatione, cui quidem in caput ac Pontificem aeternum datus sit Christus, ubi temporis plenitudo advenisset, manifestum est, Christum nostrae carni participare oportuisse, ut caput nostrum esset, et nos membra illius vicissim. Manet igitur inconcussa nostra, imo vero non nostra, sed Catholicae potius Ecclesiae doctrina, omnium orthodoxorum sententiis comprobata, Filium Dei hominem factum esse, non commutatione ulla prioris suae existentiae, neque item desertione prioris suae formae, sed formae servitutis nostrae, hoc est, carnis nostrae assumptione per illius participationem, quemadmodum Paulus docet.

Superest iam, ut modum quoque eius ipsius participationis exponamus, hoc est, quonam modo et per quos Filius Dei particeps factus sit carnis nostrae, ne quid omnino in causa hac amplius desiderari possit. Et quoniam multi extant scripturae loci, qui de Christi incarnatione disserunt, tuque in eorum interpretatione dissentire a nobis videris; atque interim urges quosdam, quod nos tamen non suo loco abs te fieri (C vi[b]) putamus, ponendum nobis erit initio discrimen inter locos ipsos, ut sciamus, rectene illos ad causae nostrae confirmationem accommodemus, an vero eos (quod quidem tu nobis facere videris) vi quadam detorqueamus. Sunt autem loci, qui in alio argumento versantes ad illius confirmationem incarnatio-

nis Dominicae etiam per occasionem meminerunt, ut in oratione Pauli Antiochiae habita Act. xiii. Sunt rursum, qui historico quodam more rem gestam narrant (Ioan. i.), modum autem rei gestae non explicant. Sunt et qui modum explicant, sed alii minus expresse, alii magis, alii alio spectantes, alii vero in hoc proprie proditi, ut non aliud tractent. Inter hos igitur tutissimum fuerit, cum potissimum locum deligere, ac primo ante alios loco ponere, ut alios omnes ex eo metiamur, quem nemo negare potest in hoc proprie prae omnibus aliis proditum esse, ut quicquid omnino vel ad historiam, vel ad modum susceptae a Filio Dei carnis humanae quoquomodo attinet, id totum nobis exponeret et explicaret. Is vero est Lucae primo capite, ubi missus in (C vii[a]) hoc peculiariter a Deo Angelus legitur ad eam ipsam virginem, quae Domini mater futura erat, ut illi ét rem ipsam quam Deus per eam compleri volebat, ét modum illius omnem exponeret. Quemadmodum enim ad neminem magis pertinebat scire universum simul hoc incarnationis Dominicae arcanum, quam ad eam ipsam Virginem, quam ad tantae rei ministerium Deus ipse elegisset, ita et nobis tutissimum erit huic angelicae legationi niti in apprehendendo mysterio Dominicae incarnationis, praesertim cum hunc esse proprium illius scopum videamus. Atque sane non frustra id Deus Virgini sanctissimae non per somnium, neque per qualemcunque nuncium, sed per Angelum in hoc peculiariter missum, idque facie ad faciem, exponi voluit nimirum, ut totius rei et seriem et modum non aliunde, quam e verbis Angeli, imo vero Dei ipsius, aestimaret. Quodsi Virgo concepit Christum, posteaquam Angelicae huic legationi credidisset, neque nos profecto fallemur hic, si virginem ipsam imitati omne Christi Domini incarnati mysterium ex (C vii[b]) hac potissimum etiam legatione Angelica metiamur. Ex Angeli igitur verbis nos quoque omnem et historiam et modum Dominicae incarnationis aestimabimus et quidquid in illis expressum habetur, id totum citra omnem disquisitionem verissimum esse credemus. Quodsi quid aliis forte locis diversum nonnihil in eo ipso argumento proditum videri possit, id ex loci huius significatione moderabimur potius, quam ut illius autoritatem quoquomodo elevemus, cum illum proprie nobis in hoc traditum habeamus, ut ex eo omne conceptionis Christi mysterium aestimemus. Neque id iniquum tibi videri debet. Necesse est namque ad tollendam scripturae repugnantiam locos alios aliis cedere in simplici ac nuda ipsorum interpretatione. Estque semper habendum discrimen inter, locos qui proprie tractant aliquid, et qui eiusdem rei, aliud interim agentes, per occasionem meminerunt, id quod ex proprio cuiusque loci scopo cognosci facile potest. Atque ut certum de rebus omnibus sensum scripturae totius habeamus, oportet eos locos, qui

alicuius rei controversiam, aliud interim agentes, (C viii[a]) pariunt, ex aliorum locorum significatione aestimari; potissimum vero eorum, quibus proprie id exponitur, quod in controversiam vocatur; alioqui incerta erunt in scripturis omnia, ac nusquam non secum fere scriptura ipsa pugnabit. Huc vero pertinent troporum remedia (quibus plena est ubique propemodum scriptura) ut illorum praesidio repugnantiam locorum mitigemus. Sed et hic rursum non sunt nobis nimium laxanda frena, imo vero cavendum diligenter, ne quovis loco quodvis etiam troporum genus sine discrimine vel admittamus vel excludamus. Est enim semper retinenda scripturae simplicitas, quoad eius maxime fieri potest; praeterquam si aliquam repugnantiam inducat. Quare in locis, qui proprie tractant aliquid, nunquam tropos admittere ullos debemus, praeterquam, si nuda ac simplex verborum significatio scripturae repugnantiam pariat. In locis vero, qui eiusdem rei etiam, sed aliud agentes, per occasionem meminerunt, excludere rursus tropos non possumus, quoties simpliciter expositi controversiam inducunt, ne (C viii[b]) scripturam pugnantem aut mendacem faciamus. Deinde id cavendum est etiam inter ipsa troporum genera, ne peregrinos ab usu scripturae tropos temere pro nostro arbitrio recipiamus; sed illos potissimum, sicubi opus est, adhibeamus, quos scripturis, vel in eo ipso quod tractatur, vel in simili argumento aliis locis, familiares esse scimus.

Ad hunc igitur modum Angelicam hanc ad virginem legationem exponemus, et quoniam proprius in illa est hic scopus, ut et historiam et modum incarnationis Christi exponat, quidquid sane huc pertinet, id totum nude ac simpliciter exclusis tropis omnibus accipiemus, quatenus nullam scripturae repugnantiam inducant. Ad historiam porro incarnationis Christi haec potissimum pertinent: Ecce concipies et paries filium. Ad mysterii vero explicationem: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi. Haec ergo verissima esse statuemus, Christum Dominum, superveniente Spiritu sancto, et virtute altissimi obumbrante, a Maria virgine et conceptum et natum esse, esseque vere illius Fili-(D i[a])um, et illam matrem ipsius. Quodque ad historiam primum attinet, observare debemus duo nobis ab Angelo, et multo antea a Propheta, prodita esse, quibus docemur, ét Mariam Christi matrem veram fuisse, ét Christum item Mariae filium; nempe quod illum non parere modo sed et concipere debebat. Quare et nos e duobus istis historiam Dominicae incarnationis metiemur, atque virginem sanctissimam veram ac naturalem et in concipiendo et in pariendo matrem veri ac naturalis (iuxta carnem) filii sui Christi Domini agnoscemus, neque sane aut in concipiendi, aut in pariendi verbis, neque item in filii appellatione, ullius tropi mitigationem admittemus, cum nullus sit scripturae locus qui id neget;

nedum ut quoquomodo impugnet; plurimi autem, qui id ettestentur et confirment, praeterquam quod viro non cognito et peperit et concepit. Et quoniam summa totius nostrae controversiae e verbo concipiendi pendere videtur (nos enim ex virginis metris substantia Christum Dominum iuxta carnem conceptum esse docemus; tu autem non ex virgine sed ex Spiritu sancto conceptum profiteris) (D i[b]), concipiendi nobis ratio nonnihil explicande erit, ut eimplicem ac naturalem illius significationem habeamus, a qua nobis recedendum non est ullo modo, ut intelligamus, quatenus virgo sanctissime defuncta sit metris officio in filii sui neturelis iuxta carnem conceptione. Patieris autem hic nos a Philosophis, qui naturalia trectarunt petere conceptionis nostrae modum; neque enim a theologia hic discedimus, dum nostram ipsorum naturem, quae singulare Dei opus est, scrutemur, praesertim si in illa Dei bonitatem et potentiam observemus. Primum igitur scimus Divina hoc providentia constitutum esse, ut homines ex hominibus gignantur, neque hominem vere dici posse, naturalem praesertim, qui non ex homine gignatur. Obtinet enim vim suam edhuc vox illa Dei: Crescite et multiplicamini, et omnem gignendi nostri neturam ita gubernat, ut quod ad utrunque simul (masculum videlicet et feminam) dictum est, ad utrunque simul etiam id testetur pertinere. Neque vero negabis, opinor, sub crescendi et multiplicandi verbis comprehensem quoque gignendi vim esse; nusquam enim (D ii[a]) aliud habetur testimonium de generis humani propagatione. Non igitur negare poteris gignendi vim non ed masculum tantum, sed ad matrem quoque ita pertinere, quemadmodum vox illa „crescite" pertinet tam ad Evam, quam ad Adamum. Idem porro nos docent Philosophi fere omnes, Divinee in hac parte ordinationis interpretes ec scrutatores, diserteque testantur, foetum non ex patre tantum concipi, sed ex metre etiam, et confirment hoc multorum et variorum exemplorum experientie, quae hic non attinet commemorere; confirment item et rationibus neturalibus. Non sine causa id fieri, ut alii patres suos, alii vero matres, non forma solum aut veletudine, sed ingenio quoque per omnem vitam suam referant; id e sola alimonia provenire non posse, e qua si quid huius proveniret, aut omnes matrum essent similes, aut mutato alimoniae genere ét formam hauddubie etiam ét valetudinem, multo magis autem ingenium ipsum infantiam supergressi mutarent; nunc cum et morbos a parentibus propagatos non ante edultam aetatem sese in liberis exercere videamus, ubi iam (D ii[b]) maternae alimoniae locus non est ullus; et ingenia semel in liberos e perentibus derivata nunquam mutari, — perspicuum est, haec e sola matris alimonia, ut per omnem vitam nostram nobis edhaereant, ingenerari non posse; sed ex ipsa parentum substantia deri-

vari. Addunt et aliud de sexus in concipiendo variatione, quam etsi ad Deum referre semper debemus, tamen naturae quoque opus in illa agnoscimus, quae et ipsa ociosa non est in opere suo iuxta Dei ordinationem. Cur enim non semper ex iisdem parentibus, ut patres affecti sunt, aut masculi gignerentur ant foeminae, si Deus matrem in concipiendo ociosam esse voluisset? Postremo qui et exempla adferunt, qui habent, cum quibus gignant, habent, cum quibus steriles esse cognntur, quod equidem fieri non posset, si a patre solo vis tota gignendi penderet, et nihil hic mater quoque praestaret. Haec igitur eum aperte testentur, vocem illam Divinam (Crescite et multiplicamini), qnemadmodum ad Evam aeque atque Adamum dicta est, ita ad utrunque ex aequo parentem etiam, quod ad gignendi vim attinet, perti-(D iii[a])nere, etiamsi patri primas semper partes tribuamus; perspicuum est matrem quamlibet in foetu concipiendo vim gignendi ex sese etiam perinde atqne patrem obtinere. Quare et in historia conceptionis Christi, cum et Angelus simul et Propheta apertissimis verbis testentur, Virginem Mariam non in gestando ac pariendo solum, sed in concipiendo quoque veram Christi matrem, ac Christum rursus verum Mariae filium fuisse; cum in persona Virginis matris nihil excipiat, quod quidem ad historiam concipiendi attinet, neque ullus scripturae locus extet, qui neget, Mariam in concipiendo filio suo matris officio vere defunctam esse, qnod in se praesertim esset; non est sane, cur et nos a nuda ac simplici concipiendi significatione in Christi Domini incarnationis historia circa virginis matris considerationem discedere debeamus, praesertim cum Angelus dicat: tu concipies filium, idque in utero tuo. Et si nude ac simpliciter verbum concipiendi accipiamus, perspicuum est, neqne Mariam virginem dici vere posse matrem Christi in concipiendo praesertim, neque Chri-(D iii[b])stum rursus Mariae verum ac naturalem filium, si in concipiendo nullum gignendi ex sese officium virgini matri permittamus. Quoquo te vertas igitur, alterum fatearis necesse est. Aut Mariam non defunctam esse parentis officio in concipiendo Christo filio suo, si illum ex ea conceptum esse neges. Ant, si Mariam in concipiendo qnoque filio suo matrem vere agnoscis, negare nullo modo possis, Christum ex illa, quamquam virgine, tamquam e matre filium nihilominus conceptum esse. Non potuit antem hic nos fallere Angelus, aut verius Deus ipse, angelicae legationis auctor. Certum est ergo, Virginem sanctissimam, ut Christi vera mater esset, in concipiendo illo parentis officio vere defunctam esse; — et Christum rursus Dominum ,ut illius filius vere vicissim esset, non aliunde, quam ex ipsa matre, quamquam virgine, conceptum esse. Atque de historia conceptionis tantum. — Iam quomodo Maria, virgo cum esset, matris interim officium

in coucipiendo peregerit, id uobis ab eodem Angelo expositum etiam habemus. Praeter naturam erat, ut virgo sola conciperet; (D iiii[a]) ad duos euim vox illa Dei pertinebat „cresceite"; et proinde Mariae quoque mirum id videbatur, nou quod ita futurum esse dubitaret, quemadmodum a Propheta praedictum erat, sed quod houestati suae, cum apud alios, tum vero imprimis apud sponsum suum metuebat. Ut igitur iunocentiam suam apud illum approbare posset, idque non hominis ullius autoritate, sed Angeli, et quidem a Deo ipso ad se missi, verbis, quibus equidem sponsum suum facile crediturum esse minime dubitabat, cupit ab eodem Angelo etiam certior reddi de modo ipso admirandae huius eouceptieuis, posteaquam de historia illius certior iam facta esset. Atque sane decebat metus hic verecuudam Virginem, quae praesertim et sponso suo castam sese modis omnibus exhibere, et mater interim filii Dei esse debebat. Quare et Deus deesse illi in hac parte uoluit, sed et metum illi omnem exemit, exposito ei per angelum huius ipsius conceptionis arcano, et apud sponsum quoque omni illam suspicioue per Angelicam rursus apparitionem liberavit. Quod equidem certo uobis documen-(D iiii[b])to esse debet, virginem matrem nihil omniuo dubitasse, quando et in coucipiendo et in pariendo demum filio suo verae utrobique parentis, quod in se quidem esset, officium iuxta angeli verba peractura esset; sed, re tota in Dominum Deum suum reiecta, scire duntaxat voluisse, quonam id modo (incolumi interim pudicitiae suae integritate) futurum esset; neque enim denegavit angelo suum iuxta Domini voluntatem obsequium, neque signum item ullum tanti miraculi, quemadmodum Zacharias fecerat, expetivit, atque adeo audivit postea etiam: Beata, quae credidisti. Unde statuere omnino debemus uou eum esse hoc loco verborum Angeli scopum, quae de Spiritus sancti adventu, deque virtutis suae Divinae adumbratione post Virginis matris interrogationem sequuntur, ut quidquam omniuo in lege naturae mutari vellet circa Domini couceptionem, quod praesertim ad Virginis ipsius personam attineret. Manent enim immota historiae verba: Ecce concipies in utero et paries filium. Sed huc potius referenda esse, ut Virginem, de pudicitia existimationeque apud (D v[a]) sponsum suum sollicitam, certam omnino redderent, adeo illi de castitate, deque sua vel apud sponsum, de quo vehementer alioqui sollicita fuisse videtur, vel apud alios omneis existimatione nihil prorsus decessurum esse hoc praesertim nomine, ut inde potissimum summam laudem ac gloriam apud omneis totius orbis nationes habitura esset, proptereaque et opus ipsum, quod in ea perageretnr, uon hominis esset, sed Dei, qui in nullo alioqui opere suo reprehendi quoquomodo posset. Et sanctum id praeterea futurum esset etiam, atque adeo ipsiusmet altissimi Dei filius

quod ex illa gigni deberet. Adfert autem Angelus utriusque eius rei causam, ac modum simul utriusque etiam rei exponit; et docet, Deum ipsum id totum operaturum esse, et ita operaturum, ut nemo prorsus negare possit, ét opus ipsum non hominis esse, sed Dei, ét sanctum hauddubie fore quod, Deo ipso ad hunc modum operante, ex Virgine nasceretur. Ne putes, o! virgo, inquit, Deum in filii sui incarnatione usurum esse ullius hominis apud te, aut etiam Angeli ministerio; alibi his quidem uti consuevit plerumque ad declarandam erga mortales voluntatem (D v[b]) suam; caeterum rem tam sublimem ac toti prorsus mundo stupendam ipsemet in te operabitur. Atque ut tibi primum, deinde vero toti etiam mundo constet, opus hoc singulare ipsius Dei opus esse, audi eum, quem scire cupis, tanti miraculi modum: Sanctus ecce Spiritus, idem cum Patre coelesti Deus, atque adeo digitus providentiae et virtus potentiae eius, is ipsemet manifestum tibi Divinae suae praesentiae signum dabit, ut tu ipsa illum tibi adesse sentias, atque idem demum omnipotente etiam virtute sua efficiet, ut in concipiendo hoc tuo filio sola matris officio, sine viri ullius attactu, vere interim tamen perfungaris. Est hoc quidem inauditum prorsus, neque ipsa naturae etiam lex admittere id quoquo modo posse videtur; sed cedit hic natura opifici ac gubernatori suo. Et Deus, qui naturae Dominus est, is potest quidquid vult omnino. Et proinde, quemadmodum te de sua hac voluntate certiorem per me facere iam voluit, ita iuxta eam ipsam voluntatem suam efficiet etiam, ac certum adeo tibi eius quoque rei argumentum dabit admirabili virtutis suae Divinae adumbratione, ut ipsamet te solam concipere (D vi[a]) posse sentias incolumi virginitate tua, etiamsi id usus naturae non permittat; frustra igitur vel pudicitiae hic tuae metuas vel existimationi, sive apud sponsum tuum, apud quem te Deus ipsemet omni prorsus suspicione liberabit: sive apud alios, apud quos ipse sponsus Divino admonitus oraculo tuam tuebitur dignitatem, et omnem tui istius filii curam praeterea habebit. Tuum porro est, ut in fide tua persistas, et, certa male id tibi non posse cedere, quod fit autore Deo, metum omnem deponas. Quin potius te totam permitte Deo; is enim Divina virtute sua efficiet, ut, etsi tu viro non cognito concipere te posse non intelligis, vere tamen nihilosecius in tuo ipsius utero concipias filium tuum, qui idem sit quoque interim filius Dei futurus, atque adeo verus ille dudum praedictus Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus. Hunc sane esse verborum Angeli scopum pariter ac sensum testantur verba ipsa ordoque eorum; testatur et locorum collatio, si, quae in Virginis cantico, in Elizabetae item resalutatione, et in Angelica illa praeterea apud Iosephum legatione (D vi[b]) habentur, in unum huc conferamus. Estque haec simplex hauddubie Ange-

licae totius ad virginem matrem legationis interpretatio, ex qua perspicuum est, in modo concipiendi Christi nihil aliud a lege naturae exceptum omnino esse, quam quod virgo ipsomet Spiritu sancto autore sine ullo viri attactu concepit, quod equidem non efficit, quominus ex sua ipsius substantia virgo conceperit, — imo vero testatur: Virginem matrem virtute Divina naturaliter concepisse, etiamsi hic lex naturae reclamet. Neque huic interpretationi ullus scripturae locus repugnat, si proprium cuiusque scopum propius intueamur, id quod mox suis locis clarius apparebit. Quare cum nos in concipiendi verbo simplicem ac nudam significationem retineamus, retineamus item totius scripturae consensum, et eum Propheta, Evangelista atque Angelo, Virginem matrem vere et naturaliter matris in concipiendo officium, quod in se erat, peregisse doceamus, efficiente nimirum Spiritu sancto, quod lex naturae negabat; — tuum iam esset ostendere, cur reiecta simplici hac nostra interpretatione, figuratam tuam amplecti (D vii^a) debeamus. Quae ex scripturis veluti pugnantia obiicis, ea nihil contra nos facere suis, ut dixi, locis apertissime indicabimus. Sed, ut aliquam tibi repugnantiam donemus, an protinus liberum esse putabis, quodvis troporum genus in scripturas te posse invehere, ne dicam confingere? Aut quo iure id tibi concedi postulabis, ut tropos, quorum nullus est in scripturis usus, ad earum interpretationem pro tuo arbitrio adhibeas, ne dicam confingas? Quare, ut demus in verbo concipiendi exponendo tropum adhiberi oportere propter tuas obiectiones, undenam tuam hic nobis interpretationem approbabis, qua doces, concepisse hoc loco idem esse, quod aliunde conceptum gestasse? Nos clara Angeli verba proferimus: Ecce concipies in utero filium, et ostendimus ea non tam ad modum, quam ad historiam conceptionis Christi pertinere potius, quam equidem explicato mox concipiendi modo Angelus ipse confirmat. Haec non negabis, opinor, et proinde negare quoque non poteris, Virgi-(D vii^b)nem concepisse, et quidem filium suum, idque in utero suo. Et posteaquam ostendimus, matres in concipiendo foetu non solere prorsus ociosas esse (a qua sane naturae lege nihil hic ab angelo exceptum esse videmus), quo pacto, quaeso, Virgo mater concepisse tibi filium suum dicetur, si de suo nihil prorsus in concipiendo attulit, sed aliunde conceptum duntaxat gestavit? Aut quo pacto Christus item filius illius erit, si nullam sui ex illa originem ulla prorsus ex parte accepit? Equidem hic ostendere deberes ad approbandam nobis interpretationem tuam, ubinam in scripturis mater concepisse legatur, quae in concipiendo foetu nihil prorsus de suo attulerit, sed aliunde conceptum duntaxat gestarit, aut aliquis eius matris filius esse dicatur, ex qua nullam, ut dixi, originem sui ulla prorsus ex parte sumpsisset: id porro utrunque si nusquam legitur,

quo iure, obsecro, id a nobis exiges, ut omissa nostra interpretatione ,quae et nihil novum inducit et scripturae praeterea tum consensum, tum simplicitatem tuetur, tuam amplectamur, cuius (D viii[a]) ne unum quidem exemplum in universa scriptura extare videmus, etiamsi hic tibi tropi usum permittamus? Meminisse hic deberes, quod iactare alioqui semper soles te nihil docere velle, nisi ex verbo Dei, idque iuxta simplicem illius intellectum ac interpretationem, ut aut nobis approbes tuam interpretationem, aut illam abiicias. Nunc, cum neutrum facis, mirum tibi videri non debet, si te hic non audiamus.

Iam vero ut intelligas nihil adversus nostram doctrinam facere, quae tu velut pugnantia obiicere nobis conaris, locos eos, quos tu omnium maxime urges, ordine suo excutiemus. Atque imprimis eum locum, quem tu huc torques, ut doceas Christum e Spiritu Sancto, non autem ex Virgine matre conceptum esse. Is est apud Matthaeum cap. I., ubi Angelus ad Iosephum sic ait: Quod enim in illa genitum est, e Spiritu sancto est, — illud autem ante omnia statuendum est, quidnam sub Spiritus sancti nomine intelligere debeamus, virtutemne, an vero substantiam ipsius? Nos virtutem intelligimus, ut, quod in matre virgine genitum erat, Spiritus equidem sancti vir-(D viii[b])tute, sed e matris interim substantia genitum fuisse dicamus. Quodsi tu ad virtutem quoque nomen Spiritus sancti referas, frustra nobis locum hunc opponas, quum et nos non solum non negemus Spiritu sancto autore genitum esse, quod in Maria genitum erat, sed eius ipsius Spiritus virtute factum esse doceamus etiam, ut Virgo vere et naturaliter conciperet, praesertim cum in ea conceptione nihil prorsus mutandum esse de lege naturae Angelus ipse testetur, quod quidem ad matrem attinet, nisi quod viro non cognito sancto id operante spiritu conceptura esset. At vero, quoniam nobis locum ipsum opponis, simul declaras tibi non probari, quod nomen Spiritus sancti pro ipsius virtute atque opificio accipiamus, et proinde in alteram te partem magis propendere, nempe ut sub Spiritus sancti nomine non tam virtutem illius, quam substantiam potius designari putes. Quare, etsi certus non sim, te in ea sententia esse, ut sub Spiritus sancti nomine, ipsius substantiam hoc loco intelligi debere credas, tamen, cum opponi nobis locus hic non possit, nisi ita expona-(E i[a])tur, ostendendum est nobis, illum ad hunc modum exponi, ac proinde ne nobis quidem opponi etiam ullo modo posse propter scripturae repugnantiam, quam inde necessario gigni oporteret. Primum autem consideranda est causa Angelicae ad Iosephum legationis, ut sciamus, quonam spectet tota illius legatio, et quis sit proprius illius scopus, ad quem demum omnia etiam Angeli verba commode referamus. Est enim fidelis interpretis, non alio torquere orationis verba, quam ad scopum ipsum totius ora-

tionis, a quo deflectere nusquam debemus. Docet igitur Evangelista, eam fuisse causam totius Angelicae ad Iosephum legationis, quod is concepta sinistra quadam de Maria sponsa sua suspicione deserere eam volebat, unde perspicuum quoque est, non eum esse Angelicae orationis scopum hoc loco, ut Iosepho mysterium Dominicae incarnationis proprie exponeret, de quo sane adeo tum nihil cogitabat Iosephus, ut longe diversum cogitavit, sed potius ut conceptam sinistram illam falsamque de Maria (E i^b) suspicionem ex animo ipsius eximeret, idque mandato Dei, a quo ad ipsum missus esset. Putabat vero Iosephus Mariam non servata coniugii fide ex altero quopiam concepisse, atque hoc nomine illam deserere quoque volebat. Hoc ergo offendiculum e Iosephi animo tollere Deus voluit misso ad eum Angelo, qui illi exponeret, opus illud, quo ipse in Maria sponsa sua offendebatur, non hominis fuisse, sed Dei; ne ea Iosephi suspicio aut matri virgini aut proli ipsi etiam dedecori quoquomodo esse posset. Quare non alio a nobis etiam verba Angeli referri debent, quam eo duntaxat, quo illa referri oportere Evangelista ipse testatur. Nempe ut statuamus non equidem exponi hic mysterium incarnationis Christi, de qua nihil sane, ut dixi, Iosephus cogitabat, sed depelli potius a Virgine sanctissima eam suspicionem, in quam apud sponsum suum venerat, quod is hominis opus esse suspicaretur, non Dei. Hucque pertinet citatum ab Angelo Prophetae testimonium, quo sane utrunque id praedicitur, quod ad depellandam a Maria (E ii^a) omnem malam suspicionem maxime pertinebat. Dum enim Propheta praedicit, virginem fore, quae et concipere et parere debebat, quemadmodum Evangelista hoc loco interpretatur, excludit sane omnem humanam operam, de qua suspicabatur Iosephus; et proprium ipsius Dei opus fore demonstrat, in quo potissimum Deus ,a cuius gratia excideramus omnes, Emmanuelem se rursus omnibus toto terrarum orbe gentibus declaraturus esset. Cum igitur perspicuum est, locum hunc non ideo proprie esse proditum, ut per illum modus ac ratio conceptionis Christi exponatur, sed ut Divinae autoritatis commendatione omnis a matre virgine suspicio depellatur, — manifestum quoque est, spiritus sancti nomen non tam ad substantiam, quam ad opificium potius illius referri oportere, ut suspicio de hominis alicuius opere concepta Deo ipso autore proposito retundatur. Id porro ostendimus nihil obstare omnino, quominus virgo ex sese ipsa conceperit, ut vere mater esset, nedum ut hic locus nobis opponi possit. Quid! quod citatum ab Angelo Prophetae (E ii^b) hoc loco testimonium nostram etiam doctrinam non obscure confirmat. Nam pondus omne huius miraculi, quod Propheta, addita admirantis particula „Ecce", nobis futurum praedixit, in hoc potissimum versatur, quod virgo non gestare solum ac parere (quae conceptum alioqui necessario conse-

quuntur), sed et concipere ipsa quoque deberet; magis enim praeter naturam est, virginem ex se ipsa concepisse (efficiente nimirum id Spiritu sancto, cui nihil est impossibile), quam aliunde desumptum gestasse, praesertim cum Propheta iuxta Matthaei narrationem diserte dicat: Ecce virgo impregnabitur; et Lucas eadem Prophetae verba ad virginem ipsam referens ait: Tu concipies. Neque hic particula illa ἐξ designat substantiae originem in Christi conceptione, dum Evangelista e Spiritu sancto esse ait, quod in virgine genitum esset, quasi caro Christi deducta sit ex Spiritus sancti substantia, sed indicat potius admirandae huius conceptionis auctorem. Sic rem ex aliquo prodiisse dicimus vulgo, dum auctorem illius volumus indicare. Sic et Christus Dominus de Joannis baptis-(E iii[a])mo quaerit, e coelone, an vero ex hominibus esset, non sane intelligens coeli aut hominum substantiam, sed deumne, qui in coelis est, an vero homines auctores haberet. Sic et Ioannes ex Deo nos genitos esse docet, dum nos Dei beneficio ad vitam, a qua excideramus, in Christo rursum repositos esse testatur, et quae eius generis multa in scripturis habentur. Ex quibus facile apparet, non posse id effici hoc loco, ut propter particulam ἐξ sancti Spiritus substantiam sub illius nomine accipiamus. Imo vero, si particulam hanc tantopere urgeamus, facile ostendemus aliis locis illa multo significantius designari originem substantiae carnis Christi propter additam illius minimo obscuram declarationem, quam hic sane nullam videmus. Quo pacto enim negabis Paulum de carnis Christi origine loqui, dum Christum non per semen David, nempe Mariam, quemadmodum tu interpretaris, sed ex semine David genitum et ex Iudaeis esse docet? Addit ille diserte declarationem, qua excludit peregrinas omnes interpretationes, et ostendit se non alia de (E iii[b]) re, quam de carnis origine loqui. Dicit enim, Christum ipsum esse genitum sive factum ex semine David, esse ex Iudaeis τὸ κατὰ σάρκα, hoc est, quantum ad carnis substantiam attineret. Dicit praeterea, Christum ex muliere factum; dicit et Matthaeus, ex illa genitum. Hic vero te audiemus scilicet, ut hanc particulam ἐξ, quam Paulus manifeste ad carnis substantiam refert, ita exponamus interim, ut eum, qui ex matre et factus et genitus esse dicitur, per matrem transiisse duntaxat intelligamus, praesertim cum Christum Dominum eius matris verum ac naturalem filium esse non dubitemus, quae ipsum iuxta Prophetae et Angeli testimonium vere et peperisset et concepisset? Ita tu id quidem vis intelligi, sed nobis satis non est, te hoc ita velle, nisi simul doceas etiam, cur id ita velis, curque te hic audire debeamus. Id porro cum non potuerimus videre hactenus, aegre ferre non debebis, si scripturae simplicitatem et consensum tuae interpretationi praeponamus. Jam et ipsa Dei in Spiritu sancto ratio

id non patitur, ut sub Spiritus sancti nomine, ipsius substantiam hoc loco intelli-(E iiiia)gamus. Si namque unus est atque idem, iuxta existentiam, Spiritus sanctus cum Patre Deus, nempe aeternus immutabilis immortalis, profecto eius Divina substantia, in id, quod non sit atque in aeternum maneat Spiritus, mutari nunquam potest. Aut igitur veram carnem Christus non habet, si ex ipsa Spiritus sancti substantia illam deductam esse credamus; aut certe, si veram carnem habet, aliunde illam hauddubie, quam ex Spiritus sancti substantia, deductam esse oportet, si quidem is unus atque idem est cum Patre aeternus immutabilis ac immortalis Deus. Adversantur sibi enim haec mutuo neque simul vera esse possunt. At vero nos certi sumus, Christum Dominum veram carnem eamque humanam, hoc est, nostram habuisse, iuxta quam tentatus, passus, ac mortuus quoque est. Assentiri igitur non possumus tuae interpretationi, quae aut monadem in triade Divina solvit, aut Christum Dominum vera, hoc est, humana carne spoliabit. Deinde personarum quoque in triade Divina proprietas confunditur hac tua interpretatione. Est enim hoc proprium soli Patri deo, ut filium suum gignat. Jam quod (E iiii[b]) universa scriptura soli Patri proprium esse docet, nempe ut filium suum gignat, id tu ad Spiritum quoque sanctum transferre videris. A quibus enim nostri originem sumimus, quod ad substantiam nostri praesertim attinet, eorum sane filii sumus, et illos parentes vocamus. Si igitur Christus Dominus originem sui sumpsit e sancti Spiritus substantia, certe Spiritus sanctus erit Pater Christi, et Christus vicissim non Patris modo Dei, sed et Spiritus quoque sancti filius. Qua de re copiose Augustinus disputat in „Enchiridio ad Laurentium" atque e scripturis doctrinam hanc tuam refellit. Haec cum secum adferat omnia tua loci huius interpretatio, si Christum Dominum e Spiritu sancto, hoc est, ex eius substantia carnis suae originem traxisse putas, quae tamen incolumi scripturae autoritate consistere nullo modo possunt; — nos sane scripturae consensum nobis retinendum modis omnibus esse putamus, iuxta quem nihil equidem adversus doctrinam nostram faciet locus hic, in quo tu tamen praecipuum doctrinae tuae fundamentum ponere videris.

Sed adfers alium (E v[a]) locum, quo non solum id efficere conaris, ut e virgine matre Christum conceptum nos esse doceas, sed ut ostendas etiam, assumptam ab illo non esse carnem nostram, sed commutatione quadam factum esse, ut verbum iam sit caro, quod initio Spiritus erat. Is porro est Joannis primo: Et verbum caro factum est. Nos vero locum hunc Joannis libenter amplectimur. Caeterum assequi satis non possumus tuam interpretationem, ac videmus quidem abs te urgeri vocem hanc ἐγένετο, quam latinus interpres ubique fere vertit „factum est"; sed quonam modo illam exponas, non prorsus affirmare

adhuc possumus, nisi quod ea, quae ex vi verbi huius colligis, indicant, te de quadam verbi in carnem transitione imaginari, quam virtuti Spiritus sancti adscribis; sed talem fingere videris interim eam transitionem, ut secum ipsa constare satis non possit. Fateris enim, verbum, quod Deus erat, factum esse carnem, quam antea sane non habebat, et interim doces, non aliud nunc esse Christum, quam antea verbum erat. Neque quidquam interesse putas, verbumne a virgine, an vero Christum concep-(E v[b])tum esse dicas; alicubi enim Christum, alicubi vero verbum ipsum a virgine conceptum esse ais, cum tamen neque Christum sine carne, neque verbum cum carne ante Christi conceptionem agnoscere ullo modo possis; et negare non possis aliud esse Spiritum, aliud carnem, ut, si nunc Christo Domino veram carnem a Spiritus natura diversam tribuas, quam antea verbum illud, quod Deus erat, non habebat, fateri hauddubie cogaris, aliud quoddam praeterea nunc esse Christum, quam tunc erat, cum verbum duntaxat esset. Deinde si transitione quadam verbum carnem factum esse putas, non video, ut hanc transitionem aliter exponere possis, quam per naturae suae commutationem sive conversionem; praesertim cum neges, verbum carnem factum esse per nostrae in se carnis, ex virginis matris substantia deductae, assumptionem. Proinde voluissem sane, te hic apertius nobis explicuisse verbi huius ἐγένετο iuxta sensum tuum significationem, ne, quae hic dicentur, praeter meritum tuum in te dicta esse queri (E vi[a]) possis. Sed, cum aliter hic verbum hoc exponi non possit, quam aut per assumptionem carnis, aut per transitionem unius naturae in alteram, quae fiat rerum conversione (docet enim Ioannes, verbum, quod erat Deus, factum esse, quod non erat, nempe carnem); tu vero non agnoscas nostrae carnis in Christo ex virgine matre assumptionem, — necesse est sane, ut te de conversione verbi in carnem imaginari existimemus, hancque veluti tuam interpretationem impugnemus; ut, posteaquam consistere illam non posse ostenderimus, intelligas, verbum illud ἐγένετο non aliter exponi posse, quam per carnis nostrae, quemadmodum nos docemus, assumptionem. Ac primum negamus verbo hoc evidenter probari id posse, ut „factum esse" hoc loco idem sit, quod commutatum sive conversum esse; constat enim, verbum ἐγένετο ita varie in scripturis accipi, ut eius significationem peti oporteat vel ex historia rei gestae, quae describitur, vel e verbis, quae illud aut consequuntur aut praecedunt; nedum ut ex illo solo dogma ullum statui possit. Ac significat quidem alicubi unius naturae in alteram commuta-(E vi[b])tionem, quemadmodum uxor Loth facta esse legitur statua salis [1]), aqua facta vinum [2]), et reliqua hujus generis. Sed sunt rursum infiniti loci, qui eam verbi huius significationem

[1]) Gen. 19. [2]) Joan. 2.

nullo prorsus modo admittant. Ut, Christus factus est duodennis [1]; illic sane factum esse aliud nihil est, quam coepisse esse. Rursum, Qui post me venit, ante me factus est [2]; hoc est, ante me esse coepit. Praeterea, Ipse dixit et facta sunt [3]; hoc est, coeperunt mox esse. Item, Christus factus pro nobis maledictum seu execratio [4]; hoc est, reputatus maledictum, habitus pro execrato, non autem in maledictum seu execrationem commutatus. Deus factus est spes [5], factus refugium Prophetae [6]; hoc est declaravit se esse eum, in quo sit sperandum, ad quem sit confugiendum, et eius generis multa. Alibi vero hoc narratio duntaxat rei alicuius exponitur, ut, Nuptiae factae sunt in Cana Galileao [7]; hoc est, peragebantur nuptiae. Factum est, ut moreretur mendicus [8]; hoc est, accidit, ut moreretur, et quae innumera sunt eius generis exempla, in quibus equidem manifestum est, per verbum ἐγένετο nullo modo designari ullam naturae transmu-(E vii^a)tationem. Quare debili admodum fundamento nitereris, si doctrinae tuae confirmationem ab eo verbo peteres, quod ita alioqui varie in Scripturis accipitur, ut illius significationem, quemadmodum dixi, peti oporteat vel e rerum, quae describuntur, consideratione, vel e verbis aliis, quae aut consequuntur, aut praecedunt: nedum ut ex eo certi quidpiam statui possit. Caeterum, ut donemus per verbum ἐγένετο conversionem hic designari, adeo interim nihil faciet interpretatio haec ad doctrinae tuae confirmationem de Christi Domini incarnatione, ut illam etiam ex duabus partibus gravissime oppugnet. Primum enim dum doces verbum in carnem transiisse seu conversum esse, simul imprudens hoc efficis, non amplius verbum esse, quod verbum erat, sed carnem; neque enim conversio ulla fieri potest, nisi id, quod erat, ut incipiat esse, quod non erat. Sic uxor Loth non amplius erat uxor illius, ubi statua salis esse coepisset, ac ne homo quidem etiam, sed ipse sal. Sio et in Cana (E vii^b) aqua non prius facta est vinum, quam desiisset esse, quod erat, et coepisset esse, quod non erat. Oppugnat igitur conversio hoc loco doctrinam tuam, qua doces, Christum aliud nihil esse nunc, quam, quod erat in principio, verbum, neque quidquam referre, verbumne, an vero Christum virgo mater concepisse dicatur. Deinde pugnas tecum ipse etiam iuxta hanc interpretationem, dum verbum in carnem transiisse, et carnem nihilominus e Spiritu sancto deductam esse doces. Neque enim hoc patitur ipsa conversionis natura, ut, quod in aliud transire debet, id aliunde, quam ex sese, in eo ipso sui initium sumat, in quod transire debet; quemadmodum in Cana Galileae aqua dici non poterat facta vinum,

[1]) Luc. 2. [2]) Ioan. 1. [3]) Psal. 32 (33). [4]) Gal. 3. [5]) Psal. 60 (61). [6]) Psal. 93 (94) [in edit. Bonn. Psal. 86.] [7]) Ioan. 2. [8]) Luc. 16.

si vinum aliunde, quam ex aqua ipsa, substantiae suae originem duxisset. Neque item Loth uxorem diceremus factam esse statuam salis, nisi illa in suo ipsius corpore in salem obriguisset. Si igitur per sui conversionem verbum in carnem transiit, e verbi sane, non e Spiritus sancti substantia, carnem illam deductam esse oportet; necesse est enim in omni conversione, ut id, in quod (E viii[a]) verti aliquid debet, non aliunde initium sui in eo ipso sumat, in quod verti debet, quam ex eo ipso, quod, ut in aliud vertatur, desinit esse, quod erat. Quare etiamsi tibi donemus, verbo ἐγένετο designari hoc loco naturae qualemcunque conversionem, atque fateamur, verbum in carnem transiisse, ipsemet hauddubie tuam hic doctrinam impugnabis, faterique cogeris, non esse amplius verbum, quod verbum erat, posteaquam in carnem transiit, cuius tamen contrarium semper docuisti; neque item e Spiritu sancto deductam esse ipsius carnem, sed e propria verbi ipsius substantia, cuius contrarium tu detorto ad causam tuam Matthaei priore loco semper statuebas, etiamsi nos adversus doctrinam istiusmodi tuam nihil omnino dicamus. Sed nos admittere non possumus ullo pacto eam verbi ἐγένετο interpretationem, ut per illud aliquam naturae Divinae in Verbo, quod Deus est, conversionem seu commutationem intelligamus, propterea quod ea scripturae repugnantiam gignat, quae in Christi Ecclesia ferri nullo modo possit; sive divinam in Christo, sive hu-(E viii[b])manam naturam intueamur. Quodque ad divinae primum naturae considerationem attinet, illud sane est extra omnem controversiam positum, quemadmodum ante quoque ostendimus, unum esse iuxta existentiam id totum, quod est re vera ac dicitur Deus, sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum sanctum intueamur[1]; atque Eum ipsum unum duntaxat Deum aeternum esse etiam et proinde immutabilem quoque ac immortalem[2]. Neque enim haec in eum, qui vere aeternus est, cadere ullo modo possunt. Esse praeterea sanctum[3], atque adeo omnium Sanctificatorem[4]. Porro et verbo omnia haec propria esse necesse est, si quidem verbum est re vera ac dicitur Deus, quemadmodum Ioannes docet[5]. Non ergo potuit unquam mutabile esse verbum, quod Deus est; multo minus autem tentationi aut morti obnoxium: nedum ut in id transierit, quod sit tentatum mortuum et sub peccati nostri noxam in Patris iudicio condemnatum. Pugnant enim haec, Verbum esse unius atque eiusdem cum Patre existentiae Deum, nempe aeternum immutabilem immortalem (F i[a]) sanctum ac sanctificatorem omnium, — et idem ipsum Verbum mutatum esse in carnem, iuxta quam demum

[1]) Esa. 45. Oze. 13. 1 Ioan. 5. Malach. 5. [2]) 1 Tim. 6. [3]) Esa. 6. [4]) Ezech. 27. (sic in ed. Bonn.; videtur legendum esse 37(: 28)). [5]) Ioan. 1.

tentatum esset, mortuum et sub noxam peccati nostri condemnatum. Quare quoquo te hic vertas, alterum fatearis necesse est: aut verbum eiusdem esse cum Patre existentiae Deum, quemadmodum Ioannes docet, et tum subsistere non potest haec de conversione verbi in carnem interpretatio, — aut haec, quae ex Scripturis de Deo attulimus, falsa omnia esse, si hanc interpretationem tueri velis. Nos certe facere non possumus, ut non Scripturae maiorem, quam huic interpretationi, fidem tribuamus. Iam et circa humanae in Christo naturae considerationem manifestam, ut antea quoque exposuimus, Pauli doctrinam habemus: Filium Dei, qui in principio verbum erat, assumpsisse formam servi [1]), semen Abrahae, participem factum esse eiusdem nobiscum carnis et sanguinis [2]), propterea quod nostri similis, excepto duntaxat peccato, esse per omnia debebat. Iam vero non potuit particeps fieri filius Dei, iuxta Paulum, nisi eorum, quae et multorum simul communia essent, et prius alio-(F i^b^)qui extitissent, quam in eorum participationem venisset. Hoc enim proprie, ut alias dictum est, significant ét verbum μετέχειν, quo Paulus usus est, ut nobis societatem Christi in carne nostra significaret, — ét reciprocum illud τῶν αὐτῶν, hoc est, eorundem ipsorum, nimirum eius carnis et eius item sanguinis, quibus hi antea communicassent, quorum ille similis adeoque et frater esse debebat. Fieri autem non potest, ut filius Dei, sive verbum, simul et particeps sit factum eiusdem carnis et sanguinis, quae pluribus iam fuissent communia, ac prius multo extitissent, quam in eorum participationem venisset, — et conversione sui in eam carnem transierit, quae tum primum extare in Christo coepisset, et esset illius solius duntaxat propria, nempe non ex hominis ullius, sed e Sancti Spiritus substantia deducta. Pugnant sane haec inter sese, neque simul consistere ullo modo possunt. Quid! quod ipsemet Ioannes eodem ipso loco in subsequentibus mox verbis impugnat tuam interpretationem? Ait enim, hoc ipsum verbum, quod Deus est, quodque caro factum est, constituisse sibi domicilium in nobis. (F ii^a^) Est enim nota significatio verbi σκηνῶ, quo hic Ioannes utitur, deducti a constituendis tabernaculis, unde et apud Xenophontem pro castrorum metatione usurpatur; et apud omnes Euangelistas aviculae illae dicuntur κατασκηνοῦν, quae sibi domicilium seu nidos in sinapis ramusculis constituunt. Cum igitur Filius Dei, seu Verbum, domicilium sibi in nobis constituere statuit per suam incarnationem, ut vere Emmanuel esset, quemadmodum id et per Prophetam et per Angelum promissum erat, fieri equidem non potuit, ut vel conversione sui desineret esse, quod erat, nempe verbum; vel in eam carnem transiret, quae cum nostra

[1]) Philip. 2. [2]) Hebr. 2.

carne nullam prorsus communionem haberet. Pugnant enim haec: in nobis habere domicilium, et, vel desiisse esse, quod erat, vel in eam carnem transiisse, quae illius solius propria duntaxat esset, et nulli praeterea alteri communis. Proinde admittere nullo pacto possumus tuam interpretationem de carne Christo soli duntaxat propria, multo minus autem de verbi in carnem istiusmodi conversione. Nam praeterquam quod (F ii^b) ex ipsa verborum significatione colligi certo non potest, scripturae praeterea etiam repugnantiam inducit, sive divinam in Christo, sive humanam naturam intueamur; et eripere nobis ad extremum conatur ineffabilem illam consolationem, qua certi sumus, Deum, ut Emmanuel esset, domicilium sibi in carne nostra pro sua misericordia constituisse, ut fratres ipsius essemus, quatenus hoc tantum beneficium suum non contemneremus. Atque id in causa est etiam, cur tuam de Christi Domini incarnatione doctrinam piis omnibus vitandam esse putaremus, et nunc etiam putemus. Nos porro hoc Ioannis loco rem gestam historice duntaxat narrari dicimus, non autem modum incarnationis Dominicae explicari. Et, quemadmodum non ideo dicit, initio fuisse verbum, quod iam id esse desierit, (est enim et nunc, quemadmodum et in principio erat, verbum, nempe aeternus atque immutabilis Deus) sed quod tum verbum non aliud erat, quam ipse duntaxat Deus, — ita et hisce verbis (Verbum caro factum est) dicimus non hoc doceri a Ioanne, quod ver-(F iii^a)bum illud, quod initio Deus erat, desiisset esse quod erat, et in aliud, quod non erat, nempe in carnem quandam soli sibi propriam, transiisset; sed quod illud ipsum verbum, quod in principio ipse duntaxat Deus erat, coeperit simul esse et homo, constituto sibi in nobis (hoc est, in carne nostra) tabernaculo sive domicilio, ut vere Emmanuelem se esse re ipsa declararet. Sic nos iuxta familiarem Scripturae usum, ut paulo antea indicavimus, verbum ἐγένετο, sive factum esse, accipimus pro coepisse esse, non mutata interim priore sua existentia, sed adiuncta sibi humanitatis nostrae natura, in qua sibi tabernaculum, ut dixi, constituere volebat. Carnem vero totum hominem intelligimus carne simul ac spiritu constantem; neque enim verbum exanimis caro factum est; et perspicuum est Ioannem de hominis carne loqui, sub cuius alioqui nomine scriptura nobis totum sane hominem infinitis locis designat, ne quid hic tibi praeter scripturae usum attulisse omnino videamur. Atque ita demum verba haec Ioannis exponimus: Verbum caro factum est, et (F iii^b) habitavit in nobis, hoc est: *verbum*, quod initio Deus duntaxat erat, *factum est*, coepit etiam simul esse *caro*, homo, *et habitavit*, domicilium sibi constituit *in nobis*, in carne nostra, per illius participationem, quemadmodum Paulus docet. Hanc autem interpretationem ideo sequi malumus, quod ex

frequenti usu Scripturae petitur, et totius Euangelicae doctrinae consensu confirmatur, quod equidem utrumque in tua interpretatione desideramus. Tantum vero abest, ut locus hic Ioannis doctrinae nostrae de Christi Domini conceptione quoquo modo repugnet, (si quidem illum iuxta usum Scripturae, ita ut diximus, interpretemur) ut illam adiuvet etiam, prorsusque confirmet, id quod facile alioqui apparebit, si ea, quibus modus ipse conceptionis Christi nobis exponitur, e suis locis petita verbis hisce Ioannis interseramus ad hunc modum: (Fiiii[a])

VERBUM, *Deus filius.*

Ex semine David. Rom. 1.
Ex muliere. Galat. 4.
Ex virgine Maria. Matthei 1.
Ex Israele secundum carnem. Rom. 9.
Ex matre, quae illum concepit. Luc. 1.
Viro non cognito. Matth. 1. *Luc.* 1.
Ex Spiritu sancto, hoc est, illo autore. Ibidem.
Et peperit. Ibidem.
Filium suum. Ibidem.
Fructum ventris sui. Luc. 1.

FACTUM EST, *coepit esse.*

CARO, *Homo Christus Emmanuel*

ET HABITAVIT, *tabernaculum, sive domicilium, sibi constituit,* IN NOBIS, *in carne nostra per illius participationem.*

Hic sane facile est videre, a nobis stare hunc Ioannis locum, si recte intelligatur; reprehendi vero nostra interpretatio non potest, posteaquam totius scripturae consensum retinet, et ex frequenti illius usu desumpta habetur. Alii loci, quos tu hic adfers, neque in hoc proprie sunt proditi, ut nobis mysterium conceptionis Christi exponant, et simpliciter accipi non possunt propter locorum repugnantiam, quae non patitur, ut verba eorum nude ac simpliciter exponamus. Iam locis pugnantibus nihil effici posse scimus, nisi sublata prius omni repugnantia, ut scripturae autoritatem atque consensum salvum ubique retineamus. Deinde discrimen etiam observare inter locos, ut antea quoque dictum est, debemus, quinam proprie tractent aliquid, et qui aliud agentes eiusdem rei obiter etiam meminerint, ut non ex alienis proprios, sed ex propriis alienos potius et interpretemur, et aestimemus. Quare ante omnia loca, quae adferri a te tuisque solent, recensebimus, et, ut illorum repugnantia cum aliis locis facilius deprehendi possit, antitheta (F v[a]) ipsorum e regione cuiusque addemus, quae sane in concordiam reduci prius a vobis debebant, quam vestris istiusmodi locis efficere quidquam possitis. Et post sublatam item repugnantiam considerabimus, vestrine, an vero nostri loci, magis proprie tractent mysterium ipsum Dominicae incarnationis, ut intelligamus, utros ex aliis metiri aestimareque debeamus. Diximus autem non esse nobis invehendas novas ac insolitas Scripturae interpretationes, sed iis potius utendum esse, quas aut in eo ipso,

aut in simili argumento Scripturis familiares esse scimus. **Quare id a te praestari hic vellemus etiam, ut in locorum vestrorum cum ipsorum antithetis conciliatione receptos in Scripturis tropos argumentoque nostro familiares adhibeatis, aut nostram interpretationem amplectamini, quam nos scripturae familiarem esse, et quidem in Christi** Domini potissimum consideratione, ostendemus. **Sunt autem praecipui** hi fere loci, quos ad causae **vestrae confirmationem adducere soletis:** (F v[b])

ANTITHETA LOCORUM.

Christus Primogenitus omnis creaturae, per quem condita omnia. Ephes. 3. Coloss. 1. Hebr. 1.	*Christus, veniente temporum plenitudine, conceptus et natus. Galat. 4. Matth. 1. Luc. 1.*
Christus { *e coelo a Patre missus. Ioan. 3.* / *Novus homo e coelo. 1 Cor. 15.* / *Panis datus e coelo. Ioan. 6.* }	*Christus* { *in Nazareth conceptus. Luc. 1.* / *in Bethleem natus. Matth. 2.* }
Christus heri, hodie et in saecula. Hebr. 13. Idem ascendit, qui et descenderat. Ephes. 4.	*Christus iuxta definitum a Patre tempus factus natus et mortuus, idemque et ascendit, non autem qui descenderat tantum. Gal. 4. Math. 2. et 27. Act. 1.*

Hos locos tu potissimum urges in tua ad me Epistola, atque in libello item tuo, ut ostendas idem prorsus esse Christum, quod verbum, et verbum, quod Christum. Deinde carnem Christi non esse nostram carnem e limo deductam, sed coelestem, hoc est, e coelo ortam. At vero addita nostra antitheta labefactant in hac parte omnem doctrinam tuam, neque permittunt, ut locos tuos nude ac simpliciter interpreteris, imo cogaris etiam velis nolis schematum in illis exponendis remedio uti ad tollendam antithetorum repugnantiam, (F vi[a]) quam te equidem tollere omnem oportet, si locos tuos nudae ac simplici locorum nostrorum interpretationi opponere velis. Pugnant autem haec, si simpliciter accipiantur: Christum Dominum esse primogenitum omnis creaturae, esse ante condita omnia saecula, et, Eundem ipsum rursus multis saeculis posteriorem esse, ac tum demum et factum esse et natum, ubi temporum plenitudo a Deo Patre constituta venisset. Rursum pugnant et haec: Christum e coelo venisse, esse novum e coelo hominem, esse panem e coelo datum, et, Eundem ipsum conceptum esse in terris in virginis utero, et in Bethleem natum. Neque minus pugnant haec: Christum esse heri hodie et in saecula, eundemque ipsum ascendisse, qui et descenderat, et, Eundem rursus etiam iuxta constitutum tempus factum natum et mortuum esse, neque eum duntaxat, qui et descenderat, sed qui hic in terris quoque conceptus natus ac mortuus est, ascendisse. **Pugnant,** inquam, omnia haec, et tantisper, dum non conciliantur, certe neque tuam doctrinam confirmare poterunt, neque simplicem ac nudam (F vi[b])

locorum nostrorum interpretationem impugnare. Neque vero negare poteris omnia, quae locis hic tuis opposuimus, et quae in eandem sententiam ubivis in Euangelicis et Apostolicis literis de Christo Domino docentur, aeque vera esse, atque sunt loci tui, quibus nos oppugnare conaris. Ita igitur tibi antitheta nostra cum tuis locis conciliianda erunt, ut veritas illorum inconcussa sane permaneat. Perinde enim verum est, Christum veniente temporum plenitudine factum et natum esse, atque verum est, esse omnis creaturae primogenitum, per quem condita sint in caelis ac terris omnia, et quae reliqua in tuis locis et eorum antithetis habentur. Iam, etsi divinare nolo, quonam modo haec tu conciliare velis, id tamen hoc loco praetermittere nolui, ut te admonerem, non esse fidelis interpretis ita locos in speciem inter sese pugnantes velle simul sine discrimine ullo confundere, ut, quatenus sibi consentiant, quatenus item ab invicem dissentiant, clare discernere non possis; neque illud item, ut in exponendis locis aut a simplici verborum intellectu nos temere et si-(F vii[a])ne causa legitima abducas, aut novas tibi pro tuo arbitrio interpretationes confingas, quarum exempla in Scripturis alibi ostendi non queant.

Nec temere haec toties repeto, mi Menno! Dum enim doces, idem esse verbum et Christum, Christum et verbum, non satis observas, quatenus haec simul consistant, aut sibi mutuo repugnent. Si enim simpliciter id verum esse affirmes, ut, quidquid Christus est, id totum verbum facias, et contra, — hominem certe a Christo in universum excludes. Nam verbum, quantum est, totum sane Deus est, quemadmodum Ioannes docet. Rursus, dum in locorum nostrorum explicatione, qui Christum Dominum ex semine David, ex lumbis eius, ex Iudaeis, ex muliere, ex Maria virgine factum natumque et quidem iuxta carnem esse testantur, a simplici nos illorum intellectu abducere conaris, et doces, natum et factum esse ex aliquo his locis idem esse, quod per aliquem, sumpta interim aliunde sui origine, transiisse, nihil adducis, quod simplici verborum interpretationi opponi possit, neque item exemplum ullum profers tuae interpretationis. Si enim (F vii[b]) tua nobis testimonia opponas, quae Christum e coelo a Patre missum, secundum e coelo hominem, panem e coelo datum esse docent, nos illa nobis non prius opponi posse dicemus, quam eum antithetis suis iuxta Scripturae usum concilientur. Conciliata autem nihil contra nos facient, imo vero nostram potius doctrinam confirmabunt. Et, ut donemus tua nobis testimonia opponi posse, ubinam ostendes in Scripturis, factum et natum esse ex aliquo idem significare, quod per aliquem, deducta interim aliunde tota sui origine, transiisse? Ubi item, vocem hanc concepisse idem esse, quod aliunde conceptum duntaxat gestasse? Haec tibi Scripturae exemplis comprabanda essent, aut certe

non invehenda in Scripturas, si nullis illius exemplis confirmari queant, siquidem fidelis et diligens Scripturae interpres haberi velis. Iam cum neque interpretationis tuae exempla ulla vel adfers, vel adferre etiam potes, et eiusmodi praeterea locos opponis, qui propter antithetorum repugnantiam simplicem ipsi intellectum retinere non possunt, nedum ut nos a simplici locorum nostrorum interpretatione depel-(F viii[a])lant; neque proprie etiam tractant argumentum incarnationis Christi, — sane, quam sit solida pura ac fidelis doctrina, in hac parte, tua, tu ipse cogitare potes. Ais, te cum Scripturis simpliciter loqui; id equidem tibi optarim, et quidem ex animo. Sed non scio, an hoc sit simpliciter cum Scripturis loqui, velle illas sine ordine ac iudicio omneis confundere, et eiusmodi illis attexere interpretationes, quarum exempla in illis nusquam indicari possunt. Nos certe praeter Scripturae usum nihil hic proferimus, et totius interim Scripturae consensum retinemus. Quodque ad locos tuos attinet, primum dicimus, autitheta illorum non permittere, ut simpliciter iuxta nudam verborum significationem exponantur. Haec enim vera simul esse non possunt: Christum Dominum, quantus est, e coelo totum missum et datum esse, — et, Eundem rursus ipsum in terris, in virginis matris utero, conceptum ac demum in Bethleem etiam natum esse. Prius igitur hanc locorum repugnantiam oportere tolli, idque iuxta Scripturae usum, quam tua nostris opponantur. Et ita interim tolli, ut et (F viii[b]) tuorum locorum et nostrorum antithetorum inconcussa simul veritas permaneat. Deinde cum loci nostri in hoc proprie sint proditi, quemadmodum iam ostendimus, ut ét seriem pariter ét modum Dominicae incarnationis exponant, circa quam alioqui solam nostra hic controversia versatur; tui vero loci alios scopos disputationis suae habeant, — aequius sane esse dicimus, ut in proprio locorum nostrorum argumento loci tui e nostris locis aestimentur, atque troporum remediis emolliantur potius, siquidem cum nostris consistere nequeant, quam ut nostros locos in proprio ipsorum argumento simplici verborum significatione debeant spoliare, praesertim cum aliis praeterea antithetis aliunde quoque oppugnentur. Postremo, ut iam ét Antitheta hic nostra non tantopere urgeamus, ét tibi insuper donemus etiam, tuis locis aeque proprie atque nostris tractari argumentum incarnationis Christi, et proinde parem utrisque etiam autoritatem decernamus, — illud certe negare non poteris, plus nobis credendum esse omnino, si tuos locos cum nostris iuxta (G i[a]) Scripturae usum et quidem ita conciliemus, ut utrorumque veritas inviolata permaneat, quam tibi, qui, ut nudam ac simplicem locorum tuorum significationem tuearis, novam prorsus, adeoque et Scripturae incognitam adfers interpretationem et novas etiam in Scriptura pugnas seris.

Ut autem intelligas, nos in tuorum locorum cum nostris conciliatione nihil praeter Scripturae usum velle agere, id quod a te praestari etiam magnopere cuperemus, indicabimus nostrae interpretationis et modum ipsum et usum. In eorum explicatione, quae multis partibus ita constant, ut, quatenus integra semper maneant, dividi amplius praeterquam sola animi cogitatione nunquam possint, hoc sane est dicendi genus familiarissimum tum linguis tum scripturis omnibus, sive Sacris, sive profanis, ut vel ad partes, quod totius est, referant, vel toti tribuunt, quod ad aliquam duntaxat partium proprie pertinere constat. Vulgo Synecdochen vocant. Sunt autem infinita eius schematis exempla tum apud Graecos, tum apud Latinos; sed nos ea adferemus, quae in (G i[b]) Scripturis habentur. Cum igitur homo duabus partibus ita constet, nempe corpore et spiritu, ut, quatenus integer permanere debeat, dividi amplius nisi sola imaginatione non possit, nonnunquam id ad alterutram illius partem Scriptura refert, quod est totius alioqui hominis; nonnunquam toti tribuit, quod ad alteram duntaxat partium illius proprio pertinet. Prioris exempla habemus, ubi sub animae nomine totus homo designatur. Gen. xlvi. Act. ii. Posterioris in Euangelica illa Divitis et Mendici antithesi: Mendicus deportatur ab Angelis in sinum Abrahae, Dives vero sepelitur in inferno, cum id totum nonnisi ad Spiritum utriusque referri possit. Ad eundem modum et de Christo Domino iuxta humanitatem illius legimus: In monumento posuerunt eum, Ut venientes ungerent Iesum, Iesum quaeritis crucifixum, — quum haec tamen nonnisi ad corpus Christi mortuum pertineant. Et, quoniam Christus Dominus praeter aliorum omnium hominum naturam, duabus praeterea naturis etiam ita constat, divina videlicet et humana, sitque Deus simul et homo, (G ii[a]) unus atque idem Christus, quemadmodum spiritus et caro est unus atque idem homo, — solet nonnunquam Scriptura illi toti tribuere, quod alteri duntaxat ipsius naturae proprium esse constat; nonnunquam vero, quod totius Christi est, hoc est, Dei simul ac hominis, id ad alteram duntaxat illius partem refert. Ita Ioannes, Verbum, quod erat ab initio, auditum, visum et contrectatum esse docet. Hic enim sub Verbi nomine totus Christus intelligitur, Deus pariter ac homo, etiamsi sub verbi voce Divina duntaxat in Christo natura proprie designetur, quae equidem neque videri in vita hac unquam, multo minus autem contrectari potest. Sed multo frequentius hoc facit Scriptura, ut toti Christo, Deo simul ac homini, tribuat, quod alteri duntaxat illius naturae est proprium. Sic enim nos Spiritus sanctus certiores vult facere de vera atque saeculis iam deinceps omnibus individua veri Dei et veri hominis in Christo Emmanuele coniunctione, ut, dum, quod partis est, toti tribui audimus, individuam partium coniunctionem in illo esse

cogitemus. Sic Chri-(G ii[b])stus ignorat diem et horam extremi iudicii, et idem interim omnes scientiae thesauros in se reconditos, atque ipsum adeo iudicium etiam traditum sibi a Patre habet. Haec porro simul non possunt consistere, si simpliciter singula, ut sonant, de toto Christo accipiantur, etiamsi singula toti Christo tribuantur. Sed ignorat, ut homo; scientiae thesauros habet, ut Deus; iudex est, ut Deus pariter ac homo, propter admirabilem hanc utriusque in se naturae coniunctionem. Neque vero ideo Christum dividimus, quemadmodum tu cavillaris, quod utramque in illo naturam separatim ita consideremus, et alteram ab altera iuxta earum proprietates animi cogitatione discernamus. Quemadmodum enim neque hominem ideo dividimus, quod illum duabus partibus constare docemus, nempe anima et corpore, atque ab invicem illas etiam iuxta earum proprietatem cogitatione nostra discernimus; (manet namque unus atque idem homo, etiamsi corpus illius ex parentibus gigni, animam vero a Deo ipso adflari, atque hanc immortalem; illud vero mortale esse dicamus), ita (G iii[a]) manet nihilominus etiam unus atque idem in aeternum Christus, etiamsi, quae alterutri ipsius naturae propria sunt, separatim in illo observemus, eumque et ex Deo verum Deum, et hominem rursus ex homine genitum vere esse credamus; ac Deum sane in ipso aeternum sanctum et prorsus immutabilem; hominem vero mortuum tentatum et sub noxam peccati nostri comdemnatum esse fateamur. Commemorat autem Scriptura eas in Christo proprietates, ut intelligamus, duas istas in ipso naturas non equidem confusas aut commixtas quoquomodo esse; sed ita counexas duntaxat, ut suas utraque nihilosecius proprietates retinuerit, atque nunc etiam retineat. Et toti interim Christo frequenter tribuit, quod alterius tantum naturae proprium est, ut individuam prorsus illarum coniunctionem in uno iam atque eodem Christo Domino ostendat; quemadmodum et homo intelligere velle ac meminisse totus dicitur, etiamsi haec sint animae ipsius duntaxat propria. Dicitur et videri, item tangi ac mori, cum horum nihil ad animam pertinere sciamus. Quare in iis, quae in Scripturis (G iii[b]) Christo Domino tribui videmus, intueri ante omnia debemus naturarum suarum proprietatem, ut, quod alterius naturae proprium est, id soli illi etiam, non autem utrique simul tribuamus; multo minus autem ab altera in alteram transferamus, etiamsi de toto plerumque Christo, Deo simul ac homine, Scriptura loqui videatur. Ita cum audimus Christum peccata remittere, dare vitam mundo, conferre Spiritum sanctum, mortuos verbo solo suscitare, et id genus reliqua, non equidem id Christo, veluti Mariae filio atque homini, sed ut Dei Filio, Verbo nimirum aeterno, sed homini iam in Christo ita coniuncto, tribuemus, ut ab illo separari deinceps nunquam possit.

Rursus dum eundem ipsum Christum audimus conceptum esse in matris utero, natum mortuum tentatum et sub noxam peccati condemnatum, horum, ut nihil in Deum potest cadere, ita ad hominis illa naturam in Christo omnia referemus, ne scripturam de Christo, pro naturarum illius varietate, differentem, ac toti Christo id tribuentem, propter individuam naturarum coniunctionem, (G iiii[a]) quod alteri tantum naturae proprium est, mendacem atque secum pugnantem faciamus. Ad eundem porro modum Scripturae testimonia de Christi Domini origine accipiemus. Versatur autem ea de Christi origine quaestio potissimum circa temporis loci et substantiae consideratio- nem, de quibus varie fere Scriptura loquitur propter naturarum varietatem, dum Christum Dominum nonnunquam e divina, nonnunquam ex humana natura metitur, ut illum ét Deum verum ét hominem simul verum etiam esse ostendat. In temporis consideratione aestimat Christum Scriptura ex aeterna divinitatis suae natura, dum illum heri hodie et in saecula, (Hebr. xiii.), ante Abrahamum (Ioan. viii.) esse docet; dum eum primogenitum omnis creaturae appellat, per quem condita sint omnia, (Col. i. Hebr. i.) et quae similia de Christo, deque originis suae tempore, iuxta Divinae suae naturae consideratio- nem habentur. Haec sane, etsi toti Christo, Deo simul ac homini, Scriptura tribuat, ad humanitatem tamen illius referri non possunt, iuxta quam eum post multa tem-(G iiii[b])pora initium suum habuisse scimus. Rursus, dum Christum filium Davidis, e semine illius iuxta carnem, veniente definiti temporis plenitudine conceptum, natum et mortuum esse legimus, (Galat. iiii. Matth. i. ii. xxvii.) haec etiam, licet de toto Christo loquantur, ad illius tamen divinitatem referri nullo modo possunt, quae neque initium neque finem novit ullum, nedum ut vel cruciatus, vel mortem quoquomodo admittat, sed ad humanitatem eius pertinent omnia, iuxta quam aestimare illum Scriptura hisce et aliis praeterea multis locis voluit, ut nos de vera illius humanitate etiam redderet certiores. Idem vero fieri videmus et in loci circa originem Christi consideratione. Habemus testimonia, quae de loco originis Christi disserunt iuxta Divinitatis suae naturam: Exivi a Patre et veni in mundum, Panis qui de coelo descendit, Qui de coelo est, supra omnes est, Nemo ascendit, nisi is, qui descendit, filius hominis, Filius hominis ascendit, ubi erat prius, Novus homo de coelo, (Ioan. iii. vi. Ephes. iiii. i Cor. xv.) et quae multa huius generis habentur. (G v[a]) Et haec sane frustra ad Christi humanitatem referamus, etiamsi toti Christo tribuantur, propterea quod illa testimonia, quae de loco etiam originis Christi iuxta humanitatis suae naturam disserunt, docent, Christum non e coelis a Patre iuxta carnem descendisse, aut venisse, sed in virginis matris utero, in Nazareth conceptum, in

Bethleem natum, Hierosolymis mortuum esse. Haec porro testimonia, de tempore et loco originis Christi tractantia, non suo loco nobis opponuntur in argumento conceptionis Christi, in quo non sane de tempore aut loco, sed de ipsa substantia originis Christi in conceptione eius tractatur; praesertim vero ea testimonia, in quibus Scriptura Christum non ex humanitatis suae, de qua tamen proprie hic agitur, sed ex Divinitatis suae natura, metitur, quae prorsus est aliena ab argumento nostro, de modo conceptionis seu incarnationis Christi. Primum enim aequius erat ea producere testimonia in argumento conceptionis Christi, in quibus Scriptura Christum ex humanitatis suae natura metitur; quandoquidem incarnatio Do-(G v^b)minica tota hominis potissimum naturam in Christo intuetur. Deinde vero, si et ea nobis opponenda erant, quae de tempore aut loco originis Christi iuxta naturam Divinitatis suae disserunt, tolli equidem prius omnem illorum cum suis antithetis repugnantiam in proprio illorum argumento oportebat, priusquam nobis opponerentur, siquidem robur aliquod adversus doctrinam nostram obtinere debebant; alioqui frustra in alieno argumento nobis opponas, quae in proprio ipsorum argumento Scripturae repugnantiam inducunt. Quae de substantia originis Christi proprie tractant, Matth. i. Luc. i. Ioan. i., ea ita iam explicuimus tam iuxta Divinae, quam iuxta humanae in Christo naturae rationem, ut, quod ad approbandam unanimi locorum omnium consensu doctrinam nostram attinet, nihil nobis praetermisisse videamur. Ex quibus sane simul omnibus facile quisque intelliget iam, nihil adversus doctrinam nostram facere, quae vel de tempore, vel de loco, vel de substantia etiam originis Christi in sua conceptione opponere nobis conaris.

Venio nunc ad refutationem tuam nostrae argumen-(G vi)tationis, quam tibi, cum apud nos esses, in unum syllogismum redactam tradideramus. Rides nos, quod syllogismo tecum ac non potius Scripturis egerimus, atque hic Philosophiae studium, veluti rem Christiano Doctore indignam, traducis. Ais, te cum Scripturis loqui malle simpliciter, quam subtiles nostras ratiocinationes sequi, et quae in eam sententiam semper adferre soles. Et putas te iam vicisse, si istiusmodi voces inter tuos quam latissime spargas: nos omnes Philosophos, te solum Theologum esse; nos omnes humana sapientia, te solum Scripturae autoritate niti. Praeclara sane via ad aucupandam plebis imperitae gratiam, cui facile persuaseris, ut, quidquid non intelligit, damnet Philosophiae nomine, praesertim si, quidquid contra te facit, Philosophiam esse dicas. At vero magnum discrimen est inter simplicitatem et inscitiam. Simplicitas non odit eruditionem, sed et linguarum et disciplinarum cognitionem inter Spiritus sancti dona cum Paulo numerat; quae utraque dum tu contemnis traducis ac ri-

des, non equidem simplicitatem (G vi[b]) prae te fers, sed inscitiam, quam tuis etiam commendare conaris, et ornas simplicitatis titulo. Proferam autem tibi exemplum paulo crassius, quo facilius discrimen hoc inter simplicitatem et inscitiam perspici a tuis possit. Ac primum abs te quaeram, quidnam sub carnis nomine intelligat Apostolus, dum ait, non fore salvam ex operibus legis omnem carnem? Aut apud Prophetam Deus ipse, dum ait: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem? Non negabis, opinor, hominem totum sub carnis nomine intelligi. Rursus, ubi Adam de Eva ex latere suo formata ait: Haec caro de carne mea. Aut Christus Dominus, [ubi] a Spiritu carnem haberi negat, an et illic carnem pro homine poni putabis? ac non potius pro ipsa carnis substantia? Praeterea in illa Dei apud Mosen querimonia, ubi Deus negat Spiritum suum in homine permansurum vel disceptaturum esse, propterea quod sit caro, num illic item carnem aut pro homine, aut pro carnis substantia accipi oportere dices, ac non pro carnis affectibus potius? Age vero, si quis uno atque eodem modo (G vii[a]) carnis nomen in omnibus hisce locis exponendum esse contenderet, atque huic suae interpretationi simplicitatem praetexeret, quod simplicius esse videatur, si unam semper eiusdem vocis significationem retineamus, quam si invehamus interpretandi varietatem; aut si carnem pro carnis vel substantia, vel affectibus apud Prophetam exponeret, ubi de emittendo super omnem carnem spiritu suo Deus loquitur, atque in verbis Adae item ad Evam, carnem pro toto homine acciperet, — eine tu tribueres simplicitatem, an vero inscitiam? Equidem te ita stupidum esse non puto, ut hic inter simplicitatem et inscitiam discrimen ipse statuere non possis. Ad eundem porro modum, si quis, neglecta in carnis voce ea significationis varietate, ita Christi sententiam illam interpretetur, qua docemur, carnem esse, quidquid ex carne natum est, ut alio loco sub carnis nomine carnis substantiam intelligat, alio vero carnis affectus seu ingenium, idque in eadem propositione, et post tam praeclaram interpretationem dogmatis suis hanc Christi sententiam praetexat, eumne tu simplicem Scripturae interpre-(G vii[b])tem fidelemque Ecclesiae Doctorem putabis? At vero hoc ipsum nos docet Dialectica, ut hanc in argumentationibus πολυσημασίαν non recipiamus, propterea quod faciat viciosam argumentationem. Quodsi simplicitatis est vicia non admittere, sed pure tractare Scripturas, equidem negare non poteris usum Dialecticae utilem esse ad retinendam simplicitatem in Sacrorum explicatione, et non tam simplicitatem amari ab iis, qui aut linguarum aut disciplinarum usum damnant, sed inscitiam potius, quam, ut honesto aliquo nomine ornent, simplicitatem vocant. Neque alia ratio est in argumentorum formatione. Simplicius docet, qui redactis in compendium verbis ac

sententiis, ordine illas suo proponit, ut res facilius possit intelligi, quam, qui nullo observato ordine simul confundit omnia, et neque, unde ordiatur, neque, ubi finem faciat, videt. Et, cum non sit magis perspicua ulla argumentandi ratio, quam quae per syllogismos, quos vocant; nulla sane simplicior haberi potest docendi ratio, quam quae per syllogismos traditur, quorum principia praesertim non ex humana (G viii[a]) sapientia, cui nos nihil tribuimus, sed ex verbo Dei petuntur. Ita et Christus Dominus invicto prorsus syllogismo utitur adversus Pharisaeos in causa omnium longe gravissima, hoc est, cum illi virtutem Divinam ab ipso editam in Beelzebul transferre conarentur. Omne regnum, inquit, divisum adversus sese desolatur. Satanae regnum vestro testimonio divisum est adversus sese, dum Satanan a Satana per me pelli dicitis. Ergo vestro ipsorummet testimonio regnum Satanae desolatur, et in foribus est regnum Dei. Quid vero dici a Christo potuit vel simplicius, vel efficacius? et tamen hanc simplicitatem docet Dialectica. Rursus in causa omnium difficillima de mortuorum resurrectione syllogismo etiam ora Sadducaeorum obturat. Deus est, inquit, non mortuorum, sed eorum, qui vivunt. Deus in Scripturis docetur esse Abrahae Isaac et Iacob Deus. Ergo Abraham Isaac et Iacob, etiamsi videantur mortui, vivunt. Quid, obsecro, hac argumentatione magis dialecticum? sed quid item magis simplex atque efficax? An vero et Christum hic Philoso-(G viii[b])phiae reum perages, quod in causa tam ardua modum argumentandi e media Dialectica petierit? Ut de Paulo taceam, cuius in argumentando artem atque vim nemo satis admirari potest. Desine igitur disciplinarum et linguarum studia cavillis tuis insectari, sed hoc ipsum fac potius, quod nos toties, ut faciamus, mones. Da honorem Deo in donis suis, quae ille extare in Ecclesia sua voluit ad illustrandam magis veritatis cognitionem.

Iam quod ad nostros syllogismos attinet, nos, priusquam illos tibi tradidissemus, multa ex Scripturis tecum egimus et tu nobiscum vicissim; sed, cum nos tuas interpretationes non reciperemus, et tu te ad nostra deliberare velle diceres, collegimus tandem doctrinae nostrae rationes in duos, ni fallor, syllogismos: alterum de incarnatione Christi, alterum de Baptismo, ut fines doctrinae nostrae summo compendio et simpliciter collectos tibi traderemus. Atque haec est illa humana in nobis sapientia, quam tantopere incessis. Quid autem Philosophicum habent syllogismi illi? Loquuntur de immutabili iustitia, decreto et (H i[a]) voluntate Dei, neque in iis probandis utuntur rationibus ullis, sed propositiones habent desumptas ex verbo Dei, cui soli nituntur. Aut igitur in ipso etiam verbo Dei reprehendes Philosophiam, si eam in syllogismis nostris repre-

hendas, — aut, si verbo Dei credendum putas, nostris hauddubie etiam syllogismis credes, qui nihil aliud continent, quam, quod verbo Dei expressum habetur. Repetam autem eum syllogismum, quo doctrinam nostram de Christi Domini incarnatione confirmamus, ne nudis tecum verbis certare videamur; neque de illius sententia, etiamsi verba non teneam, quidquid omnino mutabo. Prima propositio colligitur e Scripturae perspicuis sententiis, quibus docemur iustitiam ac voluntatem Dei aeternam atque immutabilem esse. Aut igitur verum est, iustitiam ac voluntatem Dei aeternam atque prorsus immutabilem esse, quemadmodum Scriptura docet, Num. xxiii. Psal. xxxii. Esa. xlvi. Malach. iii. Hebr. vi. Iacob. i; et tum prima quoque syllogismi nostri propositio impugnari omnino non poterit. Aut, hac impugnata, omnia quoque illa testimonia impugnari oportebit; fieri enim non potest, si voluntas Dei vere est immutabilis atque aeterna (H i[b]), ut ulla illius constitutio, quominus impleatur, immutari quoquomodo possit. Sic autem habet prior syllogismi nostri propositio, etiamsi aliis forte verbis constet. Nos enim de sententia, non de verbis certamus. Quod carni nostrae Dei decreto constitutum est, hoc in carne nostra dependi expiarique oportet, ut immutabili Dei iustitiae satisfiat, siquidem servari debeamus. Hic nihil aliud urgeri vides, quam aeternae voluntatis Divinae immutabilem constantiam, quam si neges, scripturae, non meam autoritatem impugnabis. — Altera propositio continet legis seu mandati Divini nexum, quo morti subiicimur, nisi legem seu mandatum impleamus, Gen. ii. Deut. xxvi. Gal. iii., quam etiam negare non potes veram esse, nisi scripturam ipsam mendacii accuses. Sic autem habet altera propositio. Mors carni nostrae in poenam propter inobedientiam constituta est decreto aeternae atque immutabilis Divinae voluntatis. Quid vero habes, quod hic impugnes? Scriptura id docet, non ego. Si igitur nihil in utraque hac propositione inficiari potes, certe velis nolis largiri te id nobis oportebit, quod efficitur (H ii[a]) ex mutua illarum collatione, nempe, in nostra et non alia carne dependi expiarique oportuisse mortem, quae nostrae et non alteri carni ulli decreto Dei constituta erat, ut servari possemus. Et, quum in Christi carne persolutum expiatumque esse constet, quod nostrae carni fuerat constitutum, perspicuum est, Christum in nostra et non alia carne dependere et expiare id oportuisse, quod nos manebat, si ad nos pertinere debeat meriti ac gloriae suae, morte sua promeritae, communio. Quam sane pertinere, atque nos adeo per illam servari, et universa ubique Scriptura, et utraque Christi ipsius institutio, nempe Baptismus et Coena, testantur. Sed haec tibi Philosophica sunt, quia contra te faciunt, et refutari abs te non possunt. Quid vero tu, Theologus,

ad hanc Philosophicam, sed e media scriptura desumptam, argumentationem? Audiamus hic tuam Theologiam. Primum dicis, non esse ferendam doctrinam nostram, qui duas in Christo naturas agnoscimus, et utriusque proprietates separatim consideramus, propterea quod duos ex uno Christos te iudice fa-(H ii[b])ciamus, alterum spiritum, alterum carnem. Deinde argumentationi nostrae duos potissimum locos e Paulo opponis: alterum 2 Cor v., ubi docemur, Deum fuisse, qui sibi mundum in Christo reconciliasset; alterum Col. ii., ubi Apostolus docet, Deum de principatibus et potestatibus (nimirum condemnationis nostrae) egisse triumphum per semetipsum. Ita enim in omnibus fere latinis exemplaribus legitur. Inde vero colligis, non procedere nostram argumentationem. Si enim Deus in Christo per semetipsum et mundum sibi reconciliavit, et Principatus ac Potestates omnes triumphavit, non posse id referri dicis ad Christi humanitatem, nedum ut de carne nostra hic aliquid cogitemus. Postremo addis, nihil opus fuisse Christo, si, quod carni nostrae constitutum erat, in eadem carne etiam dependi expiarique potuisset. Haec tu ita contra nos, aisque, te hic Scripturae per te citatae autoritatem sequi malle, quam humanae sapientiae, (quo nomine nostra designas) argumentationes. Age vero, ne graveris vicissim tu, homo Theologus! audire nos etiam, qui ti-(H iii[a])bi rudes Theologiae prorsus, neque aliud quam Philosophi esse videmur. Primum tuae istius Theologiae subtilitatem non assequimur, dum a nobis Christum dividi ais, propterea quod utriusque in ipso naturae proprietates separatim consideremus; nisi, si tu hominem discerpi quoque dicas, dum in illo separatim animae et originem et proprietates, separatim vero corporis et originem et actiones consideramus, quemadmodum ante etiam id diximus. Quid! quod Scriptura ipsa ad hunc modum dividit Christum. Fatetur apud Marcum Christus ipse, se diem et horam extremi iudicii non nosse. At Paulus in Christo omnes scientiae thesauros reconditos esse docet. Hic igitur et tu duos ex uno Christos facies? Alterum qui sciat omnia, alterum, qui diem iudicii ignoret? Rursus dum Paulus Christum alibi maledictum vocat, alibi splendorem gloriae et characterem existentiae Paternae esse docet. Num et is duos secundum te Christos faciet? nam in splendorem divinae gloriae maledictum cadere non potest. Quodsi his et similibus Scripturae locis (H iii[b]) Christus dividitur, et nos facile patiemur, ut Christum divisisse dicamur; sed, si Scriptura unum nihilominus atque eundem Christum Dominum agnoscit, etiamsi utriusque in illo naturae proprietates separatim consideret ac discernat, dabis veniam nobis Philosophis, tu, homo Theologus! si hic Scripturae testimoniis potius, quam tuae Theologiae assentiamur, atque unum et eundem indivisum in aeternum Christum Dominum esse credamus, etiamsi

naturas illi duas cum Scripturis tribuamus, et utriusque proprietates separatim consideremus. Sed et tu ipse ad eandem modum dividis Christum, dum illum, et verum ac naturalem Deum, et verum item ac naturalem hominem esse fatearis. Arbitror enim naturalem Deum a te vocari, qui Dei naturam retineat, et naturalem item hominem, qui naturam hominis habeat. Si Christus igitur secundum te et Dei et hominis naturam retinet, estque alia hominis natura, alia Dei, quo pacto, quaeso, tu non divides Christum, qui duas illum naturas retinere fateris, dum illum verum ac naturalem deum, verum item (H iiii[a]) ac naturalem hominem esse doces; cum hoc potissimum nomine doctrinam nostram traducas, quod duas Christo naturas easque diversas tribuamus? Equidem hic sibi ipsi non satis constat tua Theologia, quam nos, homines alioqui rudes, assequi non posse ultro fatemur. Multo minus autem illam assequimur, dum Christum verum ac naturalem Deum esse doces, et interim illum iuxta eandem Divinam naturam suam tentatum passum mortuum et sub noxam peccati nostri in Patris iudicio condemnatum esse affirmas. Quae ex Paulo citas adversus nostram argumentationem, magis pro nobis, quam pro te faciunt, si recte intelligantur. Ac primum eo loco, quo Deus fuisse legitur, qui sibi in Christo mundum reconciliarit, videris sub Dei nomine alteram in Christo naturam intelligere, ut ab illius humanitate meritum reconciliationis excludas, hoc est, ut intelligamus reconciliationem nostram a Christo, quatenus Deo, non quatenus homine peractam esse, atque ita efficere demum conaris, frustra nos eam de carne Christi disputationem inve-(H iiii[b])here, posteaquam omnis nostra reconciliatio peracta sit per ipsam Divinitatem Christi, hoc est, per verbi in Christo naturam, non autem per illius humanitatem, ad quam interim carnis consideratio proprie pertinere videtur. Hanc esse putamus tuam argumentationem, quam ex eo Pauli loco, ad eum modum intellecto, colligere nobis videris. At vero tibi probandum prius esset, sub Dei nomine hoc loco alteram duntaxat illam divinitatis in Christo, hoc est, verbi naturam designari, si quidem procedere debeat tua haec argumentatio. Alioqui si ostenderimus nomen Dei hoc loco non ad filii personam, qui Christus est, proprie, sed vel ad Patris Dei potius, vel certe ad totius divinae triadis providentiam pertinere, — adeo sane non procedet haec tua argumentatio, ut hic Pauli locus adiumento sit nobis futurus etiam adversus doctrinam tuam, nedum ut nostrae argumentationi opponi possit. Docet autem Paulus illic nostrae regenerationis atque adeo omnis nostrae salutis autorem esse ipsum Deum, qui per Christum Iesum filium suum nos sibi (H v[a]) reconciliasset, quique eius ipsius reconciliatio-

nis ministerium seu praedicationem Apostolis delegasset. Id ita a Paulo doceri non negabis, opinor; ita enim habent Pauli verba: Omnia autem haec ex Deo, qui nos sibi per Iesum Christum reconciliavit, deditque nobis ministerium reconciliationis. Iam quod sequitur, explicatio est eius ipsius ministerii, Apostolis a Deo ipso delegati, indicans scopum praecipuum, per prioris sententiae repetitionem, circa quem versari potissimum totam Apostolorum praedicationem oporteret; nempe quod ipsemet Deus autor esset partae nobis per Christum Dominum reconciliationis, et proinde mox quoque addit, se Deo ipso autore legatione fungi pro Christo, et quae sequuntur. Hic vero primum abs te scire velim, filiine an vero Patris Dei personam Paulus toto hoc loco sub Dei nomine designet? Nec est, quod dicas, initio quidem Patris, deinde vero filii, mox autem Patris rursum personam designari. Hanc enim ipsam Dei personam, ex quo omnia, et mundum sibi per Christum reconciliasse docet Paulus, et mini-(H v^b)sterium huius reconciliationis Apostolis, ut pro Christo legatione fungerentur, demandasse; quare fieri non potest, ut locus hic personarum variationem sub Dei nomine admittat, sed eam solam toto hoc Pauli loco personam sub Dei nomine intelligi oportet, cui prima illa autoritas tribuitur, ut ex illa sint omnia. Iam cum idem ipse Paulus verbis expressis testetur, Patris hoc Dei proprium esse, ut ex illo sint omnia, et ad eandem personam referat hoc loco Paulus, tum reconciliationem nostram per Christum, tum Apostolici ministerii institutionem, equidem nos ita rudes esse fatemur, ut non intelligamus, quonam modo Dei nomen hoc loco ad verbi personam, hoc est, alteram in Christo naturam referri possit, sed potius ad Patris Dei personam pertinere illud putamus; posteaquam ad eam utrunque id Dei personam referri a Paulo videmus, (nempe et reconciliationem nostri et Apostolici muneris institutionem) ex qua sunt omnia, quod alioqui Patris solius personae proprium esse scimus. Ut interim taceam, non (H vi^a) posse quoquomodo admitti id, ut sub Dei nomine filii personam hic intelligamus, propterea quod hac interpretatione tollatur propria Christi functio, quem Dei patris et nostrum mediatorem esse credimus. Est enim mediatoris alterum alteri, non autem sibi ipsi conciliare, nempe reum vel indici, vel accusatori. Hic autem Deus sibi ipsi nos conciliasse docetur. Aut igitur filium Dei mediatoris functione spoliabimus, ac Patri item Deo indicium omne adimemus, si Dei nomen hoc loco ad filii personam, hoc est, ad Divinam in Christo naturam referamus; aut certe Patrem Deum solum sub Dei hic nomine intelligemus, si et Christo Domino mediatoris, et Patri item Deo iudicis honorem tribuamus. Neque vero arbitror, te eum

esse, qui adversus scripturae autoritatem Deo vel Patri, vel filio, detractum quidquam velis, et proinde te non amplius id facturum puto etiam, ut nomen Dei hoc loco ad filii personam, ut diximus, referri debere contendas; si vero sub Dei nomine hoc loco filii persona, nempe verbum, hoc est, altera in Christo natura, non intelligitur, non (H vii^b) video, quid locus hic Pauli adversus nostram doctrinam faciat, aut adversus syllogismi nostri tibi traditi ratiocinationem. Nos enim semper docuimus et docemus, Deum Patrem esse autorem nostrae per Christum reconciliationis, sed eam reconciliationem partam nobis esse morte Christi, qua ille iuxta Patris Dei providentiam ac voluntatem assumpta carne nostra dependit et expiavit id totum, quod nostrae etiam carni decreto Dei propter nostram inobedientiam fuerat constitutum. Haec sane nihil inter sese pugnant, nedum ut se mutuo non ferant. Quin potius confirmat doctrinam nostram hoc loco Paulus; tres enim nobis proponit, quos in reconciliationis nostrae consideratione intueri potissimum debemus. Ante omnia Patrem Deum, cuius providentia ac voluntate factum est, ut verbum caro fieret. Deinde vero Christum Dominum, qui assumpta forma nostrae servitutis (nimirum carnis nostrae infirmitate, quemadmodum id ostendimus) hanc ipsam reconciliationem in carne nostra per corporis sui hostiam peregit. Postremo autem Apostolos, (H vii^a) quos Pater ipse Deus etiam huius reconciliationis testes ac praecones toto terrarum orbe esse voluit, demisso in illos Spiritu sancto, omnis veritatis doctore, ut illorum doctrinam non pro hominum doctrina iam, sed pro Divina potius ipsiusmet Spiritus sancti per eos loquentis voce haberemus. Cum igitur Paulus testetur, Christum Dominum morte sua, quae in Deum cadere non potest, reconciliationem hanc peregisse, perspicuum est Christum iuxta humanitatis suae naturam reconciliationis huius ministerium, quatenus pro omnibus mortuus est, peregisse. Atqui hoc ipsum est, quod nos syllogismo nostro quoque docemus, nempe mortem carni nostrae constitutam, in carne etiam nostra a filio Dei assumpta per corporis sui hostiam persolutam expiatamque esse. Confirmat igitur hic Pauli locus doctrinam nostram, dum morti Christi ascribit reconciliationem, quae cadere non potest nisi in carnem peccato obnoxiam, hoc est nostram, (stipendium enim peccati mors) etiamsi Christus nunquam peccasset; peccato enim obnoxium hic dicimus, non quod (H vii^b) peccato subiectum sit, (hoc enim a Christo Domino modis omnibus alienum esse scimus) sed quod peccare possit. Christum autem Dominum iuxta humanitatis suae naturam peccare potuisse, testantur tentationes, quibus illum Satan exercuit, quem alioqui Paulus ipse tentatum per omnia esse docet. Quorsum enim tentari il-

lum contigisset, nisi peccare potuisset? imo vero quorsum attineret, hominem factum esse, nisi peccare potuisset? Iuxta divinam enim verbi naturam peccare nunquam potuit, sed iuxta humanam naturam verbo coniunctam non peccavit, neque inventa est labes ulla in ipso, etiamsi peccare posset. Stat ergo inconcussa syllogismi nostri de immutabili divinae justitiae nexu ac decreto ratiocinatio, atque hoc Pauli loco confirmatur etiam, non autem impugnatur.

Locus ille Col. ii. aliquanto plus difficultatis habet propter Latinorum ét exemplarium ét interpretum in hac parte consensum, qui propemodum omnes, *Deum per semetipsum*, seu *in semitipso triumphasse* legunt, Deique nomen ad filii personam, hoc est, ad Christum ipsum, (H viii[a]) referunt; videlicet, quod Christus ipse iuxta Divinitatis suae naturam principatus ac potestates nostrae condemnationis triumphasset. Atque est quidem pia in se, et Christiana, haec sententia, si recte intelligatur, sed a Pauli mente hoc praesertim loco prorsus aliena. Praebuit autem huic interpretationi occasionem Latina versio maxima fere ex parte, quod in Latinis omnibus fere exemplaribus legatur, *triumphans illos in semetipso*, sive *per semetipsum*. Cum enim extra omnem controversiam sit, non Patrem, sed filium, opus nostrae redemptionis, assumpta hominis natura, iuxta quam et mortuus est, peregisse, nolebant proprium filii opus ad Patrem transferre, sed triumphum, cuius hic meminit Paulus, filio ascripserunt, deque Christo interpretati sunt Pauli verba, quibus Deum de principatibus et potestatibus triumphasse per semetipsum, Paulus testatur. At vero apud Graecos varia est lectio, et sunt qui legant, *triumphans illos per semetipsum*, quemadmodum latina lectio passim habet; sunt item, qui legant, *triumphans illos per ipsum*, ut triumphi au-(H viii[b])torem faciant Patrem Deum, Christum vero esse ostendant, per quem Pater Deus triumphasset. Varietas porro huius apud Graecos lectionis non nascitur e dictionis aut literae ullius mutatione, sed ex accentus duntaxat forma, dum alii pronomen relativum (ipsum) addito aspirato accentu, alii vero tenui addito legunt; si enim cum aspiratione legatur ἐν αὑτῷ, tum recte habet Latina lectio: *in semetipso*, vel *per semetipsum*; sed, si sine aspiratione legatur ἐν αὐτῷ, tum sane Latinus interpres non recte vertit, in semetipso, vel per semetipsum, sed simpliciter legendum est: *triumphans illos in ipso vel per ipsum*, ut sit sensus, Patrem Deum, cui accepta referri oportet omnia, triumphasse principatus ac potestates, sed per filium, per quem omnia, idque in mortem pro nobis traditum, cuius merito ét peccati nostri chirographum in cruce abolitum iam esset, ét captivae velut in triumphum actae omnes mortis ac condemnationis nostrae potestates et Principatus. Iam cum aspiratione

legitur in Frobenianis exemplaribus ἐν αὐτῷ, autore opinor Erasmo Roterodamo, qui (I i[a]), veterum interpretum autoritatem sequutus, ita hunc locum legendum esse putavit, quem demum alii quoque sequuti, Dei quoque nomen ad filii personam iuxta Latinorum interpretum expositionem retulisse videntur. Caeterum ipse verborum contextus non permittit, ut nomen Dei hoc loco ad filii personam referatur, et in Graecis, ut dixi, exemplaribus varia lectio est propter accentus mutationem. Nam, etsi in Frobeniana aeditione legatur ἐν αὐτῷ, tamen Aldina et Argentinensis aeditio habet ἐν αὑτῷ; atque ita extare etiam dicitur Romae in exemplari Vaticano; quin et Budense exemplar vetustissimum, quod, e direptione Constantinopolitana adservatum, Budam demum sub Matthia Rege allatum fuerat, eandem lectionem habebat. Quae equidem lectio ét melius respondere videtur verbis Pauli, quae praecedunt, ét sententiam rei ipsam multo clarius absolvunt, ut sit is sensus, ipsummet Patrem Deum autorem nostrae salutis esse, qui excitavit Christum filium suum ex mortuis, et nos cum illo vivificavit; qui chirographum item peccati nostri (I i[b]), lege conclusum, sed cruci demum filii sui affixum, e medio sustulit; quique de principatibus ac potestatibus omnibus, quae illi adversariae in hac parte fuerant, posteaquam eas expoliasset, per eundem ipsum filium suum, factum hominem, gloriose triumphavit. Hanc esse Pauli sententiam, verba ipsa testantur, quae praecedunt. Sic enim habent verba ipsa: *In quo* (nempe in Baptismo) *simul etiam cum illo* (nempe Christo) *resurrexistis per fidem efficientis illam Dei* (nimirum Patris), *qui* (Pater) *excitavit illum* (filium suum Christum Dominum) *ex mortuis. Et vos* (idem Pater), *quum essetis per delicta et praeputium carnis vestrae mortui simul cum illo* (nempe Christo), *vivificavit, condonans* (idem Pater) *nobis omnia delicta; qui et delevit quod adversus nos erat chirographum, et per decreta nobis contrarium erat; sustulitque* (nempe idem Pater) *illud per crucem* (nimirum Chri-(I ii[a])sti filii sui), *expolians que principatus et potestates* (idem Pater), *ostentui exhibuit eos palam, triumphans illos in ipso, vel per ipsum*, hoc est, per Christum filium suum, per quem restituit omnia. Estque eadem prorsus huius, quae et superioris loci sententia; videlicet, Deum Patrem autorem esse salutis nostrae per filium suum pro nobis in mortem traditum, ut peccatum per peccatum condemnaretur, et mors promerita morte innocenti pensaretur. Neque ego sum primus eius interpretationis autor. Adnotavit haec dudum vir ét pietate ét eruditione insignis, Iacobus Faber Stapulensis, qui ἐν αὑτῷ sine aspiratione legendum esse putavit. Adnotavit et Caietanus, Sacrarum hauddubie Literarum interpres vigilantissimus, et in linguis magna cum laude versa-

tus. Sed et Ambrosius, quanquam latinam lectionem nonnihil interim immutatam sequatur, (non enim legit in semetipso, vel per semet ipsum, sed in idipsum) tamen ita hunc locum interpretatur, ut triumphum omnem Patri per filium ascribat. Am-(I ii[b])brosii verba sunt de Paulo: Ideo commonet gentes, ut considerantes causas malorum suorum, et qualem gratiam acceperint a Deo in Christo, tota devotione solliciti sint circa obsequium eius, a quo a diversa mortis poena sunt liberati. Hic Ambrosius iuxta verba Pauli gratiam salutis nostrae transcribit Patri Deo in Christo, sive per Christum. Ac mox postea: Affigere autem cruci, inquit, hoc dixit esse, spoliare principatus et potestates publice, et detriumphare illos in Christo. Et hic sane Ambrosius Deo Patri ascribere aperte videtur ét chirographi uostri in cruce abolitionem, ét expoliationem principatuum ac potestatum, ét simul etiam triumphum de illis in Christo, sive per Christum. Et rursum: Et sic, inquit, expoliati sunt (sicut dixit) publice, id est. in cruce: quod est, palam detrinmphati a Deo in Christo. Haec aperte testantur, eandem esse Ambrosii, et nostram interpretationem. Neque tamen ideo Ambrosium citare hic volui, ut illius autoritate interpretationem meam tuear, sed ut ostendam, me primum non esse, qui sentiam, triumphum (I iii[a]) hoc loco, cuius Paulus meminit, non ad filii, sed ad Patris Dei personam esse omnino referendum; ad quem si referatur, lectio sane Latina consistere non potest; pugnant enim haec, Patrem Deum per semetipsum triumphasse, et, quemadmodum infinitis alibi locis habetur, per filium omnia restituisse. Qui autem triumphum ad Christum referunt, negare non possunt, priorem sententiae huius Paulinae partem oportere referri ad Patrem Deum; nempe quod is nos cum Christo ex mortuis suscitato convivificavit, condonans nobis propter Christum peccata nostra omnia. Sic enim et Erasmus ipse: Ergo, inquit, Patri Deo debentur omnia, quae vobis largitur per filium, referens ad Patrem Deum nostram in Christo circumcisionem spiritualem, nostram cum illo resurrectionem et convivificationem. Quae autem de suffixo in crucem chirographo, deque spoliatis ac triumphatis principatibus sequuntur, ea ad Christum, veteres sequutus, transfert, Patrisque Dei personam filii persona commutat. Quae persona commutatio in causa illi fuit, ut cum aspiratio-(I iii[b])ne legere maluerit ἐν αὑτῷ, hoc est, in semetipso, vel per semetipsum. Sed hoc vir doctissimus videtur dedisse veterum autoritati, ut iuxta eorum interpretationem, ipsam quoque Apostolicam lectionem aedendam curarit; praesertim cum interpretatio ipsa non solum sit pia, sed Christi etiam Domini gloriam insigniter illustret. At vero ex Pauli verbis haberi non potest ulla toto hoc loco

personae commutatio; omnia enim participia ab ipso eius Paulinae sententiae usque initio ad eandem personam referuntur, nempe Patris Dei; nisi quod activa indefiniti temporis participia latine aliter efferri non possunt, quam per tertiam praeteriti indicativi sui personam addito relativo „qui", ut τύψας, qui verberavit; γράψας, qui scripsit. Docetque Paulus, nos cum Christo simul a morte ad vitam aeternam surrexisse per fidem inditam nobis a Patre Deo, et facit Patrem Deum ἐγείραντα, hoc est, eum qui excitavit Christum, nosque cum illo; ἐξαλείψαντα, eum qui delevit chirographum; προσηλώσαντα, eum qui illud affixit in crucem sui filii; ἀπεκδυσάμενον, eum qui expoliavit principatus (I iiii[a]) ac potestates; et θριαμβεύσαντα αὐτούς, eum qui triumphavit illos in ipso, nimirum Christo, quem ex mortuis suscitavit, nosque cum illo; sive per ipsum, nempe Christum. Hanc porro interpretationem cum verba Pauli ipsa poscere omnino videantur, et nemo negare possit simplicissimam esse, nos hic etiam nobis sequendam esse putamus, praesertim ita adiuti Graecorum exemplarium, et, quorum meminimus, interpretum autoritate. Adeo vero non repugnat Pauli hic locus nostrae doctrinae, nostraeque tibi traditae argumentationi, ut illam haud aliter, quam prior ille etiam, 2 Cor. v, adversus te confirmet iuxta nostram interpretationem, quae sane reiici abs te non potest, nisi ostendas, quare consistere non possit, cum totius Scripturae consensu comprobetur. Sed, etsi alteram illam veterum interpretationem recipiamus, a quibus alioqui nusquam libenter dissentimus, nihil ea te nihilominus adiuvabit in tuenda doctrina tua, cum illi longe aliter Paulum exponant, quam tu interpreteris. Illi enim Christum cum aliis hominibus collatum hoc nomine caeteris o-(I iiii[b]) mnibus anteponunt, quod alii per sese nihil possint, nisi aliunde, nempe a Deo, adiuventur; Christus vero Dominus sua propria intra sese virtute (nimirum Deus pariter ac homo) potentiam suam in expoliandis triumphandisque principatibus tenebrarum gloriose declararit; — tu vero huc Paulum detorquere conaris, ut quod ille Deo Patri tribuit, id tu ad filium ita interim transferas, ut, quae de abolito in cruce chirographo nostro, expoliatisque ac detriumphatis potestatibus sequuntur, non equidem toti Christo, Deo simul ac homini, (quod tamen veteres omnes unanimi consensu agnoscunt) sed divinae duntaxat illius naturae, excluso humanitatis suae in carne nostra merito, adscribas. Id porro longe diversum est ab eo, quod veteres in loci huius interpretatione prodiderunt, etiamsi personarum commutationem, quam illi hic adducunt, recipiamus. Non est igitur, cur Pauli hunc locum pro te facere arbitreris iuxta veterum interpretationem, quam tamen ostendimus a mente Pauli esse nonnihil alienam. Iam si hoc

Pauli loco aliquid contra nos (K i[a]) efficere vis, approbanda prius tibi esset tua interpretatio, nostraque ac veterum item omnium altera impugnanda. Neque enim satis est attulisse interpretationem, nisi illam confirmes vel legitima verborum explicatione, vel mutuo locorum in Scripturis consensu, quorum nos tamen neutrum in tua adhuc interpretatione videmus. Quod enim ad voces attinet, hae non admittunt ullam prorsus toto hoc loco personae commutationem; multo minus vero translationem illam, qua tu Divinae duntaxat in Christo naturae attribuere velle videris omne salutis nostrae mysterium, excluso interim merito suae humanitatis, quemadmodum id iam aperte satis exposuimus. Locorum vero collatione tantum abest, ut tuam interpretationem approbare possis, ut vel hic ipse Pauli locus eam nullo modo admittat. Dum enim chirographi nostri nexum per crucem sublatum esse docet (quam equidem ad Christi Divinitatem referre non possumus), et, abolito chirographi nostri nexu, expoliatas quoque eadem opera fuisse constat omnes peccati mortis ac condemnationis nostrae potestates; — (K i[b]) certe ab eo, quod per crucem partum est, excludere nunquam poteris meritum humanitatis Christi. Quid! quod ipsemet vel invitus fateris, Christum iuxta carnem mortuum esse? An vero non idem est iuxta carnem, aut iuxta humanitatis naturam Christum mortuum esse? apud te caro in Christo Deus erat scilicet etiam ante mortem? Quodsi iuxta carnem mortuus est Christus, quae interim non erat, neque est Deus, et morte Christi in cruce abolitum est peccati nostri chirographum, mirum profecto, si ab eo, quod morte Christi iuxta carnem abolitum est, meritum humanitatis Christi excludas. Sed dicis Christum idem esse, quod verbum, et cum iuxta carnem Christum mortuum esse fateris, perinde esse putas, ac si verbum mortuum esse diceres. Caeterum nos eam doctrinam tuam in superioribus refutavimus et ostendimus, Christum non verbi tantum, iuxta quam est aeternus et immutabilis, sed hominis etiam, hoc est, nostram quoque, naturam habere, iuxta quam conceptum natum et mortuum illum esse credimus. Alioqui si caro et sanguis in Christo verbum est, quid obsecro hominis in illo erit? Aut (K ii[a]) quo pacto apud te caro in Christo Deus est, sive verbum, cum Christus ipse dicat, Deum Spiritum, non carnem, esse? nisi tu nobis novum aliquod Evangelium formare velis, in quo duplicem nobis Dei existentiam ponas: alteram, qua Deus sit Spiritus aeternus immutabilis et sanctus; alteram, qua Deus item sit caro mutabilis et a prioris illius existentiae Deo derelictus atque etiam alienus. At vero nos hic unum duntaxat atque eiusdem existentiae Deum, et Patrem simul et Filium et Spiritum sanctum esse, cum Prophetis et Apostolis, totaque Catho-

lica Dei Ecclesia credere malumus potius, quam ut novam aliquam de existentiae Divinae varietate doctrinam recipiamus. Usum synecdoches in Christi Domini consideratione exposuimus, ne naturas in illo distinctas confundamus, etiamsi, quae alterius duntaxat in illo naturae propria sunt, toti Christo in Scripturis tribui nonnunquam videamus. Et, quemadmodum humanam in Christo naturam non ideo sine principio esse dicimus, quod de toto Christo Paulus dicat, illum esse omnis crea-(K ii[b])turae primogenitum, per quem condita sint etiam ipsa saecula, — ita non ideo vicissim divinam in illo naturam natam passam mortuam tentatam et a Patre suo derelictam esse intelligamus, quod haec toti Christo in Scripturis tribui audimus. Hoc enim veluti toti Christo plerunque tribuit Scriptura, quod alteri duntaxat illius naturae proprium est (quemadmodum alias quoque iam diximus), non, ut naturas in illo commisceat quoquomodo, aut confundat, sed, ut individuam deinceps illarum coniunctionem esse testetur, quae tamen non obstet, quominus suam utraque natura retineat proprietatem. Quare, quae corpore ac sanguine suo peregit Christus, ea illum iuxta humanitatis suae naturam, ad quam caro proprie pertinet, peregisse docemus. Et, quum corporis et sanguinis sui merito sustulisse illum sciamus omnem peccati nostri nexum, omneque maceriae interstitium per carnem suam diruisse, et utrumque simul populum in uno corpore suo per crucem Patri suo reconciliasse, quemadmodum Paulus docet; — sciamus item, quemadmodum (K iii[a]) per hominem mors propagata est, ita per hominem restitutam nobis esse etiam resurrectionem ad vitam aeternam. Dei Patris hic misericordiam agnoscimus supplicesque adoramus, qui filium suum unigenitum in carnem nostram demiserit, ut maceriam, carnis nostrae peccato erectam, et ita erectam, ut per nos dissolvi amplius nunquam posset, — ipse, coniuncta Deo eadem ipsa carne nostra, in suo corpore totam dirueret, nosque, ut frater noster nobis a Patre Deo in carnis nostrae participationem datus, in victoriae huius suae communionem ut fratres vicissim suos pro ineffabili bonitate sua vocaret. Manifestum est igitur, stare immotam syllogismi nostri traditam tibi ratiocinationem, atque adeo non infirmari locis tuis, quos illi opponis, ut etiam confirmetur. Argumentationis vestrae vicium paulo antea indicavimus, qua colligitis, Christus, si ex carne nostra est natus, a peccato etiam immunem esse non potuisse, propterea quod Dominus ipse carnem esse doceat, quidquid ex carne nascitur. Quae enim de carnis affectibus Dominus loquitur, ea vos ad car-(K iii[b])nis substantiam transferre conamini, et ex carne nasci, idem esse interpretamini, quod ex homine iuxta gignendi legem propagari; carnem vero esse, non iam ad carnis sub-

stantiam refertis, sed ad carnis sensum seu mentem, sic enim illam vocat Paulus, ut hic sit iuxta vos verborum Christi sensus: Quod natum est ex carne, hoc est, quod originem suam ex humanae carnis substantia traxit, caro est, hoc est, carnis sensu aut mente regitur. At vero longe aliam esse Christi hoc loco mentem, verba ipsa, quae subsequuntur, declarant. Confert enim Christus Dominus efficaciam corruptelae nostrae cum potentia Spiritus, et docet tantam esse carnis nostrae corruptelam, ut, dum illi obsequimur, in ea ipsius corruptela perpetuo haereamus. Porro legem huius corruptelae ita efficacem esse in nobis, ut nos ab ea lue expurgare ipsi haudquaquam possimus, praeterquam si per Spiritum sanctum innovemur; tum enim virtute illius id effici, ut adversus carnis nostrae sensum certamen suscipiamus. Quemadmodum igitur ea est corruptelae nostrae vis, ut nos in servitute sua retineat, donec a (K iiii[a]) Spiritu sancto innovemur, ita spiritus quoque eam rursus efficaciam esse, ut nos innovatos excitet assidue ad obluctandum sensui carnis nostrae, ne illum deinceps regnare in nobis quoquomodo patiamur. Iam, si e Spiritu sancto natum esse, aliud longe est hoc loco, quam ex illius substantia nostri originem traxisse, sane et e carne natum esse, aliud sit necesse est, quam e parentibus iuxta naturae legem propagatum esse. Et, cum e Spiritu natum esse, idem sit hoc loco, quod Spiritus virtute innovatum, perspicuum est etiam, natum esse ex carne, aliud non esse, quam a sensu carnis provenisse, eamque esse verborum Christi sententiam: Carnem esse, hoc est, a carnis sensu regi, quidquid ex carne natum esset, hoc est, a sensu carnis provenisset, quemadmodum Spiritus esset etiam, hoc est, Spiritus virtute regeretur, quod ex Spiritu natum esset, hoc est, quod Spiritus sanctus afflatu divino suo innovasset. Utitur autem hic Dominus nascendi metaphora, ut, quod alicui rei causam dedit, ex eo natam esse dicat, quemadmodum et nos errores ex erroribus, lites e (K iiii[b]) litibus, bella e bellis nasci dicere solemus, dum ostendere volumus, errores erroribus, lites litibus, bella bellis occasionem praebuisse. Quid autem haec ad Spiritus, aut carnis substantiam? ne dicam, ad hominis ex homine propagationem? Quo pacto vero consistere poterit tua loci huius interpretatio, siquidem illam recipiamus? Tu id videris velle, ut quod e carnis substantia genitum est, non possit esse, nisi caro, hoc est, non possit nisi a carnis sensu regi ad peccandum. Christus autem Dominus docet nostri abnegationem, etiamsi ex carne nascamur. Docet hoc ipso loco novam e supernis nativitatem, et quidem eorum, qui ex carne nati essent. Et Paulus testatur, nos in carne versantes, non secundum carnem nihilominus ambulare, et, quae infinita in scripturis in hanc sententiam habentur: Qui in carne versan-

tur, nonne ex carne nati sunt? hoc est, nonne ex carnis nostrae substantia originem suam traxerunt? Rursum: Secundum carnem ambulare, estne a carnis sensu regi ad peccandum? Sane alterum hic alteri cedere oportet, aut tuam interpreta-(K v[a])tionem Paulo, aut Paulum tuae interpretationi. Si enim, qui in carne ambulant iuxta Paulum, iuxta te ex carne nati sunt, atque iidem interim non secundum carnem ambulant; perspicuum est, carnem non esse, hoc est, carnis sensu ad peccandum non regi omnes, qui ex carnis substantia originem suam traxissent. Nos porro certi, Paulum Christi Spiritum habere, nedum ut illi repugnet, illius doctrinam sequi malumus, quam tuam; praesertim cum ipsemet Christus Dominus, quae de nostri abnegatione deque noua e supernis natiuitate docet, ad eos hauddubie referat omnia, qui ex carne nati sunt, hoc est, qui e suis parentibus iuxta naturae usum sui originem traxerunt; quae equidem ad illos pertinere non possent, si praeterquam a carnis sensu regi gubernarique non possent. Quodque ad verborum Christi sententiam attinet, nos carnis πολυσημασίαν hic excludimus, sed utrobique in verbis Christi sub carnis nomine, carnis, non substantiam, sed sensum, sive ingenium, intelligimus; idemque hic a Christo doceri dicimus, quod alibi a Paulo docetur, dum (K v[b]) ait: Eos, qui carnales sunt, quae carnis sunt, sapere; qui vero spirituales, quae Spiritus essent, curare. Iam ut haec ad carnis substantiam nihil pertinent, ita nihil pertinere etiam ad nostrae propagationis considerationem, et proinde neque ad Christi Domini conceptionem sive incarnationem. Sed, ut donemus veram esse tuam interpretationem, verbisque Christi hoc loco doceri, carnem esse, hoc est, carnis sensu regi, quod ex carne, hoc est, e carnis substantia natum est, — non opinor te negaturum, infantes quoque nostros carnem esse, quandoquidem ex carne nascuntur. Quodsi infantes nostri caro sunt, hoc est, si sensus carnis in illis dominatur, quem Paulus mortem appellat, quo pacto a morte liberabis infantes nostros, in quibus iuxta tuam ipsius doctrinam carnis sensum, hoc est, mortem, regnare doces? Dicis illos servari promissione; fateris ergo, non esse carnem eos, qui promissione servantur, etiamsi ex carne natos esse constet. At vero promissio ad totam pertinet Ecclesiam, sive infantium, sive adultorum; sunt enim Dei ipsius verba: Ero vobis in Deum, (K vi[a]) et vos eritis mihi in populum; nemo igitur in universa Dei Ecclesia caro erit, etiamsi omnes ex carne nascantur. Et, cum de nullo hominum extet clarior magnificentiorque promissio, quam de Christo Domino, deque sanctitate suae conceptionis, — docet enim angelus, Virgineae conceptionis Spiritum sanctum autorem esse futurum, et verbis expressis sanctum fore testatur, quod ex illa nasceretur. Si quae vis

est igitur divinae promissionis, ut carnem esse non permittat, quod ex carne natum est; — si haec infantes, si adultos, si totam denique Ecclesiam ab ea lege liberat, omnium certe maxime eum, qui totius Ecclesiae caput est, et in quem solum omnes, quotquot usquam sunt, promissiones intuentur, liberabit, neque caro esse omnino potest Christus Dominus, quanquam ex carne, nempe e virgine matre, et conceptus et natus est; etiamsi tuam ipsius interpretationem recipiamus.

Stat ergo immota, quam tibi tradidimus, nostra argumentatio, simulque et doctrina tota de Christi Domini conceptione sive incarnatione, frustra abs te hactenus tuisque (K vi[b]) symmystis impugnata. Stat immota, inquam, neque ullis Satanae conatibus labefactari potest. Quod superest, de Baptismo, deque Ecclesiastica vocatione, id quoque tibi brevi (si Dominus volet) dabimus, et ita, quod per gratiam Dei spero, dabimus, ut illa convellere non queas. Interim te et moneo et hortor, ut aut doceas circumspectius, aut ab eo munere abstineas, o Menno!, ne sanguinem miserarum animarum, per te implicatarum, de manu tua requirat in illo die iustus iudex, qui est Iesus Christus, verus Deus verusque homo in omnia saecula benedictus, Amen.

HET GHEVOELEN JOANNIS. A LASCO.

Baroens in Polen, Superintendents der Ghemeynte der vremdelinghen te Londen.

Of het den Christenen, nadien zy het word Godes ende de godlooszheit des Pauwstdoms bekent hebben, eenighszins verorloft is, dat zy zick in den Pauwstlicken godsdiensten, ende in zonderheit inder Misse, vinden laten.

Wt den Latijne, in Nederduydsche sprake ghetrauwlick ouerghezett.

Allen liefhebberen der waerheit in dezen tijden zeer nutt eñ dienstlick. Mit een Register oft anwijzer der zonderlickster stucken, hierin ghehandelt.

Jeremie **51.**

O myn volck vertreckt wt van Babel ende een ieghelick behoede zyn ziele voor den grimmighen torñ des HEEREN.

ANNO. 1557.

[te Embden bij Gellium Ctematium.]

[DE DRUCKER

AN DEN CHRISTLICKEN LEZER.

(p. 1) Dewyl Christlicke Lezer, die ouer all de schadelickste viãden zijn, die inwendigh ende binnen den mueren zijn, zo vinde ick te dezen onzẽ vaarlicken ende periculozen tijden, waerin de Duuel door menigherley rotten ende secten op het allergheweldighste woedt ende raast, dat onder anderen die het koningkrijck CHRISTI op menigherley wijze zoucken te verrucken end te verrijten, deze niet de minste schade den zeluen toeuoeghẽ, die dat ter erghernisse, ja oock ter veraoeringhe veler eenuoldigher eñ oprechter Christenen menschen voorgheuen, Het zy den ghelooуighen gantzlick vrij, dat zy zick in den Papistẽ godsdiensten moghẽ vinden laten. Welckes voorgheuens, opdat het niet ijdel end onghegrõdeert schyne, zy oock zommighe redenẽ bybringhen eñ zeggen, dat in der Papisten ghemeinte noch wat van der op-(II)rechter Christlicker ghemeinte ouerblenẽ zy, als daer zijn de gemeine gheheden, het onze Vader, de tien ghebodẽ, de twelf artikels des ghelooues &c. welcke redene zy menighmael zo hoogh weghen, dat zy nu niet alleenlick op der vrijheit blijuen, mer oock stoltlick voorduaren tot den dwanghe der eenuoldigher consciencien: eñ leeren, dat het niet alleẽlick den Christenẽ vrij, mer oock hare schuldige plicht zy, zulcks te doẽ, op dat zy alzo de zwacken, die men (als zy zegghen) mit lnttelẽ des maels ghewinnẽ moet, wt der pauстscher ghemeinte Christo den HEERE bequaemlick ende t'zyner tijdt toebringẽ. Deze wolde ick oock wel ghebeden hebben, zy wolden doch eenmael eenen mõster anrichten, ende heruoor treden latẽ, die zy door zulcke ongheorlofde middels, Christo ende zyner ghemeinte toeghewonnẽ hadden: ick zolde meinen, het zolde velen hieran den bewijze feilen. Eñ of zy oock schoõ hier onbeschaẽt bleuẽ, wat konnen zy doch voor eenen romm haers wercks hebbẽ, dewijl Paulus met duydlicken worden van zulcken menschẽ zegt: Haer verdommenisz zy gherechtich: (Rom. 3). Oock zegt Christus dat gruwelicke Wee over

(III) alle die, die eenen zyner kleynsten, die an hem gheloouen, erghere. Hier toe mocht men oock doen den ernstighen vlouck, dien de heilighe Schrift op die legt, die den blinden doen doolen op den weghe (Deut. 27. Leui. 19). Het ware hen grootlicks te wensche dat zy doch dit zick eenmael ter herten gaen lieten, ende hierdoor vermaent, zick voor den onnoozelen ende onwetighē schaepkens (die anders niet meinen noch zoucken dan Christum alleene ende zynes koningkrijcks veruoordering) mit meerder ernste entzaghen, dat zy dezelue niet alzo lichtuerdighlick mit onnutten ende Schriftloozen ghesproeken, in der consciency sloeghen, verwerreden, ontrusteden, ontstichteden, ende in den loope der zaligheit verachterden ende verhinderden, ende alzo hier door oock godsalighe broederlicke t'zamēkomsten waer door in zōderheit Christus koningkrijck gheuoordert kan werden, niet weerden ende afsloeghen: Want de dagh des Heeren zal eenmael kommen, in welckē niet bewimpelt ghebeer, noch meinen noch goedduencken, mer alleēlick eenuoldighheit ende ghewisse consciency, ghelden end verandwordē zal: End op dat hieren-(IV)tusschen den eenuoldighen Christenen, die dezer beueynsder bewimpelaeren (die zick mit ghelijcken rechte Nicodemi, als de Monniken Augustini, rommen) moedwille onderworpen zijn, een gheweer ende wapen, (na haeren stadighen begeerten an den broederen alhier) in de handt ghegheuen wurde, waermede zy den zeluen mochten entmoeten, end oock haer eyghene consciency stillen, ouer der zake der Pauwstlicker godsdiensten, waervan (dewyl het een zake is die den vleesche zwaer is, ende werdt oock zomwijlen voor een dwaaszheit anghezien) van verscheidē verscheidentlick ghericht werdt: zo heb ick voor goedt anghezien, dit teghenwoordigh tractaatken, of gheschrift, door den Eerwerdighen ende hooghbegenadighden Joannem a Lasco, onzer verstroeyder Ghemeynte ghetrauwen Superintendent of Opziener, in 't Latijn voortijden wtghestelt, door zommighe onzer broederen in nederduydsche sprake, te laten ouerzetten, ende alzo ten dienste der godsuruchtighen (dien God, Christus ende harer zielen eewighe zaligheit ter herten gaet) an den dagh te bringhen: op dat zy hier op het (V) kortste gheleert, ende een kleyn onderricht mochte hebben van der grooter lasterlicker ende gruwelicker godlooszheit, die in den Pauwstdom is, ende hoe verre het hen verorloft ware mit den Papisten ghemeinschap te hebben of niet, zo wel in den bruycken harer Psalmen, Mettenen, Vesperen, Missen, als in den kinderdoope &c. End bidde derhaluē alle Christlicke Lezers, zy willen dezen onzen arbeidt voor goedt annemen, ende dit gheschrift niet daerom miszachten, dat het niet wat nieuws voorgheeft, ende oock van meer anderen godszalighen leeraren ouer langhe tyden ghehādelt is: mer

veel meer God dancken, wanneer zy zien, dat de waerheit, door vele vorghestelt, noch door meer andere trefflicke ende godsuruchtighe mannen ende dieners Christi, beuestight ende betuyght werdt. Zo verharde nu niemād zyn herte, wanneer hem huydē de stemme des Heeren gheschiedt, dat hy niet, als de kinders Israels in der woestijne, wt der ruste ende beloofden lande des Heeren gheslotē werde. Hiervā voorhoede ons alle t'zamen de Almechtighe God door zijnen zoon Christum Jesum. Amen. |

(p. VI) *Mijn verwaerf is | God |*

Ghedruckt te Emb- | den by Gellium | Ctematium |
Anno Domini. 1557. deu. 19. Martii.

1. *Num homini Christiano, postquam e Verbo Dei impietatem Papismi agnoverit, sacris Papisticis, Missae praesertim, ullo pacto interesse liceat.*

(1) *Of het den Christenen, na dien zy het word Godes end de godlooszheit des Pauwstdoms bekent hebben, eenighsins verorloft is, dat zy zick in den Pauwstlicken godsdiensten, ende in zonderheit in der Misse, vinden laten.*

Tam abunde haec quaestio tamque graviter a multis idoneis viris excussa est, ut eorum scriptis vix quidquam addi queat. Quum tamen spectati aliqui et docti viri id a me petiverint, vellem nonnihil de meis quoque huic negotio adjicere, istiusmodi eorum postulationem recusare nec potui nec volui, sed in eorum gratiam haec fere ad propositam quaestionem scripto mandavi.

Ante omnia necesse esse mihi videtur, ut tria in hac quaestione probe discernamus: Primo, qualis ille populus sit, ad quem proprie posita haec quaestio pertineat, ut ab aliis populis eos distinguamus. Secundo, quanta sit papismi in

Deze vraghe is zo oueruloedelick end ärnstlick van velen gheschickten mannen ghehandelt, dat tot hören gheschriften nauw iet meer ghedan kan werden. Dewijl nochtans zommighe goede eñ gheleerde mannē van my verzocht hebben, ick zolde oock willen van den mynen tot dezē handel hier wat toedoen, zo heb ick zulcke höre bebegärte niet konnē noch willen wederlegghen, mer heb hen ten ghelieue dit daertoe ghedaen.

Voor all dückt my noodigh zijn, dat men in dezer vraghe dry dinghē waarneme: Ten eersten wat het voer een volck zy, dien deze voorghestelde vraghe eygentlick angaet, op dat wy ze van anderen volcken wtscheiden. Ten anderen,

sacris istis, (2) et in missa praesertim, impietas. Denique, ulla ne talis in hisce praesentia obtendi possit, quae salva interim conscientia admitti concediqua possit.

hoe groot de godlooszheit des Pauwstdoms in dezen godsdiensten, (2) ende in zonderheit in der Misse zy. Tē lesten, of men eenighe zulcke teghenwordigheyt hy dezē dinghen zolda moghen voorstellen, die mit goeder consciency verwillight ende toeghelatē mocht werden.

I. Jam quod ad homines attinet, quoniam audimus hominis Christiani in hao quaestione mentionem fieri, perspicuum est, nihil eam pertinere ad eum, qui neque impellitur, neo movetur, ut dignitatem Jesu Christi promoveat atque tueatur, et vitae aeternaa particeps fiat. Profecto, quibus dignitas Jesu Christi atque salus sua aeterna cordi est, libenter fugient et evitabunt, quidquid dignitatem Jesu Christi quoquomodo obscurare, viamque salutis suae impedira atque praecludera videatur. Praeterea, quum videamus de istiusmodi Christianis in quaestione nostra sermonem fieri, qui verbo Dei impietatem Papismi agnoverint, hino etiam intelligimus, in hao quaestione exceptos esse, qui noudum in corda suo sentiant, da magnitudiua illius, quae in Papismo est, impietatis sibi verbo Dei persuasum esse, ut credant eam dignitati Jesu Christi et suae saluti obstare, quamvis nihilominus ceteroquin acriter incumbant, (3) Jesu Christi promovere dignitatem, sintque assidui in comparanda sibi aeterna salute et fuerint quantumpote diligentes in eo, quod divinum est, pro debili sua facultate agnoscendo; de quibus equi-

[I.] Zo veel dan nu de menschen belāgt, dawijl wy hooren dat in dezer vragha eenes Christeneu ghemeldt werdt, zo zien wy wel dat zy dien niet augaet, dia niet gheroert noch beweeght werdē de wārdigheit Jesu Christi te vorderen eñ te beschermē, ende het eewich leuen ta verwāruē. Voorwacr dien de wārdigheit Jesu Christi ende hōr eewigha zaligheit ter herten gaet, die sulleu ghern schuywen eñ mijden, alles wat de wārdigheyt Jesu Christi eeuighsius schijnet te verduystereu, ende den wegh hōrer zalígheyt te varhinderen enda te beletten. Darbeneuen wanneer wy zien, dat in der vraghe van zulcken Christenen ghesprokē werdt, die door het word Godes des Pauwstdoms godlooszhait bekeunan: zo verstaen wy oock hierwt, dat van dezer vraghe wtghesloten zyn, die zick noch niet in hōrē herte gheuoelen van der grootheit der godlooszheit, dia in den Pauwstdō is, door het word Godes ouerwonnen te zyn, dat zy ghelooueu, de zelua zy der wārdigheit Jesu (3) Christi, ende hōrer zaligheit entegheu: hoewel nochtans de zelue sus anders zick mochtē benārstighē de wārdigheyt Jesu Christi te voorderen, ende oock zorghuuldich zijn,

dem peculiaris quaestio ponenda esset.

de eeuwighe zaligheit te verwäeruen, ende hebben (zo veel hen moghelijck is) na hören krancken vermoghen vlijtigh gheweest, wat godlick is, te bekennen. Ende van dezen mocht wel een byzōdere vraghe ghestelt werden.

Nostra igitur quaestio eos tantummodo spectat, qui, Christiani dum sunt, vere agnoscunt, debiti officiique sui esse, fugere prorsus atque evitare, quidquid aliquo modo dignitatem Christi obscurare salutisque suae viae officere atque impedimento esse videatur; suntque praeterea tam exercitati in sacris scripturis, ut in corde suo de impietate Papismi conscientiae suae testimonio persuasum sibi habeant. Et, quoniam videmus diversas a multis e verbo Dei proferri sententias de magnitudine Papisticae impietatis (alii enim de rebus, quas nondum ab omni parte perspectas sibi habent, ita judicant, quasi cognovissent eas, et subinde etiam ingenii sui rationem iis implicant: alii dissimulant (4) interdum sensus suos, et praetexunt, se nescire, quae nihilominus tamen egregie sciunt, quod faciunt sive lucri spe sive damni alicujus metu inducti, sive etiam, ut hominibus placeant) probe hic attendendum est, ne huc vel illuc utrimque aberremus, quando agitur de Papismi impietate rite agnoscenda.

Zo gaet dan deze onze vraghe dezen allene an, die zo zy Christenen zijn, warachtlick bekennen hör schuldt eñ plicht te zijn, alles wat eenighsins de wärdigheit Christi schijnt te verdonckeren, ende den wegh hörer zaligheit te verachteren eñ te verhinderen gantzlick te vlieben ende te mijden: ende zijn daarbeneuen also geoeffent in der heiligher Schrifft dat zy in hörē hertē, door ghetuyghenisz hörer consciencye van der Pauwstdoms godlooszheit ouertuyght zijn. Ende dewijl wy nu zien, dat vele wt Godes worde verscheidentlick ghenoelen van der grootheit der Pauwstliker godlooszheit (wāt zōmighe ordeelen van zaken, die hen niet gantzlick bekent zijn, euen als bekenden zy ze, ende menghen oock zomwijlen daerin den raadt hörs vornufts: andere veynzen (4) ziek zomtijden, end gheuē voor, zy weten niet, dat zy nochtans wel weten: d'welck zy doen of wt hope eenigher ghewiñs, of wt vreeze eenighes schade, of op dat zy den menschen behaeghen) zo moetmen hier wel waarnemen, dat wy niet wijcken noch ter eener, noch ter ander zijden van deze tween, wāneermen handelt van wel te bekennen de godlooszheit des Pauwstdoms.

Ne igitur in animum inducamus, confiteri nos, quod revera non agnoscamus, neque consilio rationis nostrae vel quidpiam in divinis tribuamus, firmiter apud animum nostrum statuere debemus, nos omnes simul, quod ad rationis nostrae consilium, coecos plane esse, atque in divinis neque intelligere neque perspicere, nedum discernere quidquam posse; nisi nobis Dominus Christus (qui unumquemque hominem illustrat) mentis nostrae oculos in verbo suo per Spiritum sanctum aperiat atque illuminet. Docet namque idem Christus Dominus noster (qui nos omnes collustrat) illuminare se nullos alios, nisi qui, cum propriae suae coecitatis confessione, lumen suum nuspiam alibi, nisi in lumine ipsius quaerant [1]). Contra testatur, eos omnes occaecari, qui in divinis rationis suae judicio (5) citra doctrinam suam se discernere posse quidquam arbitrentur. Rursum, ne nobis fingamus nescire, quod tamen veraciter sciamus, opus est, ut testimonium conscientiae nostrae interrogemus, nos ne in cordibus nostris accuset, an vero absolvat coram judicio Dei, cui nulla res abscondita esse potest. Nam in iis nequaquam licet (quatenus equidem Christiani sumus) coram hominibus nos dissimulare (in confessione praesertim fidei nostrae), quorum nos in certamine conscientiae nostrae reos esse sen-

Op dat wy ons dan niet laten duncken, wy bekennen, dat wy in der waerheit niet bekennen, ende den raade onzes verstands niet mit allen toeschrijnē in godlicken zaken, so moeten wy vast by ons besluyten, dat wy alle mit cenādere mit den rade onzes verstands gātz blindt zijn, ende in godlicken dinghen noch verstaen noch zien, ick zwijghe daer van wat richten konnē: ten zy dat ons de Here Christus (die allē mensch verlicht) de ooghe onzes verstandes in zynen worde door zynen heiligē Gheest opene ende verlichte. Want de zelue Heere Christus (die ons allen verlicht) leert dat hy gheene andere verlicht, dan die mit bekētenisse hõrer eighener blindheyt, hõr licht nergēt anders, dan in zynen lichte soucken [1]). Darenteghen betnyght hy dat zy alle verblendt werden, die in godlicken zaken door het ordeel (5) hõrs verstands, huytē zyner leeringhe, ziek achten wat te zien moghen. Wederom op dat wy ons niet veynzen, wy weten niet dat wy nochtans waerachtlick weten, zo is van nooden, dat wy het ghetuygnisz onzer cōsciency beuraghē, of zy ons in onzen herten beschuldight of onschuldight voor dē gherichte Godes, voor welcken gheen dingk heymelick zijn kan: Want daerin moghen wy ons (zo verre wy ymmers Christenen zijn) gheenszins voor den menschen beueynzen (in zonderheit in der be-

[1]) Joān. 9.

timus. Quare, ut duo haec evitemus, nimirum, ne res ignotas tanquam notas diiudicemus, et rursus, ne temere nos dissimulemus in iis, quae et agnoscimus et scimus, oportet nos, quantum ad hanc quaestionem attinet, hanc regulam tenere: Nempe, pro istiusmodi impietate, quam omnes Christianos fugere oportet, ne id aestimemus, quod certis non ac perspicuis sciamus testimoniis, dignitati Jesu Christi contrarium esse, salutemque nostram praepedire. E contrario, ut nequaquam etiam (in fidei confessione praesertim) talium rerum impietatem ulla dissimulemus hypocrisi, nedum extenuemus, vel etiam (quod omnium gravissimum est) subtilitate quadam (6) veluti pigmento occulamus, neque excusemus, quas conscientiae nostrae testimonio e verbo Dei sentiamus dignitati honoris Christi officere, cursumque salutis nostrae impedire atque praecludere. Quibus igitur in hunc modum conditis, jam progrediamur ad magnitudinem impietatis religionis Papisticae e verbo Dei agnoscendam.

lijdenisse onzes gheloones) waerin wy in den strijde onser consciency ons schuldigh gheuoelen te zijn. Waerom op dat wy dese twee stucken schuywen, naemlick, dat wy onbekende zaken niet richtē vōr bekende, eñ wederom, dat wy ons niet vermetelick beueynzen in dien, dat wy bekennen ende weten, zo moeten wy, zo veel deze vraghe belangt, dezen reghel holdē: Naemlick dat wy vōr zulcke godloosheit die alle Christenen schuywen moeten, niet achten zullen, dat wy niet door zekere end blijclicke ghetuyghnissē wetē, der wärdigheit Jesu Christi des Heeren enteghen te zijn, ende onzo zalicheit te verhinderen. Daerenteghen dat wy oock gheenszins (in zonderheit in der belijdenisse des gheloones) zulc-(6) ker dinghen godlooszheit mit beueynstheit bewimpelē veel min kleyn maken, of (dat noch het allerzwaerste is) mit eenigher subtijlheit als mit eenen wijfsblanketsel decken ende entschuldighen zullen, die wy door ghetuygnisz onzer consciēcy, wt Godes worde, gheuoelen, dat zy der wärdigheit des eeren Christi wederstrijden, ende den loop onzer zaligheit verhinderen end beletten. Na dien nu dit aldus besloten is, zo willen wy nu voorduaren, dat wy de grootheit der godlooszheit der Pauwstlicken godsdienst door Godes word bekennen.

II. Nonnulli inter sacra Papistica discrimen quoddam interponere conantur, et quaedam eorum sic aestimant, quasi inter medias vel liberas res numerari possent.

[II.] Het zoucke zōmighe in den Pauwstlicken godsdiensten een onderscheid te stellen, ende achten dier zōmighe daer vōr, dat zy onder middele of vrije dinghen zol-

Ego tamen istiusmodi res impietate nequaquam liberare possum, in quibus Dei lex violatur, Christus Dominus in meritis suis atque doctrina sua vilipenditur, deque recta salutis via deducitur populus. Et, quoniam nulla Papistarum sacra conspicio, quin haec omnia in iis commonstrare liceat, nullomodo praetermittere possum, quin omnia sacra Papistica (7) impietatis accusem. Longius esset, singula hic singulatim demonstrare; tamen ex iis, quae hic exhibebimus, reliqua facile aestimare licebit.

Opinantur nonnulli, Papisticum Psalmorum concentum in Vesperis ceterisque Horis (quas appellitant) inter res liberas numerari posse; et, qui talis sententiae sunt, licitum esse Christianis existimant, istiusmodi quoque concionibus, et sacris, qui tum peraguntur, interesse, quamquam interim aliquid mali iis sit admixtum. Cujus rei hanc adferunt causam, esse nimirum ibidem electos multos atque sanctos, qui, etsi debilia adhuc, nihilo secius tamen membra Christi habendi sint. Praeterea dicunt, bene cavendum esse, ne intempestivo atque inepto vulgarium Papistarum Caeremoniarum contemptu in suspicionem impietatis erga electos Dei incidamus, qui in istiusmodi coetibus etiamnunc adsint, quos multo magis lucri-

den moghen ghetelt werden. Ick nochtans kan zulcke dinghen van godtloosheit gheenszins vrij makē, in welcken Godes wet gheschondē, Christus de Here in zynē verdienstē, eñ leeringhe ghelachtert, eñ het volck van dē rechtē weghe der zaligheit afgheuoert werdt. Eñ dewijl ick gheene Pauwstlicke godsdiensten zie, in welcken niet, deze dinghen alle bewezen moghen werden, zo kan ick gheenszins voorby, of ick moet alle Pauwstlickē godsdien-(7)sten der godloozsheit beschuldighen. Het ware te lang alle dinghen hier byzonderlick te bewijzen: nochtans wt dezen, die wy hier voorstellen zullen, zal men lichtlick van anderen moghen richten.

Zommighe laten ziek duncken het Pauwstlieke ghezangk der Psalmē in Vesperen ende anderen ghetijden (als zy die nomē) moghē onder de vrije dinghen ghetelt werden: End die zulckes gheuoelens zijn, achten het zy den Christenen verorloft, dat zy zick oek in zulcken verzamelinghen ende Godsdiensten, die alsdan ghedaen werden, moghen laten vinden, hoewel nochtās wat quaads daronder ghemēgt zy: ende bringhen oock hiertoe deze redene: Naemlick, dat aldaer vele wtuerkorenen ende heilighen zijn, welcke hoewel noch zwack, nochtans niet min lidtmaten Christi zijn. Darbeneuen, zegghen zy, moetmen wel toezien dat men door een ontijdigh eñ ongeschickt verachtē der ghemeynen Ceremonien der

facere oporteat. Cupiunt etiam hoc pro certo haberi, quidquid de Deo atque Christo in sacris Papistarum actionibus (8) supersit, ministrorum impietate, neque aliqua humanorum insomniorum spurca admixtione, neque superstitiosis abusibus, adeo contaminari posse, quin fideles in iis etiamnunc percipere queant atque sentiant loquentem Deum opusque suum exserentem, iisque ad augendam sanctimoniam suam uti queant. Et, quamquam hoc eorum consilium laudo, quod volunt nimirum electorum debiliumque rationem habendam esse (quod equidem Christiani amoris pars est praecipua), nec libenter ab iis discedo, propterea quod observo, me auxiliante Deo ab iis in cognitione rerum divinarum promotum adjutumque esse, (colo eos etiam, ut decet, atque diligo in Domino tanquam parentes); vel sic tamen eorum judicium in hisce ab omni parte sequi non possum; quod cum eorum venia hic dictum esse velim. Fieri equidem potest me ipsum quoque in hisce delusum esse, quum tamen meam quoque fratres in hisce expetiverint sententiam, reticere eam non licuit. Libenter tamen rursus reprehensionem Christianam audire volo, si cui videar minus recto in hisce docere (9); quatenus e verbo Dei et secundum ipsum instituatur; cujus auctoritas atque potentia adeo sola me alioqui cogit, ut, quamquam invitus, paullulum ab iis in sententia differam.

Papisten, niet valle in ărghwaane der godlooszheit by dē wtuerkorenē Godes, die in zulcker verzamelinghe noch zijn, die men veel meer hehoorde te ghewinnen. Begărē oook datmen zal dit vŏr ghewisz holdē, dat alle dinghē van Gode eñ Christo noch in den Pauwstlickē Kerckhăde-(8)linghen ouerbleuen, door der Dienarē godloosheit, noch door eenighe onreyne vermenghing menschlicker droomē, noch door superstitiŏsche miszbruycken, alzo konnen verontreynight werden, of de gheloouighen moghen daerin God noch wel hooren, ende gheuoelen spreken ende zijn werck wtrichten end konnen de zelue ter vermeerderinghe der godsaligheit wel bruyckes. Ende hoewel ick dit hŏr voornemen prijze, naemlick dat zy willē, men zal een anzien der wtverkorenen ende der zwackē hebhen, zo dooh dit het voornēelickste stuck der Christlicker liefde is: end niet ghern vā hē afftrede, dewijl ick vermărcke, dat ick mit Godes hulpe door hen in kennisse godlicker dinghen gheuoordert ende gheholpen bin, eer ze oock derhaluē, als zick dat betaemt, ende heb ze lief in den Heere, als mijne olders: zoo kan ick nochtans niet gătzlick in allē hierin hŏr ordeel volghen: welck ick hier by hŏre orlouc ghezegt wil hebben. Is oock wel mŏghelick, dat ick zelue hierin bedroghen zy: dewijl nochtans in dezen oock de broeders mijn gheuoelē begărt hebben, zo magh ick het zelue niet verzwijghen. Wil

Cujus meae sententiae ut rationes reddam, dico: primum, quod ad electos, qui in Papisticis concionibus inscitia adhuc maneant, si quidem electi sint, atque verbo Dei agnoverint magnitudinem impietatis Papisticae, credere non possum, eos ullo pacto in istiusmodi concionibus manere velle; aut, si id facerent, viderentur mihi ab electione sua (ut ita dicam) jam quoque excidisse. Dico igitur, electos, qui etiamnunc sub Papismo degunt, nec facilius nec certius lucrifieri posse, quam, si Papismi impietas, quae adhuc eos latet, verbo Dei ipsis detegeretur; eaque semel detecta omnibus rationibus iis demonstraretur, prorsus ab ea fugiendum esse, quatenus cupiat quis venerationi Christi Domini inservire, eamque etiam (ut debiti ejus (10) est) promovere velit. Profecto, qui in tenebris ambulant, ex iis evocari nequeunt, nisi praeluceatur ipsis. Necesse est, ut imbecillis electis, qui in Papisticis tenebris inscitia adhuc haerent, verbi Divini lumen praeferatur, neque dissimulatione abscondatur atque fallacia, quibus Papistica impietas elevetur vel ex-

noehtans wederom ghern Christlicke straffe hooren, zo iemanden dochte, ick leerde hierin niet recht, zo (9) verre de zelue wt ende na Godes worde angthericht werden: welckes autoriteit ende gheweldigheit my sus anders alleene dringt, dat ick, hoewel ongherñ, in den gevoelen, van dezē een weynigh verscheiden bin.

Eñ op dat ick dezes mynes gheuoelēs redene gheue, zo zeg ick: Ten eerstē, zo veel de wtuerkorenē belägt, die door onwetenheit in den Pauwstlickē verzamelinghen noch blyuē: Zo de zelue wtuerkorenē zijn, ende door Godes Word de grootheit der Pauwstlicker godlooszheit bekennen, zo kan ick niet ghelooven; dat zy eenighsins in zulcken verzamelinghen zolden willen blijuē: of zo zy zuloks deden, zo liete ick my duncken, zy warē oock alrede (op een wyze van spreken) van hörer verkiezinghe wtgheuallen. Zo zeg ick dan, dat de wtuerkorenē, die noch in den Pauwstdom woonen, noch lichtlicker noch ghewiszlicker konnen ghewonnen werden, dan wanneermē hen des Pauwstdoms godlooszheit, die hen noch onbekent is, door Godes word ontdeckt: ende wāneer dezelue eenmael ontdeckt is, alsdan bij allen middelen bewijst, datmen ze gantzlick schuywē moet, zo verre iemand der vereeringhe des Heeren Christi dienen, ende oock de zelue (als hy dan schuldich (10) is) voorderē wil. Ghewiszlick die in duysternisse wandelen konnē wt der zeluen niet

cusetur. Neque id magnopere sollicitos nos reddit, quod intempestive quodammodo atque temere contra electos egisse sic videremur, nedum ut idcirco in aliquam impietatis suspicionem apud eos veniremus. Qui enim electi sunt, (etsi adhuc imbecilli sint, atque inscientiae tenebras inhabitent) a sancto Dei spiritu adeo impelluntur (si quidem electi sint), ut benevole id accipiant, si ejusdem spiritus sancti afflatu atque e verbo Dei iis annuntietur, inserviatque promotioni dignitatis Dei atque Christi Domini, et impietatis Antichristi Romani revelationi. Altero alter serius, tamen ad extremum id accipiunt, neque semper traducent (11), persequenturve, vel usque eo offendentur, quatenus ii, qui doceant, se intra fines lenitatis atque modestiae animi secundum Christi doctrinam vulgo contineant, talesque se praebeant, qui Dei duntaxat (neque ullius alius) honorem ac fidelium salutem expetant. Dei spiritus sibimet ipse in electis suis contrarius non est, sive debiles sint sive fortes, docti sive indocti, rejecerint Papismum sive inscitia adhuc in eo permaneant. Et, quoniam electi (siquidem electi sint) eodem illo Spiritu nec destitui prorsus, neque ab eo vacui reddi possunt, sic quoque alter in altero non usque persequi atque odisse, nedum increpare atque traducere potest, quod ad promovendum Euangelii Christi lumen ab altero spiritu proferatur. Ejus quoque ra-

gheropē werden, ten zy datmē hen het licht voorstelle. Zo is dau van noodē, datmen den zwacken wtverkorenen, die noch door onwetēheit in dē pauwstlickē duysternissen zijn, het licht des godlickē words voorstellē, end niet mit beucynstheyden eñ bewimpelinghē, waermede men des Pauwstdōs god looszheit verkleynt of verontschuldight, het zelue bedecken. Het bekomert ons niet zeer, dat wy aldus mochtē schijnē wat ontijdighliek ende vermetentlich teghen de wtuerkorenē ghehādelt te hebbē, veel min dat wy daerō in eenighe ārghwaā der godlooszheit by hen zoldē kōmen: want die wtuerkoren zijn (hoewel zy noch zwack zijn, ende in den duysternissen der onwetenschap noch woonen) werdē door den heilighen Gheest Godes alzo ghedreuen (zo zy ymmers wtuerkoren zijn) dat zy zulcks gewillichlick annemē, als hen door des zeluē heilighen Gheestes ingheuen eñ wt Godes worde anghezegt werdt, eñ diēt ter voorderinghe der wārdigheit Godes eñ des Heerē Christi, eñ ter ontdeckinghe der godloosz. heit des Rōmschen Antichristi: de een spader als de ander, nochtās ten ende nemen zy het an. Eñ zullē niet altijd laste-(11)ren, veruolghen, of daerdoor alltydt ontsticht werdē, zo verre die, die dar onderwyzē, zich binnē den palē der zachtmoedigheit eñ der ootmoedigheit des gheestes, na Christi leere, doorgaens holden, eñ bewijzē zick zulcke, die alleēlick Godes eere eñ gheenes anderen, ende der gheloo-

tione habita, quod omnes homines omni studio eo tendere debeant, ut, quantum brevissime fieri possit, unusquisque lucrifiat, sic quoque metuendum hic nobis non est, ne apud electos videremur intempestive aliquid egisse, dum Domini Jesu Christi Euangelium interpretamur; procul absit, ut aliquam exinde impietatis suspicionem (12) nobis timeremus. Nemo est, qui dicere possit, se in promovenda Euangelii luce omnia fecisse, quae quidem facere debeamus, sed cogimur simul omnes nostram in ea re infirmitatem atque negligentiam agnoscere, etiamsi veri alioqui Christiani sumus. Quodsi non infima Euangelii confessionis pars est, ut relicto Papismo ad publicum aliquem Christi coetum nos adjungamus, nulla in eo tegumenta quaerere licet ad infirmitatem nostram atque negligentiam excusandam, quas multo magis cum gravi atque perpetua divini auxilii imploratione, accusare in nobis atque deplorare debemus.

uighen zaligheit zouckē. Godes Gheest, is zich zeluen in zynen wtuerkorenen niet enteghen, zy zijn zwack of stärck, gheleert of ongheleert, zy hebhen het Pauwstdō verworpē, of blijuen door onwetēheit noch daerin. Eū dewijl de wtuerkorenē (zo zy ymmers wtuerkorenen zijn) van dezen zeluen Gheest niet gantzlick konnen ontzett of ledigh ghestelt werdē, zo kan ooek de een in den anderē niet altijdt veruolghē of haten, ick zwijghe scheldē eū lasterē, dat ter voorderinghe des lichtes des Euāgelii Christi, door eenē gheest ghesprokē werdt. Anghemärekt oock, dat alle menschen mit gätzer begärte darna behoorē te staen, dat een ieghelick ghewonnen werde, zo kortlick als het möghelick is: zo hebben wy ons hier oock niet te vreezē, dat wy by den wtuerkoreneu zoldē schynē wat ontijdighlick ghedaē te hebbē: Zo wy het Euaugeliū des Heeren Jhesu Christi verklaren, verre moet het zijn, dat wy ons daerdoor vor eenighē ärgwaane der god-(12)loószheit zolden vreezen. Dar is niemand die zegghen kan, hy hebbe in der voorderinghe des lichtes des Euangelii ghedaen, alles wat wy wel schuldigh zijn te doen: mer werden altemael bedwonghen hierin onze zwackheit ende verzuymelickheit te bekennē, ja zelue te beschuldighen, zo wy anders waare Christenen zijn. Ende zo dit niet het minste stuck der belijding des Euangelii is, dat wy ons mit verlatē des Pauwstdoms, tot eener opentlicker Ghemeyute

Christi toeuoeghen, zo moghē wy hierin gheene decksels zoucken, onze krāckheit ende verzuymelickheit te entschuldighen, welcke wy veel meer mit ernstighen ende stadighen anroupen der godlicker hūlpe, in ons beschuldighen ende beweenen moeten.

Multum adhuc dicendum esset de studio illo, ut nimirum pro certo affirmemus, quidquid in ritibus Ecclesiasticis de Deo atque Christo etiam supersit, neque ulla ministrorum impietate, neque ulla humanorum insomniorum admixtione, neque ulla hominum, qui iis abutantur, superstitione, adeo contaminari posse, quin pii homines audire in iis atque sentire possint Deum loquentem (13) opusque suum exserentem, utique iis etiam ad fidei suae augmentationem. Namque, si sub Ecclesiae nomine Christi tantummodo Ecclesiam intelligamus, quam scimus suas habere notas atque signa, a Deo ordinata, ubinam ritus Ecclesiastici inter Papistas peraguntur, si nulla scilicet inter eos Ecclesia reperiatur? Ubi autem inter eos Ecclesia est, si omnes ejus notas atque signa abjecerint, nec manere voluerint in cathedra sua, a Christo Domino sibi constituta, sed vero, hacce renuntiata, suam in sancto loco propriam posuerint cathedram, quae Christo est contraria? adeo ut nemini videri possimus leviter in ea re agere, si ab hac voluntate atque studio omnes Papisticas conciones ritusque eorum excludamus.

Veel ware noch te zegghen van dezer begārte, naemlick, dat wy vōr ghewisz holden, dat de dinghen die in den kercklicken ghebruycke, van God ende Christo noch ouerigh zijn, door der dienaren eenighe godlooszheit, of door eenighe onreyne vermeoghing menschlicker droomē, of door superstiey der mēschen die ze miszbruycken, niet alzo konnen verontreynight werdē, of de godsuruchtighe menschen moghē God darin wel hooren, eñ gheuoelen spreken eñ (13) zijn werck wtrichten, ende oock de zelue ter vermeerderinghe hōres ghelooues bruycken. Want zo wy onder den name der Kercken alleenlick verstaen de kercke Christi, welcke men weet, zy hebbe hōr teekens ende mārcksels van Gode verordēt: waer gheschiehē kercklicke ghebruycken onder den Papisten, zo doch onder hen gheen kercke vonden werdt? Waer is oock onder hen de kercke, zo zy alle hōre teekens ende mārcksels verworpē hebben? ende hebbē niet willen blijuen in hōren stoule, die hen van Christo den Here ghezett was, mer hebben zick, mit verloocheinghe des zeluen, in de heilighe plaetse hōren eyghenen stoul, die Christo enteghen ys, ghezett: alzo dat zick

niemand kan laten dunckē, dat wy hierin lichtuärdighlick handelen, zo wy van dezen wille ende begärte alle Pauwstlicken verzamelinghen end höre ghebruycken wtsluyten.

Quid praeterea ibi de Deo atque Christo superesse revera potest, ubi Christus Dominus in publica doctrinae confessione divinitate sua atque humanitate omnique sua insuper dignitate privatur? Quae omnia confessio Papisticae doctrinae in se continet, quamvis (14) in agendo suo horum alienissimi videri cupiant. Quomodo igitur dicemus, ibidem quidpiam de Deo Christoque adhuc superesse? aut vero num eas res, quas dissimulatione Papistae adhuc retinent, tanti aestimabimus, quasi veraces Dei Christique reliquiae essent, sine ulla ratione habita eorum, quae ad opprimendam atque exstirpandam doctrinam de meritis dignitateque Christi decreverint inter se atque jurejurando sint pacti? Qua de re plura adhuc dicenda essent; absit, ut studio illi in Papismo locum illico dare vellemus. Postremo, si ministrorum impietas, in qua praesertim Ecclesiae judicium aperte consentit, adeo Ecclesiasticas actiones conspurcare nequit, quin iis ad augmentationem fidei nostrae uti nobis liceat, iisque socios iis nos adjungere; tum profecto nulla unquam ethnicorum in concionibus suis impietas, neque ulla item idololatria, cultum Dei (qui principio Noae tempore pro-

Daer en bouen wat magh doch daer in der waerheit van Godeende van Christo noch ouerigh zijn, daer Christus de Heer in opentlicker belijdenisse der leere van zyner Godheit ende menschheit ende daerenbouen van aller zyner wärdigheit berooft werdt? Het welck alles de belijdenisz der Pauwstlicker leer in zick veruaatt, hoewel zy willen (14) in hören doen schijnen hiervan vreemde te zijn: hoe zullen wy dan zegghen, dat daer van Christo ende Gode noch wat ouerigh is? Of zullen wy de dinghē die de Papisten door beueynstheit noch beholden in zulcker achtinghe hebben, als waren het waerachtighe ouerblijfsels Godes end Christi, zonder eenighe acht te nemen desz, dat zy onder zick tor verdruckinghe ende ter verdelghinghe der leere van den verdiensten ende wärdigheit Christi, verordent en mit verzweeringhe verdraghē hebben? Hiervan ware noch wel veel te zegghē: verre is het dat wy deze begärte ter stondt in den Pauwstdom zolden willen plaetsz gheuen. Ten lesten, zo der dienarē godlooszheit, in welcken in zonderheit het ouerdeel der Ghemeynte opentlick bewillight, alzo der kerckē handelinghen niet kā verontreinighē, of wy moghē ze wel ter vermeerderinghe ouzes ghelooues bruycken, ende ons

cul dubio una atque similis fuit) adeo laedere potuit, quin iis socios nos adjungere, iisque ad (15) augmentationem fidei nostrae uti nobis licuisset. Aut vero ministrorum inter ethnicos impietas adeo veram Religionem, quae principio a vera Ecclesia desumta est, violare potuerit, ut non amplius ad eam nos adjungere, nedum ad fidem nostram augendam uti ea licuerit, — quini simili quoque modo Papismi impietatem diiudicamus, quae multum Judaïcam atque Ethnicam blasphemiam atque idololatriam superat atque egreditur. Sic igitur non frustra Deus suos jubet exire e Babylonia prorsusque ab ea separari, nec vult eos in talibus concionibus sentire, loqui vel satagere *). Id omne igitur, quantum in nobis est, vitabimus, quod Deus vitandum esse censet. Exibimus, prorsusque separabimur ab iis, a quibus Deus separari nos jubet, neque hic melle nostri ipsorum, neque aliorum os subliuemus, vel ullo liberarum mediarumve rerum praetextu decipiemus; sed vero nefas habebimus, ac pro tali rejiciemus, quidquid legi Dei officere, dignitatemque Christi Domini elevare quoquomodo videatur.

als medeghezellen daer by voeghen: zo heeft ghewiszlick noyt der heidenschen dienāren eenighe godlooszheit in hōren verzamelinghē, ende deszghelijcken eenighe hōre afgodery, dē diēst Godes (die zonder twijfel in beghinne ten tijden Nohah is eenigh eñ ghelijck formich gheweest) alzo konnen schendē, of wy mochtē ons daertoe als medeghezellen wel voeghē eñ den (15) zeluen ter vermeerderinghe onzes gheloones bruycken. Of heeft de godlooszheit der dienāren onder den Heidenen, den waarē Godsdiēst, die in beghinne vā der waarer kerckē Godes ghenomen ward, alzo kōnen schenden, dat wy ons daertoe niet meer mochtē voeghen, veel min ter vermeerderinghe onzes geloones den zeluen bruycken, waerom richtē wy dan niet op ghelijcker wijze van des Pauwstdoms godlooszheit, welcke wijdt de Jōdische end de Heidensche blasphemiē eñ afgoderyē ouertreft eñ te bouen gaet. Zo ghebiedt dā God niet te vergheefs den zynē, dat zy zick wt babylonien maken, eñ daervā zick gantzlick afzonderē zullē: eñ wil niet dat zy en in zulckē verzamelinghē zullē gheuoelē sprekē of werckē *). Hierō zo zullē wy (zo veel in ons is) zulcks alles schuwen, dat God wil geschuywt hebbē: wy zullē wtgaē eñ ons gātzlick vā zulckē afzonderē, daer vā ons God ghebiedt, dat wy ons zullē afzonderē: Eñ zullē hier noch ons zeluē noch anderen het honigh in

*) Apo. 18. b. Esa. 52. c. 2 Co. 6. d.

den mondt stryckē eñ alzo bedrieghē door een voorwending der vrijē eñ middelē dinghen, merzullē vōr ongodlick holden eñ verwerpē, alles wat wy zien der Wet Godes enteghen te zyn, ende de wārdigheit Christi des Heeren te verminderē.

Et, ut primum (16) de Psalmorum cantu dicam, puto equidem, omnes istiusmodi cantus pugnare contra duo prioris tabulae praecepta; primum, istiusmodi cantus, quibus solum Deum (si quidem ita colendus esset) coli oporteret, mortuis sanctis obtruduntur, et, pro varietate eorum, idololatrica superstitione atque vana etiam fide immutantur. In orationibus namque vespertinis (quas Vespere), atque matutinis (quas Mettene vocant), alii Psalmi Mariae virgini, alii rursus Martyribus, alii Confessoribus, alii Virginibus decantantur, idque totum varia ratione atque vario vultu. Anctoritas verbi divini Capitulis atque Responsoriis, quae dicuntur, intrudi solet; atque, ut indubie pateat, illos Psalmorum cantus maxima ex parte in Sanctorum gratiam institutos esse, fere semper in fine, in Collectis, quas vocant, superstitiosa quaedam Sanctorum invocatio cum gravi eorum auxilii petitione additur. Quae qnum ita palam sint, ut neque dissimulari neo tegi ullo modo queant; (17) apertum quoque est, pugnare eos cum primo praecepto prioris tabulae [1]), quo unum solum Deum in invo-

Ende op dat ick ten eersten spreke van (16) den Psalmmzingen, zo laēt ick my duncken, dat alle zulcke ghezanghen teghen twee gheboden der eersten tafelen strijden. Ten eerstē, dat znlckē ghezanghē, daermede God alleen (zo hy alzo te dienen ware) behoorde ghedient te werdē, den dooden Heilighen toeghedronghē, ende na verscheidenheit der zeluē, door afgodische snpersticy ende waangheloone oock verandert werden. Want in den auendgheheden (die men Vesperē) ende morghengheheden (die men Mettenen noemt) werden zommighe Psalmen ghezonghē der maget Marie, andere wederom den Martelāren, andere den Confessoren, andere den Maegden, ende zulcks alles op verscheidener wijze ende gebār. De antoriteit des godlicken wordes werdt den Capittelē ende Responsorien, als zy ze noemen, opghedronghen. Ende op dat het onghetwijfelt blijcklick wurde, dat deze Psalmghezanghen vōr het meeste deel ten dienste der Heilighen anghericht werden, zo werdt op het ende an den Collecten, als men ze noemt, schier alltijd eenighe afgodische anronping der Heilighen, ende hōrer hulpe ārnstigh

[1]) Exo. 20 a, Deut. 5 a.

catione nostra adorare jubemur, eum solum colere, eique soli genua nostra flectere, propterea quod Ille solus Dominus noster, hocque ei nomen, nolitque hujus nominis honorem aliis concedere [4]), — palam quoque ac perspicuum est, omnia Papistica illa sacra, quibus id omne continetur, superstitiosa esse prorsusque atque aperte contra Legem Dei pugnare, neque adeo inter res liberas atque medias recenseri posse, nedum ut homini Christiano, qui impietatem eorum agnoverit, ulla dissimulatione liceret, veluti socius, iis interesse.

verzouck toeghenoeght. Dewijl nu dit alles zo kond is, dat men het gheenszins beueynzen noch bewimpelē kan (17) ende oock openbaer is, dat het teghē der eersten tafelen eerste ghebodt strijdet, in welcken ons gheboden wert, dat wy in onzer anroupinghe eenen eenighen God zullē anbidden, hem alleene dienē end oock hem alleene de knijen buyghē [3]): anghemärck hy alleē onze Heer, eñ dit zijn naē is, wil oock dezes zeluē naems eere gheenē anderen gheuen [4]): zo is oock klaar eñ blijcklick dat alle deze Pauwstlicke dienstē, waerin sulcks alles begrepen is, afgodisch zijn, ende strijden opentlick ende gantzlick teghen de Wet Godes, ende moghen derhaluen onder de vrije ende middele dinghē niet gherekent werden, veel min eenen Christenen die hŏr godlooszheit bekēt, vrij zijn, dat hy als een medeghezell, door eenich beueynzen zick daerin mŏghe vinden laten.

Insuper Papistarum illi Psalmorum in Horis suis cantus pugnant contra tertium prioris tabulae praeceptum, quod monet, ne Ejus nomen leviter invocemus. Namque, etsi nullam idololatriam (cujus alioqui pleni sunt) in se continerent, neque Scripturae locos contorquerent, neque id, quod Deo ac Christo proprium est, mortuis Sanctis obtruderetur, (18) quod tamen vulgare hic est, neque citra magnam impietatem ullo modo fieri potest, — quomodo etiam

Hier beneuen zo strijdē deze Pauwstlicke Psalmghezanghē in hŏren ghetijden teghen der zeluen eersten tafelen derde ghebodt, welck voorholdt, datmen den naem Godes niet lichtuärdighliek zal anroupen. Want of zy schoon gheē afgodery (welcker zy nochtans voll zijn) in zick veruateden, ende der Schrift plaetsen niet verdrayt, ende wat Gode ende Christo eyghen is, niet den dooden Heilighen opghedrongen wurde,(18) welck nochtans hier ghemeyn is,

[3]) Exo. 20 a, Deut. 5 a

[4]) Esa 48 b.

tunc liberabunt se culpa, non leviter se Dei nomen invocare, quum sic decantantur, ut eos maxima ex parte ipsi cantores non intelligant, multo minus, ut ab auditoribas, sive coetu intelligi possint? Nam, ut de peregrinitate linguae taceam, quam Sct. Paulus in ordinaria coetus concione rejicit [5]) (et handdubie sua qnoque impietate non caret), vel sic tamen stridor cantorum, crepitus, fragor, sibilus atque clamor haud intelligibilium verborum omnem ejus, quod canitur, intellectum prohibet, adeo nt revera psalmi ibidem intonari potius atque balari, quam decantari videantur, nedum ut legi atque pronuntiari dici possent. Quae omnia quum absque dedecore verbi Dei, quod in prioris tabulae tertio praecepto vetamur, fieri nequeunt, non video, quomodo Horae illae Papisticae, inque iis Psalmorum ille stridor atque clamor, magnn impietatis culpa, imo etiam mera blasphemia (19) liberari, mnlto minus inter liberas et medias res numerari atque recenseri posset; vel etiam quomodo homo Christiannus, cui illsrum impietas nota est, bona conscientia atqne eam Papismi dissimulatione, iis interesse possit.

ende kan gheenszins zonder groote godlooszheit gheschiehen: hoe zullen zy zick dannoch der schuldt vrij maken, dat zy niet den naem Godes lichtuärdighlick anronpen? dewijl men ze alzo zingt, dat ze ten meesten deele de zanghers zelue niet verstaen, veel min dat zy vsn den hooreren of ghemeinte verstaen moghē werden? want op dat ick noch zwijghe van der vremtheit der sprakē, die S. Paulus in der ghemeyner te hoopkomst der Ghemeynte verwärpt [5]), ende is oock onghetwijfelt, niet zōder hŏr godlooszheit, zo beneemt het krieschen der zangherē, het bolderen, lullen, tournoyen ende rammelen der onverstandlicker worden het gantze verstandt desz, dst ghezonghen werdt: alzo dat waerlick schijnt, dat de psalmen daer veel meer ghedonnert ende gheblätt werden dan ghezonghen, verre is het dat men zegghen mochte, ghelezen of wtghesproken. Dewijl nu dit alles zonder groote onteering des godlickē wordes, welcke ons in der eersten tafelen derden ghebode verboden is, gheenszins gheschiehen kan, zo zie ick niet, hoe deze pauwstsche ghetijden ende dit psalmmkrieschen ende donneren in den zeluen, van grooter schuldt der godlooszheit, ja oock van enkeler blas-(19)phemy beurijdt, veel min, onder vrije ende middel dinghen ghetelt ende gherekent zolden konnen werden: ende dat een Christen mensch, dien der zeluer godlooszheit bekent is, mit goeden

[5]) 1 Co. 14.

Deniqne Horae illae pugnant adversus dignitatem Christi Domini, et callide admodum nos a via salutis abducunt. Officium enim sunt sacerdotis Papistici, quod omnibus modis Christi sacerdotio officit. Praeterea meriti reconcilintionis iis annexa est dignitas, quod sine horribili blasphemia atque magna Christi mortis contumelia, ne vel cogitare fas est; atque adeo tecta quadam fraudulentia sive dissimulati vultus atque incantationum hypocrisi a fiducia meritorum mortis Christi, clementer nobiscum communicatorum (quae unica salutis via est) ad idololatriam Papisticarum indulgentiarum sive remissionum adque nostri ipsorummet merita deducimur. Eas autem partem esse ministerii Sacerdotii Papistici (20) exinde perspicuum est, qnod Papae illornm decretis nd quotidianum earum pensum (sive intonandum in Templis, sive mussitandum secreto aut privatim) obligati sunt, qui infimum hujus sacerdotii gradum adepti sint. Neque nb ullo alio eas praeterea peragi fas est, nisi nb iis, qui sacerdotio isti ascripti sive dicati sint, hoc est, qui publice Christi sacerdotii exstiterint violatores. Quod enim Psalmorum illum cantum discipulis subinde permittunt, propterea est, quod in orationibus suis Psalmos ultimo loco aestimant: quos ndeo pueris (quos interim

consciency ende mit beueynzen des Pauwstdoms, zick daerin zolden moghen vinden lsten.

Endlick zo strijden deze ghetijden teghen de wärdigheit des Heerē Christi, ende veruoeren ons zeer listighlick van den weghe onzer zalicheit. Want zy zijn een dienst des Pauwstschē priesterdoms, het welck allerweghē teghen het priesterdom Christi strijdt. Daerbeneuen, zo is de wärdigheit der verdiensten te verzoenen, an den zeluē ghebonden, d'welck zonder schricklicken laster ende groote schande des doods Christi, niet zo veel nls ghedacht kan werden. Ende werden wy alzo door bedeckte bedrieghelickheit of der huychel(he)yt des bewimpelden ghebärs ende tooueryen, van den vertrauwen op de verdienste des doods Christi, ons ghenadighlick mede ghedeelt, (welcke de eenighe(n) wegh is ter zaligheit) ter afgoderye der pauwstsche pardoenen of aflaten, ende onzer eighener verdiensten afgheuoert. Dat zy nu een deel des diensts des Pauwstschen Priesterdoms zijn, is (20) hier wt blijcklick, dat door de wetten hörs Pauwsts tot eenen zekeren dsghlickschen opdeele der zeluer (het zy wt te donnern in den Tempelen, of wt te grollen byzonder of in 't heymelick) verbonden zijn, zo wie den minsten graadt dezes Priesterdoms verworuen hebbē. Moghen oock daerbeneuen van gheenen anderen ghedaen werden, dan vnn dien, die dezen Priesterdom toeghcheygheut ende opghewijhet,

ministerii sui collegas censeri cupiunt) permittunt, tamquam contemptum quid fastidioque plenum. Contra id, quod plus ponderis, id est, impietatis habet, nempe, Scripturae in Capitulis atque Responsoriis abusum, et Sanctorum inprimis invocationem in Commemorationibus atque Collectis, in illorum idiomate sic dictis, id omne, tamquam proprium suum ministerium, cibumque genuinum orique suo accomodatum, sibi seponunt, omniumque suarum orationum finem esse cupiunt. (21)

dat is, die opentlicke schenders des Priesterdoms Christi zijn. Want dat zy dit Psalmzingben zomwijlen den schoolkinderen ouerlaten, is daerom, dat zy in höre gbebeden de Psalmen vŏr bet allerminste achten: ende laten ze alzo den kinderen (welcke zy nochtans als medeghezellē hörs diensts gherekent willen hebben) ouer, als een diugk dat veracht ende voll onlust is. Daerentegben wat van meerder acht, dat is, godlooszheit is, naemlick, bet miszbruyck der Schrift in den Capittelen ende Responsorien eñ voorneemlick bet anroupen dez Heilighen, in den Commemoratien ende Collectē, op hŏr spreecktaal alzo ghenoemt: dit alles als eyghen hŏren Priesterdom, ende een oprechte ende bequame spijsz tot bŏren monde, bewaren zy vŏr zick, end willē, het zy een besluyt aller bŏrer ghebeden. (21)

Vera haec omnia esse ipsi Papistarum libri palam evincunt, atque adeo ostendunt, horas illas, sive publice in templis intonent eas, sive privatim atque occulta mussitent, proprie ad Papistici Sacerdotii ministerium pertinere, neque infimam ejus partem quoquomodo esse. In quantum igitur res libera atque media sit, approbare tanquam rem bonam Papisticum Sacerdotium (quod Christo Domino omnino contrarium est), dissimulatisque id gestibus confirmare, in tantum quoque liberam rem esse puto atque mediam, ejus ministerio interesse suaque veluti praesentia approbare,

Dat dit alles waer is, betuyghē opentlick de Pauwstsche houcken ende gheuen derhaluen voor, dat deze gbetijden, bet zy dat men iu d'openbare in dē Tempelen dōnere, bet zy dat meu ze byzonder ende beymelick grolle, eyghētlick tot den dienste des Pauwstschen Priesterdoms hebooren, ende het minste deel der zeluen gheenszins zijn. Zo veel dan als het een vry endo middel dingk is, In bet Pauwstsche Priesterdom (dat den Heere Christo gantz enteghen is) als in een goedt dingk bewillighen, eñ het zelue mit onzē bewimpeldē ghebären stärcken: alzo achte ick oock, bet zy een vry ende middel

nisi inscii in ea re versemur, vel inficiemur adhuc, Papae sacerdotium prorsus ac vehementer Christi Domini sacerdotio officere. Quantum igitur in me est, aliter nec judicare, nec testari, nec credere etiam possum, quin Papa verus Antichristus sit, totumque ejus sacerdotium, una cum omnibus ejus gradibus sive ordinibus, notis atque ministerio suo, sit prorsus atque pariter omnimodis sacerdotium Antichristi; adeoque censeo, homini Christiano (cui (22) verbo Dei in corde suo ejus impietas cognita est), nullo pacto licere ullam omnium ejus sacrorum communionem habere.

dingk, zick in zijnē dienst te vinden laten, ende mit zyner teghenwordigheyt den zelnen bewillighen: Tēzy dat wy hier onwetigh zijn, of verzaken noch, het Pauwsts Priesterdom zy gautzliek ende strareks teghē het Priesterdom des Heeren Christi. Zo veel dannoch van my is, zo kan ick niet anders richten, betuyghen ende gheloouō, of de Pauwst zy de oprechte Antichrist: ende zyn gätz Priesterdom t'zamen mit allen zynen gradē of trappen, märckselen ende zynen dienst, zy gätzliek ende gelijck in allerley wijzē, het Priesterdom Antichristi: end achte, het zy eenen Christenen mensche, (dien (22) door Godes word des zeluē godlooszheit in zynen herte bekent is) gheensins verorloft eenighe ghemeynschap in allē zynen godsdiensten te hebben.

Quod etiam dicimus de dignitate reconciliationis meriti, quae Horis istis annexa sit, adeo palam est, ut non opus sit, multus id argumentis hic commonstrare. Namque Papisticae remissiones sive indulgentiae, quae reliquis abundius interdum iis alligatae sunt, clamant, se culpam atque poenam remittere, sive quis ibi adsit sub tempus orationum (quatenus equidem aliquid pecuniae solvat), sive ipse cauat, quando ad ordines hujus sacerdotii pertinet. Praeterea, quoniam coram tota concione decantantur, atque in Papae Ecclesia ad totius coetus peccata condonanda institutae sunt, hauddubie digni-

Dat wy oock zegghen van der wärdigheit der verdienst te verzoenen, die an dezen ghetijden ghebonden is, is zo kondt, dat niet noodigh is, het zelne hier mit veleu redenen te bewijzen. Want de Pauwstsche pardoenen of aflaten die zomwijlen oueruloedigher zijn dan de andere daran ghebonden, hebben het gheschrey, dat zy schuldt ende pijn vergheuen, het zy. mē laet ziek daer vindē onder den tijd [der] ghebedē (zo verre men ymmers wat gheldsgheeft) het zy men zinghe zelue, iu gheualle datmē tot den ordene dezes Priesterdoms ghehoore. Daer beneuē ghemärckt dat men ze vōr de gantze verzameling zingt, ende

tate reconciliationis meriti ornatae esse debent. Quidquid enim propter peccata instutuatur, ut reconciliet, necesse est. Et, quum jam apertum sit, Horas pro vivorum ac mortuorum peccatis institutas esse, negari non potest, eas reconciliationi inservire; (23) unde, veluti e conclusione, sequitur, eas pugnare cum dignitate ac merito Christi sacerdotii atque mortis, nosque adeo per eas deduci a via salutis nostrae, quam merito mortis atque sacerdotii Christi (per ejus communionem clementer nobis donato) tribuere duntaxat debemus. Etsi igitur Psalmorum ille cantus Horaeque illae inter liberas atque medias res ab aliis recenseantur; ego tamen censeo, atque persto in sententia mea propter allata argumenta, eas impietate Papismi contaminatas atque inquinatas esse; puto ergo unumquemque Christianum, cui impietas illarum innotuit, prorsus atque quoquomodo fugere eas atque perhorrescere debere.

zy in des Pauwsts kercke, der gantzer ghemeynte zonden te vergheuen inghestelt zijn: zo moeten zy ghewiszlick mit der wärdigheit der verdienst te verzoenen, wel verciert zijn. Want wat vör de zonden inghestelt werdt, dat moet noodwendighlick verzoenen. Eñ dewijl het nu openbaer is, dat de ghetijden vör der leuendighen ende dooden zonden inghestelt zijn, zo kan men niet loochenen, of zy verzoenē: (23) Waerwt als wt eenen beslnyte volght, dat zy mit der wärdigheit ende verdiēste des Priesterdoms endo des doods Christi strijden. Ende dat wy alzo door de zelue afgheuoert werden van den weghe onzer zaligheit, die wy der verdienste des doods ende Priesterdoms Christi (ons door zijn ghemeynschap ghenadighlick ghe-schoncken) alleenlick toeschrijuen moeten. Hoewel dan dit Psalmmzinghen ende deze ghetijden, vā anderen onder vrije ende middele dinghen moghē gherekent werdē: zo richte nochtans ick, ende holde my daeran, wt voorghemelden redenen, dat zy mit des Antichrists godlooszheit besmett ende bezuydelt zijn: ende acht alzo dat een ieghelick Christē, dien hör godlooszheit bekent is, schuldigh zy de zelue gantzlick ende alle weghen te vliehen, ende eenen gruwel daer van te hebbē.

Video de Papistarum baptismo ita nonnullas judicare, ut velint, omnes fideles, tam firmi, quam infirmi, utique eum adeant, idque propter electorum praesentiam, qui

Ick zie dat zomighe der Papistē doop alzo holdē, dat zy willē, alle gheloouighen, zo wel stärcke als zwacke, zullen zick ouer all daertoe maken, ende dit om der teghen-

in coetu illo adsint, quos parvo in praesens lucrifacere debeamus. Jam quod ad electos, qui in Papae Ecclesia degunt, deque cura ac sollicitudine (24) eos lucrificandi, supra jam dictum est, quare opus non est ea nunc iterum repetere. Dictum quoque est, nihil ad tales praesertim referre imbecillos quaestionem nostram, qui Papismi impietatem nondum satis agnoverint. Hic igitur de iis tantum agimus, qui Papisticae impietatis magnitudinem in Papae baptismo verbo Dei agnoverint, sive firmi sint, sive infirmi, atque vetamus eos adire eum, sive etiam liberos suos ad Papae baptismum mittere. Equidem libenter credo vere baptizari infantulos, qui ad eum perferantur, propterea quod Sacramenti abusum iis nequaquam imputare licet, qui notitiam ejus nec habeant, nec habere etiam possint; tamen eos, qui puerulos suos illuc mittunt, postquam verbo Dei Papismi impietatem agnoverint, peccati culpa liberare non possum. Namque, cum tota Papistarum turba publica doctrinae suae confessione atque tyrannide etiam Coetum Christi vulgo damnet atque persequatur, tam in doctrina ipsius, quam in ipsius membris, sane non video, quanam ratione homo Christianus, (25) postquam impietatem Papismi agnoverit, sine magna in Christum ejusque Coetum contumelia, ministerio eorum socium adjungere se posset.

wordigheit willen der wtuerkorenen, die in der verzamelinghe zijn, welcke men by luttelen des maals ghewinnen moet. Nu van den wtuerkorenen die in des Pauwsts kercke zijn, oock van der zorghe eñ vlijte (24) die te winnen, is bonen ghezegt, zo dat het niet noodigh is wederom te verhalen. Oock is ghezegt dat deze onze vraghe zulcken kraneken inzonderheit niet angaet, die des Pauwstdoms godloosheit noch niet ghenoughzaemlick bekennen. Zo spreken wy dan hier van zulcken, die door Godes word de grootheit der Pauwstlicker godloosheit in des Pauwsts doope bekennen; zy zijn stärck of zwack: ende wil dat zulcke zick niet biertoe maken zullē noch oock höre kinders tot des Pauwsts doop heen schicken. Ick ghelooue wel, dat de kleine kinderkens, die darheen ghebracht werdē, waarachtlick ghedoopt werden, ouermids des Sacraments mizbruyck diē gheenszins toegherekent magh werdē, die des zeluen gheen kennisz hebben, noch hebben konnen. Die nochtans, die höre kinderkens daerheen schicken, na dien zy door Godes wordt des Pauwstdoms godlooszheit bekent hebben, kan ick van schuldt der zonde niet beurijen. Want ghemärck de gätze hoop der Papisten, door hörer leere, opentlicke belijdenisz, ende oock door tyranny de Ghemeynte Christi doorgaens verdomt end veruolght, zo wel in hörer leere als in hören lidtmaten, zo zie ick in der waerheit niet, op

wat wijze een Christen, na (25) dien hy des Pauwstdoms godloosz-heit bekent heeft, zick als een medeghezell tot hören dienst gheuen magh zonder grooten lachter teghen Christo eñ zijn Ghemeynte.

Praeterea, quum apertum sit, omnia fere, saltem praecipua baptismi nostri mysteria a Papae baptismo obscurari, inque eorum locum nova quaedam eaque idololatrica suggesta esse; cumque etiam magicis omnia ibi imposturis peragantur, atque ea, quae Jesu Christi sanguine fit, expiatio prorsus fere negligatur, — quomodo, obsecro, volentes ac scientes nos nostrosque infantes socios ipsius redderemus. Quodsi quis ullum hic discrimen rerum crucemve ullam praetexere velit atque timeat, illi cum Jo. Calvino respondeo, in vita nostra nihil nobis tam carum tamque dignum esse debere, ut idcirco vel ulla nos idololatria contaminare vellemus.

Daerbeneuen ghemärckt het openbaer is, dat byna alle, tẽ minstẽ de voorneemlickste verborghenheiden onzes doops door des Pauwsts doop verduystert, ende in der zeluen plaetse, nieuwe ende afgodische inghebildt werden. Ghemärckt oock dat het daer alles als mit toouerische bedriegherie toegaet, eñ de reining door het bloedt Jesu Christi gheschiet, schier gätzlick verzaaekt werd, Hoe zullen wy ons ende onze kinderkens (bid ick v) hiervan als medeghezellen willens ende wetens maken? Zo nu hier iemãd eenighe vaerlickheit of cruyce zolde willẽ voorwenden ende zick daervoor vreezen, dien andworde ick mit Jo. Caluino, dat ons in onzen leuen gheen dingk behoort zo lief of weerd te zijn, dat wy ons om des zeluẽ willen, zolden willẽ mit eenigher afgodery bezuydelen.

Jam quod ad Missam pertinet, non opus est, ut multis de ea disseramus. Omnes enim pii doctores in eo unanimiter consentiunt, propter execrabilem ejus impietatem fugiendam eam esse, (26) quibus ego quoque libenter calculum meum adjicio. Confiteor etiam missam papalem fundamentum esse, caput atque fulcrum totius Antichristianismi, quo Christus Dominus divinitate sua atque humanitate, at-

Zo veel nu de Misse belangt, daer is niet noodigh dat wy veel van sprekẽ. Want alle Godsuruchtighen Leerärs kommen eendrachtlick daerin ouer een dat men ze om hörer gruwlicke god-(26)loosz-heit willẽ schuywẽ zal: mit welckẽ ick oock ghern gheuoele. Eñ bekenne dat de Pauwssche Misse de grõdueste het hooft eñ stõnsel is des gantzẽ Antichristendoms: door welcke de Heer Christus van

que omni item sacerdotii sui dignitate privatur, et in loco sancto nova Antichristo cathedra erigitur, ut efferat se supra omne, quod Deus aut Divinum vocetur, ut S. Paulus docet [5]). Omnes igitur fideles obsecro, tam firmos, quam infirmos, ut fugiant eam, atque semper abominentur. Haec hactenus de Papisticae religionis impietate.

zyner godheit eñ mēschheit, eñ deszghelikē van alle wärdigheit zynes Priesterdōs berooft, eñ in der heiliger plaetse een nieuwe stoul dē Antichrist opgherticht werdt: dat hy zich verheffe ouer alles dat God of Godlick ghenoēt werdt, als S. Pau. leert [6]). Derhalue bid ick alle ghelouighē, zwackē zowel als stärckē dat zy ze oock schuywē, eñ vör eenē gruwel altijdt holdē. Aldus verre van der Pauwstscher godsdiēstē godloosheit.

III. Nunc autem circumspiciendum est, num homini Christiano, cui verbo Dei de hujus religionis impietate penitus persuasum est, ullo pacto liceat, iis interesse. Jam, quum dicimus, graviter omnino cavendum nobis esse, ne ulla uspiam in Deum ac Christum contumeliae contaminatione per communionem sacrorum Papisticorum inquinemur, satis significamus, istiusmodi duntaxat a nobis reprehendi communionem, quae simulatam nostram communionem, vel etiam cum iis societatem in cultu Dei, quoquo id tandem modo fiat, (27) testetur, atque confirmet hanc opionionem apud Papistas, sive firmi sint, sive infirmi, et contra aegre faciat fidelibus, atque debilitat praepeditque pium eorum impietatis Papisticae fugiendae studium atque cupiditatem; adeo denique imbecillos in animo ipsorum conturbet, ut in relinquendo Papismo (cui nos interim addictos esse vident), utrum

[III.] Nu is het te beziē, of het eenē Christenē, die door Godes word vā dezer godsdiēste godloosheit tē vollē is onertuyght, eenighsiñs verorloft is, zick in den zeluē te moghē vinden latē. Wāneer wy zegghē, dat wy ons moeten mit ärnste hoedē, dat wy ons niet ärghent mit eenigherley ontreyninghe des lachters teghen God eñ den Heere Christo door ghemeynschap der Pauwstscher godsdienstē verontreynighē: zo gheuen wy ghenoughsaēlick te verstane dat zulcke ghemeynschap alleenlick vā uns ghestraft werdt, die onze bewimpelde ghemeynschap of ghezelschap mit hen in den dienst Godes (op wat wijze dit (27) mocht toegaē) betuyght, ende verstärckt daervā den waan by den Papisten, zy zijn stärck of zwack: eñ ärgert daerenteghē de ghelouighē, eñ zwackē eñ v'hindert hör godszalighe begärte eñ lust, de Pauwstsche godloosheit te schuywē: eñ beroert de zwacken alzo in hören gheest, dat zy in

[5]) 1 The. 3 a.

recte an secus egerint, dubitare incipiant. Si quae igitur in Sacris Papisticis inveniretur praesentia, quae a hisce omnibus malis, et ab omni eorum quoque suspicione indubitanter libera esset, de ea forsan non adeo certare vellemus. At vero talem nullam aliam invenimus, quam si ideo Papistica sacra adeamus, ut publica fidei nostrae confessione ansam quaeramus Papisticae impietatis reprehendendae atque promovendi Euangelii. Sic Apostolos jubet Angelus, postquam e carcere erant dimissi, ut prodeant in templum, et palam ibidem praedicent atque annuntient omnia verba vitae [7]), ut autem dissimulatione quadam Judaeorum impietatem confirment, nullo modo. Sic igitur venerunt Apostoli in templum, postquam doctrinae suae atque fidei suae confessio omnibus hominibus cognita esset, ut (28) eandem hanc doctrinam in templo docerent, non vero, ut cum hujus dissimulatione in sacris Judaicis tanquam socii eorum deprehenderentur. Similiter quoque tria millia, qui uno die ab Apostolis baptizati sunt [8]), primum fidem suam professi sunt a reliquis discedendo, communione item rerum, quas [communes] inter se invicem habebant, atque panis fractione, et manebant consentientes atque unanimes (adeo, ut alteri alter aegre non faceret) quotidie perseveranter in templo, non tamen ulla doctri-

den verlatē des Pauwstdoms (welcken zy ons toeghedaen zien) beghinnen te twijfelen, of zy wel of qualick daeran doen. Zo dan by den Pauwstschē godsdienstē eenighe teghēwordigheit vonden wurde, dien van allen dezen quaden, eñ van allen ărgwaane der zeluer onghetwijfelt vrij ware, darouer zoldē wy mŏghelick zo zeer niet willen strijden. Mer zulcke vinden wy gheen andere, dan wanneer wy ons alzo in den Pauwstschen godsdiensten gheuē, dat wy mit opētlicker belijdenisse onzes ghelooues oorzakē zouckē, des Pauwstdōs godloozheit te straffē, eñ het Euāgeliō te voorderen. Alzo ghebiedt de Enghel den Apostelē,als zy nu wt der gheuāgnisse losz zijn, dat zy heen gaen in den tēpel,eñ aldaer opentlick predikē eñ leerē alle wordē dezes leuens [7]): dat zy door bewimpeling der Jŏdē godloozheit stăreken, gheenszins. Alzo quamen de Apostels, na dien hŏrer leer ende hŏrs ghelooues belijdenisz alle menschen bekent was, in den Tempel dat zy de (28) zelue leere in den Tempel leerden, eñ niet dat zy mit bewimpelinghe der zeluer, ziek in den Jŏdischen diensten, als hŏre medeghezellen, vinden lieten. Deszghelijcken hebben oock de drij duyzend, die van den Apostelen op eenen dagh ghedoopt wurden, eerstmael opentlick hŏr ghelooue betuyght door het afwijken van den anderen, door de ghemeynzaemheit der dinghen, die zy onder eenander hadden, door het brood breken, ende bleuen

[7]) Act. 5 d.

[8]) Act. 2 f.

nae suae dissimulatione, sed in templo quoque propalam testimonium ei praebentes. Tali modo cuperem et ego (procul absit, ut vetem) Christianos Papisticis sacris interesse, si quis Apostolico spiritu impelli se sentiret veritati ibidem testimonium praebere. Qui contra nihil istiusmodi in se sentiunt, multo magis etiam fidei suae confessionem perhorrescunt, periculorum vel jacturae bonorum suorum ad id adacti metu, illos adhortor atque obtestor, ne uti praetexant (29) Apostolorum exemplum ad fractum suum animum atque negligentiam suam tegendam, sed ut imbecillitatem suam agnoscant atque accusent multo magis, ejusque graviter utique ac perpetuo remissionem implorent.

eenes ziñs eñ willen (alzo dat de eene de andere niet ărgherden) daghlickes volhardigh in dē Tempel, niet mit eenigheley bewimpelinghe hŏrer leere, mer oock in den Tēpel gauen zy derzeluen opentlick ghetuyghenisz [3]). In zulcker wijze begărde ick oock wel (verre zy het dat ick het verbiede) dat zick de Christenē in dē Pauwstschen godsdiensten vinden lietē, zo zick iemandt gheuoelde door eenen Apostolischen gheest ghedreuen, aldaer der waerheit ghetuyghenisz te gheuen. Daerenteghen die in ziek hiervan niet gheuoelen, ende verschrickē zick veel meer voor hŏres ghelooues belijdenisse, wt vreeze der vaarlickheiden of verliesz hŏrer goederē, die vermane ende bidde ick, dat zy ter verdeckinghe hŏrer kleynmoedigheit ende verzuymlickheit, der (29) Apostolen exempel doch niet voorwenden, mer dat zy veel meer hŏr zwackheit bekennē, ende beschuldighen, ende derzeluen altijd ărnstigblick ende ghestadighlick verghifnisz bidden.

Haec quidem festinanter quaestioni mihi propositae paucissimis respondere volui, paratus quoque animadversionem recipere, si cui videar minus recte in hisce sentire. Non enim meum, qui nullus est, sed ejus duntaxat bonorem quaero, cui flecti debent omnia genua nunc et in aeternum. Amen.

(Sign.)

JOÄN. à LASCO.

Dit heb ick mit haeste op het kortste willen toedoen op de vraghe die my voorghestelt was, ende bin oock bereyd straffe an te nemen, ja oock daer vŏr te dancken, zo zick iemand laet duncken, Ick gheuoele hierin onrechtlick. Want ick zouck hierin niet mijn, die gheen is, mer dies eere, welcken alle knijen buyghen moeten nu ende in eeuwigheit. Amen.

Aldus ondertekent

JOAN à LASCO.

[3]) Act. 2 f.

Register ofte anwyzer, der zonderlickslen stucken, welcke hierin ghehandelt werden.

Compendium sive index rerum praecipuarum, quae hic tractantur.

	Fol.		Pag.
Orzake dezes gheschriftes..	1	Causa hujus libelli.	68
Dry dinghen zalmen hier waernemen.	1	Tria hic observanda sunt..	68
Wat menschen onder deze vraghe niet begrepen zijn.	2	Quales homines sub hac quaestione non comprehendantur.	69
Wat menschen onder deze vraghe begrepen zijn.	3	Quales homines sub hac quaestione intelliguntur.	70
Orzake waerom vele verscheydēlick gevoelen wt Godes worde.	3	Causa, cur multi diverse sentiant e verbo Dei..	70
Vermetenheit moet men wtslnyten in godlicken dinghen.	4	Temeritas excludenda in divinis.	71
Kennisz des ghelooues magh men niet bewimpelen.	5	Cognitionem fidei non licet dissimulare.	71
Wat men voor vermijdelicke godlooszheit niet holden zal.	5	Quaenam vitabilis impietas non tenenda sit.	72
Zommighe onderscheiden de Pauwstlicke godsdiensten.	6	Nonnulli inter sacra Papistica distinguunt.	72
Alle Pauwstlicko godsdienstē godloosz.	6	Omnis religio Papistica impia.	73
Van dē Pauwstlickē ghezānghen.	7	De papisticis cantibus.	73
Ontschulding der vermenging in den Pauwstschē verzamelinghen.	7	Excusatio admiscendi se papisticis concionibus.	73
Wederlegging der vorghemelder ontschulding.	8	Refutatio dictae excusationis.	74
Van den wtverkorenen..	9	De electis.	75
Een wijze de eenuoldighe wtverkoren [2] wt den Pauwstdom te gewinnē.	9	Modus lucrificandi simplices electos [2] e Papismo.	75

Fol.	Pag.
Duysternisse kan mit duysternisse niet gheweert werden. 10	Tenebrae tenebris arceri nequeunt. 75
Oprechtigheit entziet ziek niet voor eenigē ărgewaane by dē wtverkorenē. 10	Sinceritas nullam timet apud electos suspicionem. . . . 76
Wat den onderwijzeren toestaet. 11	Quid doctores deceat. . . . 76
Gods Gheest is zich zelue niet entegē. 11	Dei Spiritus sibimet ipse contrarius non est. 76
Een iegelick behoort opt kortste ghewōnen te werden. . 11	Unusquisque brevissime lucrifieri debet. 77
Niemand kan ziek van volkomenē wercko rommen. . . 12	Nemo de opere perfecto gloriari potest.. 77
Het Pauwstdom verlatē is een stuck d' Euangelischer belijding. 12	Papismum relinquere pars est Euangelicae confessionis. . 77
De kerck Christi heeft hŏre merckseIs van Gode.. . . 13	Ecclesia Christi suas a Deo notas habet.. 78
Waar Christus verzaackt werdt, daer kā van Christo niet ouerigh zijn. 13	Ubi Christus negatur, nihil Christi superesse potest. . 79
Of der dienaren godloosheit de kerckhandelinghē verontreinigē moghe.. 14	Possitne ministrorum impietas sacras actiones conspurcare. 79
De Pauwstsche godloosheit ouertreft wijdt de Jōdische ende Heydensche afgoderye. 15	Impietas Papistica multum egreditur Judaicam et Ethnicam idololatriam.. 80
God zullen wy in zynen beuelē alleen hooren. 15	Deus in praecepto suo tantummodo audiendus. 80
Het Pauwstsche ghezangk stridet tegen het eerste ghebod. 16	Concentus Papisticus pugnat cum primo praecepto: . . 81
Scendt de autoriteit des godlickē wordes.. 16	Auctoritatem verbi divini violat. 81
Het Pauwstsche ghezangk strijd teghen het derde ghebod. . 17	Concentus Papisticus pugnat cum tertio praecepto. . . 82
Het Pauwstsche ghezangk gheschiedt [3] zonder verstand. 18	Cantus Papisticus celebratur [3] absque intellectu. . . . 82
Van der ongheschicktheit des zeluē. 18	De ejus ineptia. 83
Strijdt teghen de wārdigheit Christi. 19	Pugnat cum dignitate Christi. 84

Fol.		Pag.
Moghen van des Pauwsts hō-ghenooten alleēlick ghedaen werdē. 20	A Papae sociis tantummodo peragi potest. . : . . . 84
Het Psalmzinghen by den Papistē een verachtlick dingk. 20	Cantus Psalmorum res apud Papistas contemptibilis. . . 85
Hoeverre het een middel dingk zy in dē Pauwstschen diensten zick te vindē. . . . 21	Quatenus res media sit, sacris papisticis interesse. . . . 85
De Pauwst de oprechte Antichrist. 21	Papa verus Antichristus. . . 86
Dat de verdienst te verzoenen an den ghetijden ghebonden zy, bewijst. 22	Demonstratio, reconciliationis meritum Horis alligatum esse. 86
Besluyt van den Psalmzinghen ende ghebeden. 23	Conclusio de cantu Psalmorum atque precibus. 87
Van den Doope. 23	De Baptismo. 87
Des Sacraments miszbruyck werd dē onwetighe niet toegherekent. 24	Sacramenti abusus inscio non imputatur. 88
Des Pauwsts doop verduystert de v'borghenheiden des waarē doops. 25	Papae Baptismus veri Baptismi mysteria obscurat. 89
Werdt op tooversche wijze wtghericht. 25	Magico modo administratur. . 89
Wat de Pauwstsche Misse zy. 26	Quid Missa Papalis sit. . . . 89
Wat ghemeinschap in den Pauwstschē diensten zijn magh. 27	Quaenam communio sacrorum Papisticorum ferri possit. . 90
Het exempel der Apostolen kan gheen decksel der kleynmoedigheit of onachtsaemheit zijn. 29	Apostolorum exemplum nullum socordiae subterfugium sive negligentiae esse potest. . 92

FINIS. FINIS.

BREVIS

ET DILUCIDA DE SACRAMENTIS

Ecclesiae Christi tractatio, in qua et fons ipse, et ratio, totius Sacramentariae nostri temporis controversiae paucis exponitur: naturaque ac vis Sacramentorum compendio et perspicue explicatur, per Ioannem à Lasco, Baronem Poloniae, superintendentem Ecclesiae peregrinorum Londini.

EPHESIORUM. 4

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.

Londini per Stephanum Myerdmannum.
An. 1552.

SERENISSIMO

AC CHRISTIANISSIMO

Principi et Domino, Domino EDVVARDO eius nominis sexto, Angliae, Franciae, et Hiberniae Regi, verae Catholicae atque Apostolicae fidei defensori, etc. Ioannes à Lasco superintendens Ecclesiae peregrinorum Londini institutae optat gratiam et pacem a Deo Patre nostro per Christum Dominum, unicum, summum, atque aeternum, Regem, Doctorem, ac Pontificem animarum nostrarum. Amen.

INTER multa, quae homines passim admirantur in rerum Divinarum consideratione, id plerique summa admiratione dignum esse iudicarunt, Rex Christianissime!, quod, cum Deus Opt. Max. sit revera solus ipse Dominus ac moderator omnium et quae in coelo, († 2a) et quae in terra: tantum interim permittat iam inde ab ipso usque initio mundi maledictae illi viperae, totius, inquam, humani generis insidiatori, Diabolo, non in nos tantum, quos alioqui et in prima creationis origine secundum suam ipsius similitudinem sanctos atque immortales in lumbis Adae, primi progenitoris nostri, creaverat, et nunc demum etiam in sacrosanctum unigeniti filii sui corpus mysticum per suam gratuitam misericordiam adgregavit; sed in divinam quoque eiusdem ipsius filii sui doctrinam, adeoque et in eas ipsius institutiones, quas ille veluti Colophonem quemdam omnis suae doctrinae, pignusqne extremum suorum in nos beneficiorum, ac nostrae vicissim erga se gratitudinis incitamentum in sua Ecclesia reliquit, ut non ita multum abesse videri propemodum possit, quin et membra corporis Christi omnia (solutis illius compagibus) tandem tandem dissipet, et doctrinam eius salutarem supprimat, et institutiones denique ipsius omnes in abominandam suam idololatriam insidiosissime transformet. Neque sane temere id passim mirantur omnes, dum suae rationis iudicium sequuntur. Haec enim non nisi ex praesenti-(† 2b)

bus futura aestimare solet omnia, et iis potissimum movetur, quae in oculos sensusve alios nostros incurrunt. At vero si a nostra rationis iudicio ad ineffabile Divinae huc in parte providentiae consilium (quatenus nobis quidem verbo suo Divino patefactum est) oculos mentis nostrae convertamus: admirabimur sane immensam Divini hic consilii sapientiam, sed intelligemus etiam, id totum non alio spectare, quam ad ornandam illustrandamque in coelo pariter ac in terra gloriam immortalem summi atque aeterni Dei, nempe ut tanto magis sit celebris ac conspicua laus et gloria filii Dei in carne nostra, post devictum adeoque et conculcatum in nostra infirmitate superbum illum praefractumque illius ac nostrum in illo omnium adversarium: quanto maiore nunc ille vi, conatu ac tyrannide Christi Domini calcaneum in membris doctrina ac institutionibus ipsius conculcare videtur. Enimvero oculis ipsi nostris iam cernimus plurimos et maximos Satanae conatus Divino beneficio retro labi, ac ruere omnino, atque adeo cedere etiam, quamlibet reclamante ac furente mundo, ad gloriam filii Dei, et incredibilem piorum omnium con-(† 8ᵃ)solationem. Quot enim frandes, quot imposturas, quot dolos ipsius, in Romano Papatu statuendo adhibitos, luce iam ac vi doctrinae Euangelicae detectos (sit Deo gratia) prorsusque dispulsos videmus? quorum equidem profligatio nunquam ita illustris speciosaque fuisset, si non in terra Papa ipse Romanus praepostera sua autoritate ac tyrannide (Satana proculdubio autore) valuisset, ut iam tyrannidis illam truculentiaeque papisticae magnitudinem, ad quam mundus universus obstupescere plane videbatur, non alio revera spectasse comperiamus, quam ut Christi domini adversus ipsum in nostra infirmitate victoria maxime illustris ac conspicua esset. Mirentur qui volent igitur satanae in mundo hoc potentiam. Nos dum prosperos illius, eiusve satellitum, successus intuemur, statuamus gloriam filii Dei hoc poscere, ut res eorum aliquousque in altum efferantur, quo lapsu demum graviore ruant, ruinaeque ad extremum magnitudine Christi Domini per nos in verbo suo victoriam celebrem conspicuam atque illustrem reddant. Sed et in re Sacramentaria insigne, ut nusquam alibi, prorsusque memorabile eius rei exemplum habemus. Quid († 8ᵇ) enim non tentavit Satan, ut veram ac salutarem de Sacramentis doctrinam, verumque ac legitimum illorum usum adulteraret, atque ita demum etiam aboleret? Quanta hic hypocrisi initio, quanta item postea tyrannide ac truculentia rem egit? Et, ut alia nunc sacramenta omittam (longum esset enim omnia recensere), in quibus ille alioqui omnibus nihil omnino praetermisit, quod ad eorum profanationem ullo prorsus modo pertinuisset, — quantum obsecro et quale monstrum sub Papatu suo commentus est in coenae Dominicae poculo et pane,

praestigias inquam suae transsubstantiationis, et propitiatoriam illam novi, nescio cuius, Christo certe incogniti adeoque et adversarii, sacerdotii oblationem pro vivorum et mortuorum peccatis? Deinde quanto, obsecro, monstrum hoc tale templorum, altarium, vestium plane scenicarum, nolarum, cereorum, suffituum, modulationum ac histrionicarum propemodum gesticulationum, eiusque fariuae plurium superstitionum apparatu exornavit? Postremo quanta illud tyrannide ac truculentia et hactenus propugnavit, et propugnare etiamnum, quod in se est, non cessat. Neque dubium est, quin se to-(† 4a)tum plane orbem, inducta monstri huius sui idololatria, conculcaturum esse putaret. Et tamen quid iam illi prosunt omnes fuci? quid tot conatus? quid tantus fastus atque apparatus? quid tanta denique tyrannis et truculentia? Ruit iam ecce monstrum illud sesquipedale suae transsubstantiationis. Ruit simul et propitiatoria illius oblatio, cum omni sua hypocrisi, cum omni fastu atque apparatu, cumque omni sua tyrannide et truculentia. Et tanto graviore lapsu ruit, quanto se magis in sublime extulerat, multoque magis insignem ac gloriosam reddit Christi Domini adversus monstrum hoc in nobis victoriam haec istiusmodi ruinae magnitudo, quam si non ita in sublime hactenus monstrum ipsum, totius mundi iudicio, subvectum fuisset. Quid vero? tantone conatu atque apparatu monstrum hoc ad ruinam est pertractum, quanto institutum erat? Equidem nostro hoc saeculo, unius potissimum hominis opera (per Dei gratiam) factum est, et quidem contempti plane ac vehementur invisi mundo toti, sed in oculis Dei electi proculdubio organi, aeternaque digni memoria, Martini inquam Lutheri, ut monstrum hoc prodigiosum coactum sit in († 4b) praeceps ruere omnino. Huic vero demum et alii divino beneficio successerunt, per quos, virtute Divina, caput ipsum satanae in monstro hoc ad imum usque detractum, pedibusque Christi domini subiectum prorsus esse videmus, conculcandum deinceps proculdubio in Euangelio ipsius. Et conatur quidem adhuc Tartarea vipera illa caput suum (pedibus iam Christi Domini in monstro hoc ita pressum) denuo attollere, excitatis quibusdam hac in parte adhuc doctrinae dissidiis. Caeterum firmius illi iam pedem suum impressit Christus Dominus in suo Euangelio (illi sit gloria), quam ut se monstrum hoc erigere amplius unquam omnino possit. Atque caudam quidem hic suam vipera illa adhuc vibrare hac atque illac non cessat, ad serenda alendaque dissidia quaedam; sed caput sibi conculcari iam, adeoque et comprimi ferre cogitur, velit nolit: et caudae suae quantumvis tortuosae verbera languidiora esse sentit hauddubie, quam ut nobis in Christo Domino luceque Euangelii sui laetalia amplius quoquomodo esse possint. Iacet nimirum conculcata

iam Christi pedibus per lucem Euangelicam Papistica transsubstantiatio. Iacet et blasphema Missaria ((† 5ª) **illa pro vivis ac mortuis** oblatio, eiusque nundinatio. Iacet denique etiam prodigiosa illa, ne Ethnicis quidem ipsis unquam audita, ἀρτολατρεία. Haec sane iacent omnia ineffabili beneficio Dei, et quidem ita iacent conculcata compressaque luce Euangelii Christi, etiam in Papistarum ipsorum animis, si re paulo diligentius inspecta verum fateri velint, ut in iis caput iam deinceps suum Satan erigere in aeternum non amplius possit. Reliqua porro caudae suae tortuosae verbera, dissidia inquam, quae in causa hac Sacramentaria superesse adhue videmus, tanta non sunt, quanta ille esse atque haberi cupit, et brevi per Dei gratiam componenda esse non dubitamus. Certamen est pro externis duntaxat signis Sacramentorum, eorumque elementis, quae quidem minora haud-dubie ac viliora sunt etiam in Sacramentorum consideratione, si cum mysteriis ipsorum conferantur, quam, ut pro iis tanta certamina suscipi debeant. Sed, quemadmodum hactenus in altum evehi passus est Deus Opt. Max. monstrum illud transsubstantiationis cum omnibus appendicibus ipsius, ut quanto gravior demum esset ruina illius, tanto magis insignem etiam († 5ᵇ) ac celebre Christi per nos victoriam redderet, ita et nunc, quanto magis intendi exaggerarique videmus exertam hanc controversiam de Sacramentorum signis elementisque illorum; quantoque maiore conatu adhue Satan per caudae suae verbera concordiam hic nostram remorari conatur, — tanto sane magis speciosam illustrem ac conspicuam fore, hac in parte, veritatis victoriam minime dubitamus. Laboravit in hoc summo studio vir sanctae memoriae et admirandae eruditionis, Martinus Bucerus, ut hanc controversiam componeret. Hoc ipsum egerunt etiam plerique alii doctissimi iuxta ac pientissimi viri, addiditque gratiam suam Dominus, ut primariae Helvetiorum Ecclesiae, quae antea dissidebant inter se, primum omnium consentirent. Coepit deinde mox latius propagari doctrinae consensio, etiamsi non iisdem ubique verbis exprimeretur, et ad Frisiam usque, atque item ad florentissimum hoc Angliae regnum pervenit, manuque, quod dicitur, utraque (Divino beneficio) retinetur. Iam vero eandem ipsam consensionem publico scripto contestata est non ita pridem etiam Genevensis et Neocomensis Ecclesia, autore Ioänne Calvi-(† 6ª)no, viro plane incomparabili, cuius alioqui eruditionem cum pari pietate coniunctam, non nostra modo, sed et nepotum nostrorum aetas merito admirari debebit, tametsi is non tam dissensisse antea, quam verbis quibusdam potius variasse videri possit, quo facilius ad eandem sane ipsam, sed verbis interim nonnihil variatam, consensionèm alios quoque induceret. Quod equidem nobis in nostra nunc etiam tractatione usu venit. Nam et nos non eandem

ubique cum aliis loquendi rationem in tradenda eadem nihilominus doctrinae sententia sequuti sumus, ut res eadem, varie exposita, facilius percipi posset, cum praesertim et Calvino ipsimet, et Tigurinis etiam ministris, in ea ipsorum consensione quaedam paulo adhuc obscurius dicta esse viderentur, atque utrique literis ad me suis testarentur, se optare, ut res aliquanto clarius adhuc explicaretur. Addidimus igitur et nos, auctarii vice, nostram tractatiunculam, ut nos eam ipsam illorum consensionem probare adeoque et sequi testaremur, et consensionem ipsam nostrae etiam tractationi adiunximus, ut inter se facilius conferri possent. Breviter eo iam devenisse rem per Dei gratiam videmus in († 6b) ea de signis Sacramentorum controversia, ut, quo magis illam intendi adhuc alibi audimus, hoc nobis pulchriorem magisque memorabilem concordiam certo et brevi expectandam esse, Deo bene volente, non dubitemus. Neque vero tam necessarias esse amplius putamus ad obtinendam eam concordiam multas et longas disputationes, quam potius preces publicas ac ferventes omnium Ecclesiarum, quae doctrinam Euangelii Christi publice profitentur, et studium diligens in restituendo puro ac legitimo usu Sacramentorum. Non poterit non audire preces suae Ecclesiae Dominus Deus noster propter dilectum suum filium, cuius causa agitur. Purus vero ac legitimus Sacramentorum usus corda proculdubio omnium ad unanimem et doctrinae simul et animorum consensum excitabit; fieri enim non potest, ut non tandem unanimes fiant, qui Sacramentis pure ac legitime utuntur; aut certe pure legitimeque illis non utuntur, qui unanimes esse recusant. Qua quidem in parte usus disciplinae Ecclesiasticae circa Sacramentorum administrationem plurimum prodesset. Et sunt quidem multa hactenus tentata, cum hic, tum († 7a) alibi, in restituendo puro ac legitimo usu Sacramentorum, neque id sine magno fructu proculdubio, sed tamen ad umbilicum, quod dicitur, non adhuc perventum est. Atque agendae sunt omnino ingentes gratiae Domino Deo nostro, quod res eo pervenerint in restituendo usu Sacramentorum, quo illas pervenisse videmus; et est commendandum hauddubie eorum studium, qui rem eo usque, neque sine multorum invidia, neque etiam sine periculis promoverunt, — sed nondum est sistendus gradus, quasi omnia confecta essent. Recte facit pater laudemque meretur proculdubio, si filiam virginem, dolis lenonum ad ganeas forte abreptam rituque iam meretricio ornatam, protinus illinc eximat, incolumi adhuc pudicitia illius, inque suas rursum ipsius aedes reducat; — sed idem satis non esse putat, ad tuendam suam, filiaeque illius, et totius adeo familiae suae honestatem, exemisse e ganeis filiam inque suas aedes reduxisse, nisi illi id totum plane detrahat, quod in ganeis illis pro

ornatu meretricio haberi videt. Neque disquirit, undenam ornatus ille originem suam habeat, sed indecorum sibi, adeoque et castitate filiae suae, et familiae etiam totius († 7[b]) indignum esse judicat, ut aliquid omnino eiusmodi domi suae conspiciatur, undecunque tandem deductum esset, quod in ganeis ipsis pro ornatu meretricio haberi non ignoret. Neque hic audit eorum persuasiones, qui omnia ex patris arbitrio domi suae aestimanda esse dicunt, et proinde ornatum quoque meretricium in ganeis illum honestissimum fore iam putant domi paternae cum filiae illi, tum etiam reliquae toti familiae, si quidem paterna autoritate comprobaretur, eo, quod in patris id potestate positum esse videatur, ut quae illi probantur, ea iam honesta etiam domi suae omnia esse censeantur. Intelligit enim, etiamsi domi suae pro honestis haberentur omnia, quae ipse sua autoritate comprobasset, honestatem tamen filiae illius et familiae suae totius non intra domesticos sibi duntaxat parietes suos, sed per totam etiam civitatem reliquam, tuendam esse, ut omnem malam suspicionem apud omnes omnino cives a domo sua depellat; et cavet, ne ullis rursum lenonibus ullam deinceps etiam reposcendae denuo aliquando ad ganeas filiae suae occasionem quoquomodo relinquat pro iure ipsorum, si quae apud illam notae adhuc illae ganeis fa-(† 8[a]) miliares conspicerentur. Ita vero etiam parentum loco sunt in Dei Ecclesia, veluti in civitate quadam, et verbi et gladii ministri omnes, habentque sibi concreditum ab ipsomet Domino Deo, veluti filiae loco, purum ac legitimum ministerium Sacramentorum. Et est unus atque idem omnino Episcopatus horum omnium in Dei Ecclesia, velut in civitate quadam, concordi interim functionum disparitate ornatus, verbi videlicet et gladii, — et multorum etiam, pro cuiusque portione, numerositate diffusus, quemadmodum sanctus Dei martyr Cyprianus docet. Hic igitur istorum Ecclesiae parentum (ut ita iam loquamur) fidem ac studium nemo non merito laudaverit, si concreditum sibi ab ipsomet Deo, veluti filiam quandam, purum ac legitimum ministerium Sacramentorum ab Antichristi Romani et lenonum suorum ganeis, in quas vi ac tyrannide ipsorum abductum fuerat, in suas ipsorum domos rursum, in curam, inquam, ac custodiam suam reduxerunt, hi quidem gladii, non frustra alioqui sibi traditi, — illi vero verbi Divini autoritate. Sed hic cogitare utrique nihilominus debent, potissimum autem ii, qui non frustra prae-(† 8[b])cellentes Dei ministri, altoresque Ecclesiae Dei a spiritu sancto vocantur, Reges inquam ac Monarchae Christiani, satis non esse, si filiam illam e ganeis papisticis in aedes rursum suas ipsorum, hoc est, in curam custodiamque suam recipiant, nisi si eam omni etiam illo ornatu plane exuant, quem in ganeis ipsis meritricium ornatum ét esse ét haberi sciunt,

ne quid eiusmodi domi ipsorum conspiciatur, quod pro meretricio haberi posset, in ea potissimum civitate, in qua varia sunt adhue hominum iudicia, neque ab uno homine gubernari possunt, et in qua praeterea multas adhuc ganeas, infinitamque lenonum turbam superesse constat. Neque hic audient persuasiones illorum, qui ornatum eiusmodi (undecunque tandem desumptus esset) honestum nihilominus domi paternae fore existimant, si patris ipsius autoritate comprobetur. Intelligunt enim, non toti se civitati omnino, non toti inquam Dei Ecclesiae, sed parti duntaxat illius alicui, veluti domui ac familiae cuidam praeesse; et proinde, etiamsi domi suae pro honestis iam haberi videant, quae ipsi sua autoritate comprobassent, sui interim officii esse agnoscunt (qua-(* 1ᵃ)tenus equidem castitatis amantes publicaeque honestatis studiosi haberi volunt), ut filiae illius, totiusque adeo familiae suae honestatem, non intra domesticos duntaxat parietes suos, sed per totam civitatem illam etiam omni cura ac studio tueantur, nihilque domi suae conspici patiantur, quod in eiusdem civitatis ganeis ac lupanaribus maximo lenonum omnium conatu ac tyrannide pro meretricio haberi interim urgerique ac propugnari vident. Postremo cavendum sibi modis omnibus esse putant, ne iisdem lenonibus rursum, aut eorum similibus, ullam omnino occasionem, pro iure ipsorum, relinquant quoquomodo reposcendae forte eliquando filiae illius suae, si quae notae adhuc, ganeis illis familiares, apud illam conspicerentur. Iam vero tu quoque unus es ex hisce Ecclesiae Dei altoribus, Rex Serenissime!, quo quidem nomine summas Deo Patri nostro coelesti gratias agimus. Et concreditum tibi in praecellenti vocatione hac tua a Domino Deo Sacramentorum ministerium, veluti filiam quandam, e ganeis iam papisticis, ad quas abreptum fuerat, in tuas rursum aedes (Divino beneficio), hoc est, in curam ac cu-(* 1ᵇ)stodiam tuam domesticam reductum habes. Qua sane in parte non vulgarem tuorum fidem diligentiam ac dexteritatem nunquam satis laudari posse, nemo negare potest. Hic tu igitur tibi quoque sequendum esse cogitabis, in his, quae adhuc restant, propositum iam boni parentis exemplum in tuenda reductae filiae, totiusque adeo familiae tuae publica honestate, non tantum in regno hoc tuo florentissimo, sed in catholica etiam Christi Ecclesia, cuius alioqui et ipse civis es eiusque partem pulcherrimam, veluti insignem illius familiam, tibi concreditam habes. Hoc vero abs te pii omnes toto orbe Christiano expectant. Et quidem tanto maiore desiderio, quanto maioribus atque excellentioribus donis te a Domino Deo nostro ornatum, ac sublimiore etiam supra alios fere omnes loco positum esse non ignorant: nempe ut Sacramentorum ministerium, illecebris meretriciis in papae ganeis nefandissime profanatum, omni illarum

ornatu meretricio exuas, suoque illud ornatu virgineo rursum induas, quo videlicet a summo illo Regum omnium Rege ac Nomotheta, Christo domino, in suis institutionibus ornatum esse constat. Sic enim nota (* 2ª) demum erit toti Ecclesiae Christi fides tua in tuenda filiae tibi concreditae, non domi modo tuae, sed toto etiam orbe terrarum publica honestate.

Exposui autem aliqua ex parte in libello hoc nostro illecebras ganearum Papisticarum, quibus Sacramentorum usum lenones illi Romanenses indignissime deturparunt. Indicavi item, ut potui, verum purum ac virgineum ornatum illius, ut a domino institutus est. Tantum de usu disciplinae dicendum adhuc erat paulo accuratius, nisi argumenti suscepti ratio alio me traxisset, tametsi eius quoque meminimus circa finis Sacramentorum omnium explicationem. Nihil autem aeque ornare potest usum Sacramentorum in Ecclesia Christi atque legitima disciplinae Ecclesiasticae circa illum observatio, nempe ut sese mutuo omnes, qui una Sacramentis utuntur, primum privatim et amanter ut fratres, si quid alius in alio desiderat: deinde duobus aut tribus adhibitis, — postremo publice quoque ex verbo Dei admoneant consolentur corrigant ac reprehendant iuxta suum quisque ordinem ad attestandum nostrum studium in veteris inter nos fermenti expurgatione, et promovendis (* 2ᵇ) subinde incitamentis assiduis novae inter nos conspersionis; — ut, qui unum nos panem, unum corpus esse testamur usu Sacramentorum, mundum nos etiam atque expurgatum panem Domini cupere esse, unanimiter omnes declaremus. Utinam vero id nobis videre aliquando liceat tuis auspiciis, Rex Serenissime! in Regno hoc tuo florentissimo, tuumque hic exemplum reliquae deinceps Ecclesiae omnes toto orbe Christiano sequantur. Voluissemus quidem nos, eius rei specimen qualecunque dare in instituta tuae Maiestatis beneficio (per Dei gratiam) nostra hic peregrinorum Ecclesia, si nobis id bona tuae Maiestatis venia licuisset, adeoque et nunc vellemus, si liceat, neque dubitaremus, rem maioris multo fructus fore, quam ullis omnino verbis explicari queat. Certe et ad repurgandum Regnum universum tuae Maiestatis, cum flagitiis omnibus, tum vero imprimis etiam Sectis ac Haeresibus, nunc ubique, ut nunquam antea, grassantibus, et ad sistenda item domestica omnia doctrinae dissidia, haud scio an ulla omnino et facilior et utilior et magis Christiana etiam ratio reperiri possit. Quid autem magis expeti opta-(* 3ª)rique debeat in Christi Ecclesia, quam ut, compositis omnibus doctrinae et animorum dissidiis, in mutuo omnes amore ac concordia, unius nos vere corporis membra esse sub capite nostro Christo Domino unanimiter testaremur? Huc sane spectant piorum omnium studia, qui in Sacramentaria controversia componenda omnia sibi tentanda esse,

iuxta verbum Dei, putarunt. Hue vero etiam spectat nostra haec tractatiuncula, quam in hoc potissimum susceptam tuae hic Maiestati offero pro mea in illam observantia, oroque ut eam benigno ac clementi animo a me accipere dignetur. Deus autem Opt. Max., qui te afflictae nunc suae Ecclesiae singulari suo beneficio donare dignatus est, ut in illa verae religionis custos supremus altorque ac veluti pater quispiam esses, in tenera adhuc aetate ista tua, iuxta Euangelium Christi: — qui te item tot tantisque dotibus ita exornavit, ut sina magna omnium admiratione conspici in te non possint; — postremo, qui te admirabili hauddubia potentia inter tot Satanae et eius Satellitum conatus dolos et pericula hactenus benigna servavit: idem, inquam, ipse Deus Opt. Max. te deinceps quoque servet, addatque tibi Spiritum suum, ut quod in te coepit, ad finem usque perficiat, regatque ac gubernet tua consilia omnia, et sanctos tuos tuorumque conatus n restituenda vera religione adiuvet provahat at fortunet. Amen.

AD PIUM

LECTOREM PRAEFATIO.

LAUDATUR in Euangelio vidua illa, quae post multa et magna multorum donaria duo quaedam minuta ad templi aedificationem legitur contulisse. Ita et ego, etsi laudem hic nullam neque venor neque expecto, venia mihi tamen dignus esse interim videbor, qui post tot tamque eruditas multorum de re Sacramentaria lucubrationes minutulum quoque meum adiicio ad controversiae in hoc pridem argumento excitatae pacificationem; et quidem cum id mei alioqui ministerii fides videatur imprimis postulare. Etenim in publicis Scripturarum collationibus, quas in templo ter unaquaque hebdomade observare solemus, pluries incidebat, ut, sumpta ex meis in Ioannem enarrationibus occasione, dum de baptismo Ioannis Baptistae dissereremus, in totius causae Sacramentariae disputationem delabe-(B 1a) remur. Et, cum variae multorum sententiae, ut fit in collationibus, proferrentur, atque alia aliis placerent, reddere me etiam doctrinae meae rationem ex verbo Dei oportebat ostendereque, cur ab aliis et in verbis simul et in sententia, ab aliis vero in verbis duntaxat, non autem in sententia ipsa, dissentirem, quorum praesertim loqnutiones antea sequutus essem. Id porro certo aliquo ordine facere non potui, nisi instituta peculiari argumenti huius totius tractatione. Huic igitur quinque praelectiones impendimus, et, ubi eam absolvissemus, quisque illam in scripto petere, adeoque et Ecclesia nostra tota a me illam flagitare coepit, neque postulationis huius finem faciebat, donec tractationis editionem pollicerer. Ita factum est demum, ut operam meam in edenda ea ipsa tractatione non potuerim Ecclesiae meae denegare, nisi si meam fidem in meo ministerio desiderari ét a mea Ecclesia, ét a multis praeterea piis et Christianis fratribus voluissem. Optarim autem me hic eam posse adhibere moderationem, ut neminem offenderem, et rem ipsam nihilominus quam simplicissime explicarem; sed cum id sperari non possit facile, sub ea quam (B 1b) cernimus

controversiae in causa hac exacerbatione, et mira quadam iudiciorum praecipitatione, illud saltem pios omnes meminisse velim, aequum non esse, ut, qui binis aut quinis talentis Domino foenerati sunt, alios post se vel uno talento foenerari graviter ferant. Qui ita sunt affecti, ut neminem a se suisve scholis dissentire patiantur, ab iis amanter petimus, ut nobis ignoscant, si post Christum et eius Apostolos nullos eiusmodi magistros in terris agnoscamus, a quibus nobis haudquaquam liceat dissentire, siquidem illos septa scripturarum transcendisse videmus. Permittimus vero illis etiam, ut, sicubi nostra non probant, ea candide sine conviciis, in lenitate mansuetudine et libertate Christiana reprehendant. Satis nimirum fuit hactenus rixarum, satis conviciorum, satis et praeiudiciorum. Nos ab illis abhorremus omnino, et Christianos omnes abhorrere etiam oportere existimamus. Scio dici a quibusdam, satis iam a suis in hoc argumento scriptum disputatumque esse, qui his credere assentireque nolint, eos pro refractariis habendos esse. At vero et ipsos ita demum facile vicerit Papa Romanus, qui de suo primatu tyrannico ni-(B 2ª)mium satis scriptum disputatumque esse iactat, et haereseos damnat, si quis non illam protinus agnoscat. Quodsi nos scripturam detorqueri a Papa ad primatus sui confirmationem, et proinde ipsius praeiudicia nobis contemnenda esse non dubitamus, idem sane et in Sacramentaria hac controversia dici posse, cogitare debemus. Proferuntur una ex parte scripta. At vero eadem alteri quoque parti non desunt, et quidem pari studio eruditione et gravitate conscripta. Praetenditur Ecclesiarum iam restitutarum consensus. Utinam vero tantus sit, quantus esse dicitur, — et ut sit; totidem rursus Ecclesias etiam restitutas ab altera parte stare videmus; tametsi hinc doctrinae veritas aestimari nec debeat nec possit. Sunt qui dicant, aliud nihil agi multis disputationibus, nisi dissidia seri. Id equidem verum est, si aut nulla in disputando adhibeatur moderatio, aut in tuendis quisque suis suam etiam, non autem Dei gloriam quaerat. Caeterum si ita invicem erga nos affecti simus, ut alii alios in Christiana charitate toleremus, et sicubi ab invicem forte, verbi divini varie expositi autoritate moti, ita dissentimus, ut utrique interim ex ani-(B 2ᵇ)mo cupiamus minui cum Ioanne Baptista, modo ut per nostram ignominiam Christi Domini gloria propagari in eius Ecclesia possit, — sane parum se aequos iudices esse declarabunt, qui talibus nostris disputationibus aliud nihil, quam lites et dissidia, ali putabunt. Quodque ad me attinet, ego aliud non dicam, quam Deum esse animi hac in parte mei et testem et iudicem, quod in tractatione ista mea aliud non quaeram, quam gloriam Christi, quodque non aliam ullam ob causam doctrinam hic meam aperte et sine ullis verborum latebris

aut involucris profiteor et defendo, quam quod ea vim meritum ac dignitatem mortis et sacerdotii Christi omnium maxime commendari illustrarique in eius Ecclesia indubitato credo, paratus interim discere meliora, quae claris ac mutuo sibi consentientibus scripturae testimoniis comprobarentur. Qui vero receptas pridem quasdam dicendi formulas in causa hac Sacramentaria ita urgent, ut sibi nulla prorsus ratione ab illis discedendum esse arbitrentur: eos ego utique doctrinae illius Apostolicae rationem habituros esse non diffido: Prophetiam ne aspernemini; omnia examinate, — quod est (B 3ᵃ) bonum, retinete. Non est quidem temere recedendum a receptis loquutionibus, quae et lucem alioqui doctrinae ipsi addunt, et eius consensum veluti frena quaedam retinent; sed est rursus cavendum etiam, ne ita nostrum ipsorum consensum propugnemus, ut aliis post nos aditum omnem ad illustrandam adhuc magis ac magis doctrinae puritatem praecludere velle videamur. Ex parte nimirum adhuc omnes cognoscimus, ex parte et prophetamus, — et proinde aequum est, ut et aliis post nos Prophetiae ipsorum partem ne invideamus, nedum praeripiamus. Videmus re ipsa, multa nunc tradi longe quam antea foelicius, mutatis videlicet non paucis veterum loquutionibus, quae longo alioqui tempore observatae in Ecclesia fuerunt; qua sane in parte Academiae Witenbergensi plurimum omnes debemus. Ita vero fieri etiam adhuc potest, ut, mutatis rursum et nostris quibusdam dicendi formulis, pleraque multo clarius, quam hactenus sunt tradita, explicentur. Aderit proculdubio aliis quoque post nos Spiritus sanctus in Christi Ecclesia, quemadmodum et nobis nostrisque maioribus adfuit, qui donorum suorum gradus nobis in-(B 3ᵇ)cognitos, incrementaque nobis incognita, habet. Et cum omnia tendere adhuc ad perfectionem videantur, equidem haud scio an nostrum sit, gradus ac incrementa donorum suorum intra nostras dicendi formulas veluti intra septa quaedam concludere velle, perinde atque ille pro eo ac vult, quando vult et per quos vult, spirare non possit. Non laxo frena serendis novis dogmatibus: ornandi illustrandique eius fundamenti libertatem tueor, quod semel est positum, quodque Spiritus sanctus in maiorem adhuc lucem indies producere non cessat. Quid! quod Paulus Apostolus in una Ecclesia alios post alios prophetare iubet, vultque, ut tertiis aut quartis loquentibus priores taceant? Cur enim idem etiam in Catholica Christi Ecclesia aliis post alios non liceret, quod in uno aliquo Ecclesiae coetu Paulus permittit? An non in Catholica etiam Ecclesia, perinde atque in uno aliquo ipsius coetu, Prophetarum spiritus Prophetis aliis subiectos esse oportet? Quare inique faciunt, qui in causa quoque hac Sacramentaria libertatem post se aliis prophetandi adimere suis praeiudiciis conantur,

et sine causa scindunt Ecclesias, quas (B 4a) maxime coniunctas in omni lenitate tolerantia ac mansuetudine esse oportebat. Taceo hic probra convicia execrationes, etiam in eos, qui ne verbulo quidem admoniti unquam fuerunt. Possem hic proferre aliquos, in quos mea, levia quidem illa pro nostra tenuitate, sed tamen amica extiterunt officia, — et qui vinculum fraternitatis Christianae nobiscum dextrarum coniunctione sunt contestati, qui tamen sibi a traducendo ubique apud alios, adeoque et proscindendo meo nomine (solam duntaxat hanc ob causam Sacramentariam) temperare non potuerunt, cum alioqui apud me, quod dicerent, nihil omnino haberent. Sed bene habet, quod Christum ipsummet iudicem habeamus, non homines, quodque illo aperiente, nemo alius nobis aditum ad ipsum intercludere potest. Interim vero pacem cum omnibus optamus, et veniam petimus, sicubi quem forte offendimus, vicissimque omnibus, qui nos ullo modo offenderunt, in Domino condonamus; et petimus, ne id nobis vertatur vitio, quod in causa hac Sacramentaria a nonnullis nostri saeculi doctoribus, quos nihilominus ut columnas Ecclesiae Christi veneramur, aliqua ex parte dissentimus, quod-(B 4b)que item receptas quasdam in causa hac dicendi formulas, quo res planius exponi possit, non omni ex parte retinemus, praesertim cum, incolumi Christi Domini dignitate et gloria, unanimem totius scripturae mentem ac consensum sequamur, et extra illius fontes nihil omnino doceamus. Nemo sane e veteribus Ecclesiae post Apostolos doctoribus tantum sibi arrogavit, ut non liberam omnibus post se potestatem esse voluerit, cum formulas suarum loquutionum mutandi, tum a se dissentiendi etiam, sicubi sua verbi Divini autoritate non satis quoquomodo approbata esse viderentur. Tantum abest, ut et nunc sui quisquam nominis autoritate premere alios, etiam extremos in Ecclesia, possit, quod ad doctrinam quidem imprimis attinet, nisi si quis in sua vocatione parem sibi cum prophetis atque Apostolis autoritatem arrogare ita praesumat, ut protinus suis omnibus Pythagoricum illud: αὐτὸς ἔφα, acclamari velit. At vero nos hunc honorem soli CHRISTO Domino in propheticis duntaxat et Apostolicis literis, Augustinum sequuti, deferimus, quas fundamenti alioqui loco in Christi Ecclesia iuxta Pauli doctri-(B 5a)nam habemus. Aliorum autem omnium et scripta et dogmata omnia ad illos, velut ad Lydium lapidem, revocanda esse existimamus. Atque sane praeclare dictum est a Philippo Melantone, Doctorum nunc omnium hauddubie facile Principe, Ecclesiam verbi Divini veluti Grammaticam quandam esse, sic ut magnifice satis de summis quibusque in Ecclesia nostri saeculi Doctoribus sentire nos arbitremur, si eos fideles ac praestantes etiam verbi Divini interpretes et Grammaticos esse dicamus, etiamsi humanum quiddam

in illis alicubi forte deprehendamus, — Prophetis autem atque Apostolis eos (cum hi ad iacienda omnis sanae doctrinae fundamenta peculialiter sint electi) minime aequemus. Porro, si olim, post primos et secundos, laudi fuit, non tertiis modo aut quartis, sed quibusvis preterea quoque aliis, qui modo aliquid a Domino sibi revelatum habuissent, proferre in medium suam sententiam, etiamsi ab aliis omnino diversa esset; equidem ne mihi quidem vitio verti debebit, ut nihil dicam aliud, si post aliorum scripta et pia et erudita, meam ego quoque sententiam de re tota Sacramentaria proferam, (B 5[b]) veluti extremus pedarius quispiam, aut aliquis hoc etiam contemptior, iudicandam videlicet ex verbo Dei ab Ecclesia Christi, cuius ego alioqui censurae et me ipsum et mea omnia libenter ac reverenter submitto, ea spe interim, ut non dubitem, studium hoc qualecunque meum piis omnibus gratum fore, eosque benigne me toleraturos esse in lenitate et charitate Christiana, sicubi nondum sibi videant a me prorsus satisfactum esse. Agnosco meam ipse tenuitatem et infantiam, cupioque discere meliora, si quis ea proferat. Proinde non offendar ulla Christiana, sive admonitione, sive reprehensione etiam; modo ut doctrinae veritas magis ac magis conspicua fiat, et Christi D. gloria promoveatur. Hanc nos sane ante omnia spectare oportet, siquidem Christiani sumus, et ad eam promovendam omni studio cura ac sollicitudine incumbere omnes debemus. Mira fuit autem proculdubio Satanae vafricies in Sacramentorum adulteratione. Nimirum huc spectant conatus sui omnes, ut nostram in merito mortis Christi fiduciam animis nostris quo fuco quaque hypocrisi eximat. Et, cum Sacramenta omnia in hoc sint potissimum instituta, ut nostram cum Christo communionem in merito mortis suae cordibus (B 6[a]) nostris in Ecclesia obsignent, nosque illius fiducia adversus omnes Satanae conatus communiant, haec sibi imprimis nostrae cum Christo communionis munimenta invadenda esse putavit. Ac primum inaudita hypocrisi idolum nobis in Sacramentis ipsis erexit; et cum ea nihilominus nefandissime dedecorasset, ornasse se illa nihilominus videri volebat, adeoque et contemptus Divinorum omnium culpam in eos coniiciebat, qui adversus prodigiosam suam illam idololatriam vel muttire saltem ausi fuissent. Nunc vero, cum eam ipsam suam idololatriam consistere amplius non posse videt, propter detectum fucum ac imposturam papisticae transubstantiationis, aliud illi fulcrum rursus quaerere modis omnibus conatur, ut, etiamsi omnis de transubstantiatione imaginatio omnino reiiceretur, haberet ipse tamen, quo suam idololatriam communiret, mutatam quidem illam, neque cum tantis blasphemiis coniunctam, sed quae interim naturam et ingenium Sacramentorum non leviter obscuret, et ad creaturae adorationem nos etiam quo-

dammodo manuducat, nempe realem substantiae corporis et sanguinis Christi naturalis cum elementis Sacramentorum connexionem, (B 6[b]) qua alioqui retenta, nondum sibi omnem idololatriae speciem eripi posse videt, etiamsi illi pereant usurpatae hactenus propitiatoriae, aut (quemadmodum vocari nunc demum coeperunt) applicatoriae oblationes, et earum nundinationes. Ac quemadmodum alias nihil non intentavit transubstantiationis oppugnatoribus, ita, ubi hanc periclitari videt, nihil omnino praetermittit, quod ad gravandos eos omni invidia calumniis et suspicionibus quoquomodo pertineat, qui realem illam substantiae corporis et sanguinis Christi naturalis cum elementis Sacramentorum connexionem verbi Divini autoritate oppugnare conantur. Ita sane initio renascentis in Germania pridem Euangelii Christi plerisque Lutheri omnia fere placebant, si non Papisticam illam transubstantiationem attigisset. Nimirum hac retenta Deus ille Mayzim, in quo est positum robur omne ac praesidium tyrannidis Antichristianae, in pretio futurus erat. Caeterum attacta transubstantiatione, ibi vero Lutherus ipse Divinorum protinus omnium contemptor haberi coepit, donec fucus et impostura transubstantiationis plenius cognita esset; cum tamen vir il-(B 7[a])le Dei veram hauddubie dignitatem Sacramento Coenae Dominicae, pro donorum suorum mensura, restituere, magicasque ab illo praestigias omnes propellere modis omnibus conaretur. Ita et nunc nihil non arripitur ad traducendos et proscindendos eos, qui agnoscere nolunt realem illam substantiae corporis et sanguinis Christi naturalis cum coenae Dominicae elementis connexionem. Sed, quemadmodum Lutheri doctrina plausibilior est visa post detectum fucum transubstantiationis, ita nostram quoque doctrinam, post agnitam connexionis istius superstitionem, gratam piis omnibus fore haudquaquam dubitamus. Hanc vero non attinet multis hic prosequi, quandoquidem in ipsa tractatione plenius exponetur. Illud tamen dicam, minorem mihi semper visam esse Sacramentariam hanc controversiam, quam ut propter illam Ecclesiae Euangelium Christi profitentes sciudi, aliique ab aliis indicari et diris omnibus debuerint devoveri. Sed hic meminisse debemus, homines nos omnes esse, et proinde potuisse falli et fallere. Quodsi alii peccavimus in alios, mutuo nobis omnia condonemus, ut coniunctis animis, quae pacis sunt, in Domino sectemur. Si de mysteriis Sacramentorum constet, quorsum attinet tantope-(B 7[b])re de signis Sacramentorum aut illorum elementis digladiari? Non temere sane Deus mysterium omnium Sacramentorum aeternum atque immutabile esse voluit, cum signa atque elementa in illis mutata, nonnunquam etiam intermissa, esse videamus, nimirum ut in mysterii potius, rei videlicet aeternae ac coelestis, quam in signorum aut ele-

mentorum, mutabilium ac terrenorum, observatione versemur; et, si de mysteriis Sacramentorum consentimus, ne propter variam signorum elementorumve considerationem violemus Christianam concordiam et societatem. Duo sunt potissimum, quorum nomine accusamur, dum non recipimus realem illam cum elementis Sacramentorum substantiae corporis et sanguinis Christi naturalis connexionem. Primum quod in verbis coenae illis solemnibus veritatem Christo D. abrogare videmur. Deinde quod elevata Sacramentorum dignitate adimimus summam illam consolationem toti Ecclesiae, qua Christus Dominus per corporis et sanguinis sui participationem nos in se, et se in nobis esse testatur. At vero nos ostendemus (per Dei gratiam) veritatem ipsam verborum coenae non violari doctrina nostra, sed confirmari, adeoque et commonstrari. Ea namque demum est verborum Christi omnium ipsissima veritas, quae una-(C 8ª)nimem totius scripturae consensum se invicem explicantis retinet, et fidei analogiae subservit: non, quae, ex ipsis verborum duntaxat apicibus petita, pugnas in scripturis gignit. Ostendemus item, veram animarum nostrarum consolationem illam, qua Christus nos in se, et se in nobis esse testatur, doctrina illa realis connexionis non leviter obscurari, ne quid aliud dicam; nostra vero doctrina omnium maxime confirmari et illustrari, nedum ut horum culpa ulla quoquomodo teneamur. Id vero ubi palam factum fuerit, speramus nos aequiora omnium iudicia habituros esse. Deus Opt. Max., qui non dissidiorum, sed pacis Deus est, regat nos omnes per Spiritum sanctum suum, ut idem omnes et sentiamus, et loquamur ad gloriam adorandi sui nominis et Ecclesiae suae aedificationem. Amen.

B R E V I S

ET DILUCIDA DE SACRAMENTIS

Ecclesiae Christi tractatio, in qua et fons ipse, et ratio totius Sacramentariae nostri temporis controversiae paucis exponitur: naturaque ac vis Sacramentorum compendio et perspicue explicatur, per Ioannem à Lasco, etc.

CAUSA ipsa Sacramentaria in sese non tam est difficilis, quam illam humanae quaedam argutiae, vel invectae praeter mentem Christi Domini interpretationes, difficilem reddiderunt. Cum enim Dominus ipsemet ex omnium maxime vulgari hominum more signa sibi delegerit suorum Sacramentorum, dubium sane esse non potest, vulgariter illum, et proinde plane etiam ac perspicue voluisse nobis patefacere, ac velut ob oculos nostros ponere, caelestia gratiae in nos suae mysteria, (fol. 1a) non autem ita involvere, ut a nemine intelligi possent. Sed cum ea sit nostra omnium corruptela, ut, quae vulgaria faciliaque sunt, prae iis fere contemnamus, quae rara sublimiaque et cognitu difficilia esse videntur, putarunt plerique, pii alioqui et eruditi homines, ad tuendam Sacramentorum dignitatem plurimum momenti habiturum esse, si externis etiam Sacramentorum signis eorumve elementis, quae sensibus nostris exposita essent, aliquid eiusmodi tribuerent, quod rarum sublime cognituque difficile et miraculosum adeo videri posset, cogitabantque ea in pretio semper fore, quae rei sublimitate animos omnium quodammodo raperent in sui admirationem.

Ita sane e patribus quidam mutationem nobis quandam in elementis Sacramentorum constituebant, non quidem eam, quam in Papatu vocant transubstantiationem, sed, qua accessionem quandam in elementis, sacrae tam actioni adhibitis, designare volebant; nempe ipsam mysteriorum caelestium significationem atque adumbrationem, cum alias nuda prorsusque vulgaria elementa essent.

Et visa est tunc non esse inutilis ratio haec (fol. 1b) commendandi dignitatem Sacramentorum in Ecclesia Christi. Sed intra hos fines continere sese non potuit humana ratio, quodque Patres olim sancti (pio hauddubie animo) statuerunt ad commendandam populo Dei Sacramentorum dignitatem, paulo post in Papatu detorqueri coepit ad prodigiosam Sacramentorum profanationem, ad obscurationem meriti mortis Christi, et inauditam antea universo orbi idololatriam, quam nunc demum a Papa et suis cornibus tanta crudelitate propugnari videmus, ut omnium tyrannorum, qui unquam fuerunt, truculentiam longo intervallo superare videatur.

Et quidem non defuere unquam, qui fucum ac imposturas in Papae idololatria animadverterent: alii sane clarius, alii vero obscurius, iuxta sui quisque doni mensuram. Sed pars maior (ut fit) meliorem semper vincebat. Et eo tandem ventum est, ut nullum atrocius crimen haberetur, quam si quis adversus Papisticam in Sacramentis, potissimum autem in pane coenae, idololatriam vel muttire tantum ausus fuisset.

Interim tamen fieri non potuit, quin sese victricis alioqui veritatis lux quaedam subinde ita exsereret, in ipsis etiam carceribus (fol 2a) flammis ac crucibus, ut sola tyrannidis impotentia supprimi nullo modo posset. Quaeri igitur oportebat aliud consilium ad stabiliendam Invectam semel idololatriam, ne sola tyrannide res geri videretur; neque aliud speciosius consilium potuit reperiri, quam ut modus aliquis inveniretur coniungendi res Divinas rebus terrenis, hucque demum obvia quaeque scripturae loca quocunque tandem modo detorquendi. Sic enim videri poterant res Divinae, adeoque et Deus ipse, in terrenis rebus adorari non tantum posse propter mutuam inter sese coniunctionem, sed etiam oportere, propter adiunctam scripturarum autoritatem, quae, etiamsi non esset solida propter locorum depravationem, tyrannidis tamen adminiculo communiri posset.

Hic vero non dormiit Satan, et eiusmodi fulcra istius idololatriae commentus est, ut piorum etiam animos praestigiis hac in parte suis perstrinxerit, atque etiamnum perstringat. Orsusque a veris principiis, quo fraudulentius rem ageret, fel protinus suum melli, quod dicitur, admiscuit, multosque demum excitavit, qui invectam idololatriam scripturarum etiam (si Deo placet) testimo-(fol. 2b)niis constabilirent et ornarent.

Ac primum, quia discerni oportebat signa Sacramentorum a reliquis signorum generibus propter Divinam institutionem, hinc sumendum erat initium erigendae huius idololatriae. Negari non potuit, neminem alium eius gratiae signa instituere potuisse, qua sub mortem aeternam in Ada condemnati ad vitam rursus in Christo restituti sumus, nisi ipsum Deum, quemadmodum et vocale eiusdem gratiae

testimonium, quod quidem fallax non esset, nemo nobis alius dare potuit, nisi, qui solus verax est, ipsemet Deus. Cum igitur Divini huius erga nos in Christo operis nulla quisquam alius signa, veracia praesertim, instituere posset, nisi ipsemet Deus; atque is per filium suum quaedam instituit in sua Ecclesia, merito ea sane observari, atque ab omnibus aliis signorum generibus discerni debebant.

Caeterum in statuendo hoc ipso discrimine satis non erat omnibus, eam adhibuisse signis Sacramentorum significationis mysticae accessionem, quam Pa'res olim mutationem vocabant. Nimirum omnia etiam signa alia vim significandi habebant, et sola sig-(fol. 3a) nificationis accessio, quantumvis ea in signis Sacramentorum aliorum signorum significationem longe superaret, non tamen sufficiebat ad erigendam eam, quam Satan meditabatur, idololatriam, quaerendaque adhuc erat alia via ad instituendam idololatriam, ad quam mutatio illa in elementis Sacramentorum a Patribus quibusdam constituta sufficere non videbatur; tametsi ne illa quidem inducta a Patribus in Sacramentorum elementis mutatio ad causam ipsam Sacramentariam magnopere videatur pertinere, quemadmodum id suo loco clarius apparebit.

Coepit igitur signis Sacramentorum tribui vis quaedam, non tantum significandi adumbrandique res Divinas, sed etiam exhibendi utentibus, siquidem sola significandi vis nullum omnino discrimen inter Sacramentalia et alia quaevis signa facere videbatur. Et, ut ad tribuendam eiusmodi vim signis hisce Sacramentalibus probabilis aliqua ratio reperiri posset, unio quaedam in signis Sacramentorum elementisque illorum coepit constitui, eaque demum varie exposita omni-(fol. 3b)bus, quae nunc videmus, dissidiis in re Sacramentaria occasionem dedit.

Atque sane dubium non est, recte in Sacramentis ipsis unionem quandam constitui, quae illis solis sit propria, quatenus quidem signa Sacramentorum sola sunt mystica signa salutis nostrae in Christo. Caeterum in exponenda eius ipsius unionis ratione ita variatum est hactenus, ut res demum in contentionem exierit, quae Ecclesiam, ut videmus, gravissime perturbavit.

Atque alii quidem eam ipsam unionem in signis Sacramentorum, hoc est, in externa actione ministri seu ceremonia, ut est a Christo Domino instituta; alii vero in ipsis signorum elementis, hoc est, in rebus, quae actioni adhibentur, constituere voluerunt. Et qui in actione illam ponebant, ad ministri opus eam referendam esse putarunt propter ministerii Ecclesiastici efficaciam et dignitatem. Qui vero illam in Elementis ipsis constituebant, horum alii transubstantiationem, alii evanescentiam ac demum successionem, alii vero connexionem

proferebant. Huc demum accesserunt etiam praecipuarum in re Sacramentaria vocum variatae usurpationes, quae dogmatum controversiam non leviter auxe-(fol. 4a)runt. Sic vox ipsa Sacramenti varie usurpata multa et gravia dissidia peperit: dum alii a piis aeque atque impiis Sacramenta percipi docent, alii vero negant, Sacramentis, quod significatur, ipsis etiam credentibus exhiberi. Haec sane doctrinae dissidia nata sunt ex varie usurpata voce Sacramenti, quae si ad unum eundemque modum ab omnibus usurpata fuisset, nunquam nobis tanta doctrinae dissidia peperisset. Sic et signi vox etiam in causa hac Sacramentaria varie usurpata peperit nobis nova dissidia, ut alii signis Sacramentorum uniri vere doceant ipsorum mysteria, alii autem negent; quod quidem facile dignosci potest, si usurpationis varietas in signi voce tollatur, quemadmodum suo loco postea dicetur.

Ita ex varie proposita unione illa Divinorum mysteriorum in Sacramentis, ex varie item usurpatis praecipuis quibusdam in hoc argumento vocibus, natas et auctas esse videmus controversias omnes in Christi Ecclesia, quod quidem ad causam hanc Sacramentariam attinet. Ad quas equidem controversias, vel tollendas, vel quoquomodo (fol. 4b) componendas, haud scio an melior ullus alius modus reperiri possit, quam si earum fontes ipsi diligenter excutiantur et cognoscantur, quaenam sit vera ac legitima unionis illius controversiae ratio, quaeque item vocum varie in hoc argumento acceptarum vera propria ac legitima usurpatio. Constituta enim et unionis vera ratione, et vocum variatarum propria significatione, facilius multo cognoscetur, ubinam aberratum sit a scopo; atque ita demum facilius etiam controversiae hae in parte omnes vel componentur, vel refellentur.

Quia vero perspicuitatem cuiuslibet orationis peti ante omnia oportet ex vocum iusta legitimaque significatione, ne terminorum varietas aut sententiam orationis obscuram ambiguamque reddat, aut vitiosam alioqui faciat in doctrina approbanda ratiocinationem, vox ipsa Sacramenti nobis ante omnia explicanda erit, quae varie hactenus usurpata multis et gravibus dissidiis, ut diximus, occasionem dedit.

Primum igitur vocem Sacramenti explicabimus, ut constet, qua de re acturi simus, ne vocis varie usurpatae ambiguitate senten-(fol. 5a) tiam nostram de tota hac causa Sacramentaria involvamus. Deinde vero de generibus Sacramentorum dicemus, et hoc Sacramentorum genus, de quo potissimum tractationem nostram instituimus, ab aliis discernemus, atque in unam classem quandam reducemus. Postea autem partes omnes eius generis Sacramentorum ordine suo pertractabimus, ubi demum et de controversa illa Sacramentali unione dicetur. Exponetur praeterea finis praecipuus omnium Sacramentorum, ad quem omnia referri imprimis oportet in Sacramentorum conside-

ratione, et partes ipsae Sacramentorum omnes in singulis Sacramentis ordine commonstrabuntur, atque ad eum ipsum finem referentur. Ad extremum vero de coena Domini agetur, et exortae circa illam controversiae omnes (per Dei gratiam) discutientur. Oro autem Deum Opt. Max., ut pro Divina sua bonitate et misericordia, mea hic omnia moderetur et gubernet ad gloriam sancti sui nominis et Ecclesiae suae pacificationem. Oro item et pios omnes, ut, si cui forte non satisfaciam omnino, is sibi existimet tolerandam esse nostram infirmitatem in charitate Christiana, nosque (fol. 5b) amanter admoneat, ut omnes intelligant, non nostram a nobis, quae nulla est, sed Dei potissimum gloriam in nostris hisce disputationibus quaeri. Illi enim soli debetur omnis gloria, qui suam alioqui vim Divinam in nostra infirmitate exserit et illustrat.

Igitur quod ad vocem Sacramenti attinet, ea sane varie usurpata etiam a Patribus ipsis magnam multis controversiis occasionem dedit. Coepit autem Sacramenti vox ad Divinas institutiones accommodari circiter Ambrosii fere, Hieronymique et Augustini tempora; adderem et Cyprianum, si titulus concionis de coena D. apud illum suspectus non esset; atque iam tum etiam ab ipsismet Patribus varie usurpari coepit. Illi enim, nihil de nostris suspicati controversiis, cum inter sese de causa ipsa consentirent, et eam alioqui in se facilem perspicuamque esse viderent, non usque adeo de vocibus ipsis huic argumento familiaribus solliciti fuerunt. Et proinde ipsam etiam Sacramenti vocem varie usurparunt, atque alias quidem sub Sacramenti nomine signum ipsum externum, alias vero signatum, ut vocant, seu signi mysterium, nonnunquam autem utrunque simul coniunctum intellexerunt.

Neque vero sibi non constabant Patres ipsi, sed vocem Sacramenti usurpabant vel pro argumenti, (fol. 6a) quod tractabant ratione, vel pro affectibus auditorum; unde demum factum est, ut in ipso etiam argumento Sacramentario vox haec varie usurparetur, et doctrinae dissidia gigneret.

Apud Ambrosium in libris „de Sacramentis" (si modo sunt Ambrosii) non raro vox Sacramenti pro signo duntaxat externo accipitur, quemadmodum et apud Augustinum, qui disertis verbis aliud esse dicit Sacramentum, aliud vero rem ipsam, seu virtutem Sacramenti [1]). Atque rursum docet, Judam proditorem a Domini manibus Sacramentum sumpsisse, rem vero, seu virtutem, Sacramenti non sumpsisse.

Rursum vero apud eundem ipsum Ambrosium non paucis locis vox Sacramenti accipitur, non iam pro signo externo ullo, sed pro arcano

[1]) In cap. Io. 6. Tract. 26.

seu mysterio consilii Divini [1]). Et super Pauli Apostoli verba illa: Habentes thesaurum hunc in vasis fictilibus etc., diserte ait: Thesauri voce designari nobis Dei in Christo Sacramentum, quod credentibus manifestatur [2]) et quae huius similia apud illum reperiuntur.

Itidem vero et apud Augustinum est vi-(fol. 6b)dere non paucis locis, etiamsi in argumento Sacramentario vocem Sacramenti pro signis fere externis soleat usurpare, potissimum vero ubi scripturarum Sacramenta quaedam quandoque nobis claudi docet, „non ut denegentur (inquit) sed ut pulsantibus aperiantur" [8]).

Apud Hieronymum sane non tam est frequens usus vocis Sacramenti, sed passim fere pro mysterio usurpatur, ut dum ea, quae minima etiam in lege esse putantur, plena interim Sacramentis spiritualibus esse docet [4]); etiamsi alicubi vocem Sacramenti pro signo externo usurpat, ubi Panem propositionis oblationem typicam Sacramentum vocat [5]).

Ita iidem ipsi Patres sub voce Sacramenti nonnunquam signa externa intelligunt, nonnunquam vero ipsa Divini consilii mysteria seu arcana; etiamsi Augustinus in causa praesertim Sacramentaria pro signo externo fere voce Sacramenti, ut dictum est, uti solet.

Caeterum alii Patres rursus vocem Sacramenti usurpant pro coniunctis simul ét signis externis a Domino institutis ét pro in-(fol. 7a) ternis ac spiritualibus mysteriis, quae per signa externa repraesentantur.

Ita Irenaeus Eucharistiam duabus rebus constare docet, caelesti ac terrena, sub re terrestri designans signum externum visibile, sub caelesti autem re spiritale ac invisibile mysterium, quod signo illo externo adumbratur [6]).

Ita Chrysostomus in baptismi et caenae Sacramento sensibilia ab iis, quae mente percipiuntur, discernit, et interim utraque tamen coniungit, atque in opere sensibili a Domino instituto vult etiam τὰ νοητά observari [7]).

Ita et Hieronymus ipse in caenae Sacramento, pane prolato in cibum veritatem corporis et sanguinis Christi representari docet; nimirum ut caenam Domini non signo tantum externo, sed et interno ac caelesti mysterio constare intelligamus [8]).

Sed omnium clarissime id docet Ambrosius, qui de baptismo disserens, aliud esse testatur, quod visibiliter in baptismo agitur, aliud

[1]) In 4 cap. Lucae super verba illa: Et multi erant leprosi temporibus Helisei.
[2]) In 2 Cor. 4 cap. [3]) In principio praefationis Psalm 93. [4]) In cap. 5 Matth.
[5]) In Malacca 1, super verba illa: Offertis super altare meum panem pollutum.
[6]) Li. 4, Adversus haereses, cap. 34. [7]) Hom. in Matt. 83. [8]) In Matth. cap. 26.

vero, quod invisibiliter celebratur. Et mox velut naturam ipsam Sacramentorum explicans: Neque idem est, inquit, in Sacramento forma, quod virtus; cum forma humani ministerii adhibeatur obsequio, virtus vero (fol. 7b) per divini operis praestetur effectum [1]). Haec ita Ambrosius, quibus manifeste docemur, Sacramenta ét signo externo, quod ipse formam vocat, ét caelesti pariter mysterio constare, quod ipse virtutem appellat.

Quin et Augustinus idem fere sentire videtur, etsi diversis nonnihil verbis utatur, dum de Manna et altari in vetere Ecclesia loquitur. Sacramenta, inquit, illa fuerunt; in signis diversa sunt, sed in re, quae significatur, paria sunt [2]). Hic sane Augustinus ipsemet duas Sacramenti partes facit: nempe signum et rem, quae significatur, iuxta quarum alteram Sacramenta diversa esse docet, nempe iuxta signum externum seu formam; iuxta rem vero, quae significatur, paria sive eadem.

Haec porro usurpationis in voce Sacramenti varietas inter Patres sane ipsos nulla pariebat dissidia; noverant enim inter sese naturam ac vim omnium Sacramentorum, et Synecdochicas ac Metonymicas eius temporis loquutiones facile invicem agnoscebant, in quibus sibi quandoque etiam plus satis permittebant, ut qui de nostris nunc controversiis Sacramentariis nihil omnino cogitarent; sed huc potissimum spectarent, ut Divinae (fol. 8a) institutiones suam dignitatem in CHRISTI Ecclesia obtinerent, id quod ea ipsa apud eosdem Patres usurpationis in voce Sacramenti (concors interim) varietas manifeste testatur: nempe quod, si quando in eiusmodi auditores incidissent, qui signa externa Sacramentorum veluti prorsus inutilia contemnerent, vocem ipsam Sacramenti ad ipsa signa referrent, ut ea a contemptu vindicarent; — ac rursum, si quando cum illis agerent, qui toti in signorum duntaxat admiratione haererent, vocem Sacramenti ad ipsa mysteria transferrent: sed tamen aliquando etiam utraque haec in voce Sacramenti coniungerent, ut veram Sacramentorum rationem ac naturam interim commonstrarent.

At vero concors illa Patrum in usurpanda voce Sacramenti varietas non levia nobis dissidia peperit postea, dum quae illi συνεκδοχικῶς, aut μετωνυμικῶς dicebant, unde ac simpliciter exponi coeperunt, et non in Sacramenti voce tantum, sed in partium quoque illius expositione demum dissensio orta esset, quemadmodum suo loco dicetur. (fol. 8b).

Accessit autem et alia adhuc vocis Sacramenti usurpatio, recepta

[1]) Tomo 3. Epist. 85 ad Demetriaden virginem, in medio fere.

[2]) In cap. Io. 6, tract. 26, post medium.

quidem a latinis autoribus, sed quae ad causam Divinarum institutionum, de quibus hic agimus, non ita multum videtur pertinere; nempe quod sub nomine Sacramenti vinculum quoddam, seu sponsio quaedam publica intelligitur, qua nos in alicuius fidem atque obedientiam certis pactionibus obstringimus, qui nullum alioqui in nos antea imperium ea in parte habuissent, quemadmodum milites olim suis se imperatoribus obstringere, adeoque et veluti consecrare publico iure iurando solebant.

Cur autem hanc talem vocis Sacramenti usurpationem ad causam nostram non pertinere putemus, rationes paucis eius nostrae sententiae adferemus.

Suntque duae potissimum eius rei causae. Altera dissimilitudinis, altera vero errorum, nec levium nec paucorum, qui facile oriri possent, si haec talis Sacramenti usurpatio in causa nostra Sacramentaria obtineret.

Quodque ad dissimilitudinem attinet, multis sane nominibus causa nostra dissimilis est a Sacramento militari. (fol. 9ᵃ)

Primum quod in militari Sacramento illorum potissimum opus spectatur, qui sese imperatori suo obstringunt: nempe quod ei sese iam Sacramento prorsus addicunt, cui antea obstricti non erant. In nostris vero Sacramentis, non id imprimis spectandum est, quod nos agimus, sed quod Deus nobiscum egerit propter Christum, cuius beneficium nobis commendatur usu legitimo sacramentorum.

Deinde in Sacramento militari non prius addicti sumus ei, cui nos addicimus, quam nos publica illa sponsione obstringamus. In nostris vero Sacramentis initum iam olim in Christo nostrum cum Deo communionis vinculum contestamur, animosque nostros in fide illius spiritu sancto autore obsignamus; neque ideo Christo Domino addicti sumus, ad illumque pertinemus, quod Sacramentis utimur, sed ideo Sacramentis utimur, quia ad Christum iam olim pertinemus.

Postremo in Sacramento militari nullam culpam perfidiae aut inobedientiae agnoscimus, nedum ut nos illius nomine quoquomodo accusemus, sed fidem potius nostram atque obedientiam certis pactionibus spondemus. In nostris vero Sacramentis assiduam nostram inobe-(fol. 9ᵇ)dientiam, adeoque et perfidiam erga Deum deploramus, cum suae interim gratiae Divinae agnitione in Christo et diligenti illius imploratione. Nimirum Sacramenta ipsa testantur, Deum condonare nobis omnes nostras infirmitates propter Christum.

Istae igitur dissimilitudines obstant, quominus in causa nostra Sacramentaria vocem Sacramenti in ea significatione accipiamus, in qua apud Latinos scriptores acceptam esse videmus, etiamsi non negemus esse aliquam convenientiam inter militare illud Sacramentum

et nostra Sacramenta, sed quae istas dissimilitudines conciliare non possit.

Quod vero ad errores inde suppullulascentes attinet, primus error inde oritur, eorum, qui nos non prius ad Christum pertinere putant, quam illi per Sacramentorum ministerium coniungamur, perinde atque milites non prius inter milites censentur, quam sese Sacramento obstrinxerunt. Habet autem error hic multa incommoda. Primum abripit magnam membrorum partem a Christi corpore, nempe infantes Ecclesiae omnes, qui aut inopia ministerii non raro sine baptismo moriuntur, aut necessitate aliqua arceantur ab usu Sacramentorum, quemadmodum paulo (fol. 10a) post dicetur. Et violat fidem Divinae promissionis in suo foedere: Ero Deus tuus, et Deus seminis tui etc., cum dubium non sit, Deum fuisse quoque illorum Deum, qui annis quadraginta in deserto circumcisi non fuerunt; alioqui illos in terram promissionis non introduxisset. Deinde aliud nobis iam medium salutis nostrae praeter mortem Christi inducit. Quo enim Christo inserimur, ut ad illum pertineamus, id sane medium salutis nostrae esse, negari non potest. Esse enim insitos Christo, est vita aeterna proculdubio. Et aliud est baptismus noster, aliud vero oblatio Christi propitiatoria pro peccato, ut, si mortem Christi salutis nostrae unicum medium esse fatemur, quatenus quidem mediator unus est, — baptismum sane iam non pro medio ullo nostrae salutis, sed pro obsignaculo potius habere nos oportere, intelligamus, nedum ut per Baptismum primum omnium Christo Domino inseramur. Pertinemus sane ad Christum omnes in Ecclesia ab eo tempore, quo per ipsum in Dei filios adoptati gratuito sumus; et adoptati sumus ante tempora aeterna, quemadmodum Paulus docet. Ante tempora igitur aeterna, non autem in Baptismo (fol. 10b) primum, ad Christum Dominum corpusque eius mysticum pertinemus. Postremo error hic idolum nobis in Sacramentis invexit. Causa enim salutis nostrae Deus est. Et, si ideo servamur, quia baptizamur, quatenus equidem per baptismum Christo primum, atque ita vitae etiam aeternae inserimur, — sane baptismo, id quod solius Dei proprium est, tribuere cogemur, et proinde idolum etiam in Sacramentis constituemus; sive nos per insitionem in baptismo, sive per reconciliationem in caena Dominica Christo Domino primum coniungi dicamus; praeterquam si insitionem in baptismo ac rursum in caena reconciliationem pro visibili Ecclesiasticoque insitionis reconciliationisque aeternae in Christo testimonio intelligere, modo translatitio, velimus. ?

Alius error ex hac Sacramenti in causa nostra usurpatione oritur, eorum, qui sponsionem eiusmodi in baptismo constituunt, ut si quis post baptismum in gravius aliquod flagitium quoquomodo incurrat,

eum iam veniae spe, tanquam perduellem, omnino excludant, quod quidem Donatistas olim affirmasse, et nunc rursum ex (fol. 11a) Anabaptistis quosdam urgere videmus.

Propter hos errores igitur et eam, quam ostendimus, in Sacramentis nostris et militari Sacramento dissimilitudinem, alienam plane a nostra causa esse putamus eam vocis Sacramenti usurpationem, quam in militari sponsione a latinis scriptoribus receptam fuisse videmus.

Porro inter tres priores illas vocis Sacramenti usurpationes, etsi quaelibet earum suas rationes habere posse videatur, postrema mihi tamen ad mentem ipsam scripturarum proxime accedere videtur, et plus lucis adfert ad intelligendam exactius vim et naturam ipsam Sacramentorum.

Et quidem scio proferri posse multas rationes, quibus prior utraque usurpatio approbari satis possit etiam in causa hac Sacramentaria, quemadmodum id antea paulo paucis attigimus. Est nimirum id frequens, ut earum rerum nomina, quae multis partibus constant, vel ad praestantiores, vel ad notiores magisque conspicuas illius partes referamus. Sic homini vulnus infligi dicimus, cum uni duntaxat ipsius parti, nempe corpori, quod nobis magis est conspicuum, vulnus infligi videmus. Ac rursum impios homines (fol. 11b) damnatos iam, pios item beatam vivere vitam, dicimus, cum una duntaxat sui parte, nempe anima, (quae videlicet est praestantior) aut caelesti cum Christo gloria frui, aut in gehenna cruciari illos ante resurrectionem credamus. Caeterum, si natura ipsa hominis exponenda sit, rectius procuIdubio exponetur, si coniunctae illius partes omnes observentur et explicentur.

Ita et in exponenda Sacramentorum natura ac dignitate, etsi vel contemptus, vel nimia rursum admiratio Sacramentalium signorum postulasse id videatur, ut vox Sacramenti quandoque ad signa, quandoque autem ad mysteria Sacramentaria referretur, — in explicanda tamen natura ipsa et vi ac dignitate Sacramentorum rectius fuerit, partes illorum simul coniunctas observasse, praesertim vero cum nostro hoc tempore non deesse plurimos videamus, partim contemptores, partim vero etiam superstitiosos signorum Sacramentalium admiratores, qui synecdochicis istiusmodi usurpationibus ad alenda sua dissidia abutantur.

Estque tertia haec vocis Sacramenti usurpatio omnium certissima, omnium utilissima, et omnium clarissima, tum quod perspicuis nititur scripturae (fol. 12a) testimoniis, sine ulla illius contradictione, — tum quod multas difficultates in causa hac exortas tollit, — tum vero etiam quod naturam ipsam et vim Sacramentorum nobis facillime exponit et commonstrat.

Nititur insignibus et perspicuis testimoniis, Genes. 17 cap. et Rom. 4 cap., quibus duobus locis circumcisionis Sacramentum nobis graphice describitur. Cumque circumcisio primum locum inter ea Sacramenta obtineat, quae Deus addita salutis conditione in sua voluit Ecclesia observari; cum item Abraham typicus sit etiamnum pater nostrum omnium, ad cuius exemplum ac similitudinem Sacramenta nostra et nos hodie, quatenus sumus semen ipsius, observamus, — equidem eo potissimum loco Sacramenta omnia reliqua in eo genere habere debemus, quo illa loco typico Patri nostro Abrahae habita fuisse ex Mosi et Pauli testimonio non ignoramus.

Iam vero et Moses et Paulus, dum duplici titulo ornant ipsam circumcisionem, duas illius partes etiam non obscure constituere videntur. Moses illam vocat et signum foederis et foedus ipsum. Paulus vero illam (fol. 12ᵇ) et signum et obsignaculum iustitiae fidei Abrahae fuisse docet. Neque dubium est eodem sensu a Mose circumcisionem vocari et signum foederis et foedus ipsum, quo sensu a Paulo et signum et obsignaculum iustitiae fidei Abrahae fuisse docetur.

At vero Paulus diserte docet, Abrahamum iustum fuisse babitum apud Deum etiam ante circumcisionem. Et quoniam haec talis iustitia fide nostra agnoscitur sentitur et retinetur; fides vero in naturae nostrae corruptela firma semper ac solida esse non potest, — additam esse ait Paulus Abrahae ipsi et eius semini circumcisionem, quae illi non tantum esset signum eius ipsius iustitiae, qua iustus apud Deum babitus erat; quasi iustitia illa ad illud duntaxat tempus, quo primum iustus habitus fuerat, pertinuisset, sed etiam certum obsignaculum in animo ipsius, quo ipse videlicet una cum sua familia, autore spiritu sancto, in fide eius ipsius iustitiae obsignaretur; quae non tantum eo tempore ad ipsum pertinuisset, quo primum iustus reputatus esset, sed semper etiam re vera pertineret, adeoque et ad universum ipsius semen in aeternum pertinere deberet, si qui il-(fol. 13ᵃ)lam modo destinato contemptu suo a se non propulissent.

Ad hunc modum igitur etiam Moses circumcisionem non tantum signum foederis vocat, quasi ea foedus praeteritum duntaxat designaretur, quod expirasse forte videri posset, sed eam foedus quoque ipsum vocat, ut foederis ipsius durationem aeternam, et proinde Abrahae eiusque semini semper praesentem, animo ipsius obsignaret.

Dum igitur Moses circumcisionem et foederis signum et foedus ipsum, quod signo adumbrabatur, vocat; dum item Paulus eam et signum et obsignaculum esse docet, sitque alia proculdubio signi, alia vero foederis ipsius, seu iustitiae fidei ratio, perspicuum est, hac Mosi et Pauli doctrina duas Sacramentorum partes constitui, alteram

quae significet, alteram, quae significata in animis nostris interna ac spiritali obsignatione confirmetur, nempe ut, quod nobis signo divinitus instituto adumbratur, foedus videlicet Dei nobiscum, eiusque iustitia, quae fide agnoscitur sentitur et retinetur, — id ipsum etiam in cordibus piorum in Ecclesia obfirmetur et obsignetur.

Et res ipsa loquitur, signa, quae non sint mystica, sub Sacramentorum classem non cadere, cum (fol. 18[b]) etiam hi, qui vocem Sacramenti pro signis usurpant, constituant quandam mysterii cum signo in Sacramentis coniunctionem. Ac quemadmodum Augustinus docet, signa Sacramentalia, si nullam cum iis rebus, quarum signa sunt, similitudinem habeant, Sacramenta neque esse omnino, neque vocari posse; ita nos rectius multo dicere nobis posse videmur, Sacramenta non esse omnino, neque vocari posse, ubi nullam mysteriorum cum signis coniunctionem videamus.

Et scripturae igitur autoritate, et patrum item consensu, ut antea demonstratum est; praeterea ipsa quoque rei natura docemur, hanc esse certissimam sacramenti usurpationem, ut sub sacramenti nomine coniuncta inter sese (suo modo) signa et mysteria sacramentalia complectamur.

Utilissimam vero eam Sacramenti usurpationem esse, inde facile apparet, quod per illam multae difficultates et controversiae in causa hac Sacramentaria sistantur prorsusque tollantur, fontesque praeterea errorum quorundam commonstrentur.

Tollitur hac tali Sacramenti usurpatione controversia illorum, quorum alii Sacramenta etiam ad impios pertinere docent, alii negant. Qui enim sub voce Sacramenti et signa simul (fol. 14[a]) et signata complectuntur, intelligunt, utrosque illos vera dicere iuxta synecdochicam usurpationem, ut, qui sub Sacramenti voce signum duntaxat intelligunt, vere affirment, Sacramenta etiam ab impiis percipi, — ac rursum vere negent etiam, qui vocem Sacramenti pro altera duntaxat illius parte, nempe pro mysterio, usurpant.

Tollitur et alia controversia eorum, quorum alii Sacramentis res significatas exhiberi docent, alii vero negant. Observata enim nostra Sacramenti usurpatione, tam est vera eorum sententia, qui negant, si Sacramentum pro signo tantum accipiatur, quam est vera illorum etiam, qui id affirmant, doctrina, si vox Sacramenti simul et pro signo et pro mysterio usurpetur. Sed non ideo efficitur tamen, signa Sacramentalia signa exbibitiva esse, ut significando exhibeant, quandoquidem aliud est Sacramentum ipsum, aliud vero signum Sacramenti; et proinde, quod Sacramentis tribuimus, id equidem signis sacramentalibus tribui neque debet neque potest.

Commonstrantur autem fontes errorum nec levium nec paucorum

hac nostra usur-(fol. 14ᵇ)patione; nam, qui in caenae Dominicae Sacramento transubstantiationem somniant, adimunt partem unam Sacramento, nempe signum: ipsam inquam panis fractionem, dum id, quod in caena frangitur, panem esse negent, atque ita violant naturam Sacramenti in caena.

Rursum, qui ab impiis Sacramenta percipi docent et in voce Sacramenti nullum schema agnoscere volunt, horum quoque erroris fontes in nostra usurpatione indicantur. Hi enim, dum mysteria cum signis in Sacramento commiscent ac confundunt, naturam etiam Sacramentorum violant, in quibus alioqui caelestia ipsorum mysteria cum signis terrestribus non sane commiscentur confunduntурve, ut ab invicem discerni non possint, sed spiritali quodam nexu coniunguntur, qui nonnisi ad spiritales etiam homines pertinere potest.

Praeterea et erroris illorum fontes in nostra Sacramenti usurpatione ostenduntur, qui signa sacramentalia id, quod significant, exhibere nobis etiam docent. Hi enim, quod totius est, uni duntaxat parti tribuunt; et nullum interim Synecdochae usum in sua hac doc-(fol. 15ᵃ)trina agnoscere volunt. Neque hic eos sublevat Augustiniana Sacramenti usurpatio; nam is in sua istiusmodi usurpatione agnoscit Synecdocham, dum alibi Sacramenta signis sane diversa, re autem, sive mysterio, aut virtute, paria eademque esse docet, et proinde in Sacramento et signum simul et mysterium agnoscit, quemadmodum antea quoque dictum est.

Duplici igitur nomine utiliorem reliquis esse videmus nostram hanc Sacramenti usurpationem, nempe quod per eam multa tollantur doctrinae dissidia, et fontes etiam multorum errorum indicentur.

Quod autem naturam ac vim omnium sacramentorum explicet, id in eo facile apparebit, quod singulis sacramentis ad unum eundemque modum, iuxta eorum institutionem, ordine suo applicari potest, et perspicue docet omnia sacramenta, de quibus controversiam extare videmus, esse unum atque idem sacramentum, quod ad virtutem et mysterium illorum attinet; nisi quod alia de venturo adhuc, alia vero de exhibito iam Christo Domino testificantur. Quae res, quantum lucis adferat, ad veram sacramentorum cognitionem, id facilius videri poterit in unius (fol. 15ᵇ) atque eiusdem mysterii omnium sacramentorum explicatione, et singulorum inter sese sacramentorum ordine suo collatione.

Non temere facimus igitur, si hanc nostram vocis sacramenti usurpationem aliis omnibus anteponamus, eamque solam in nostra hac tractatione sequendam nobis esse existimemus, ut quae et scripturarum menti omni ex parte respondeat, patribus item probetur; prae-

terea et tollat multa Doctrinae dissidia, fontesque eorum commonstret, ac ipsam vim ac naturam omnium sacramentorum planissime expenat.

Iuxta hanc igitur usurpationem sacramenti vocem et nos in nostra hac tractatione accipiemus, atque generalem quandam ante omnia sacramenti descriptionem proponemus, quae nos ad exactiorem demum nostrorum sacramentorum definitionem veluti manuducat.

Sacramentum itaque in genere dicimus esse Divinam ordinationem, quae duabus partibus constat, nempe signo visibili et invisibili mysterio, ut fini suo, ad quem est ordinata, respondeat.

Ad hanc descriptionem revocari oportet ea omnia, quae pro sacramentis aut sint habita (fol. 16[a]) unquam, aut haberi etiamnum debeant in Ecclesia Christi. Primum enim cum unanimi consensu omnium, qui iuxta verbum Dei de Sacramentis iudicant, in Sacramentis signum Divinae erga nos gratiae agnoscatur; adeoque et Sacramenta ipsa passim signa gratiae vocentur. Gratiae vero Divinae testimonium, quod quidem sit verax, nemo prorsus nobis dare possit, nisi qui et illius autor est, idem ipsemet videlicet Deus. Equidem si Sacramenta verax ullum gratiae erga nos Divinae signum aut testimonium complecti debeant, a nemine alio, quam eodem ipsomet Deo, qui solus et verax et omnis gratiae autor est, ordinari constituique possunt. Quis enim Deum vidit unquam? aut quis illi a consiliis fuit? Deinde cum scriptura ipsa omnia ea, quae pro Sacramentis habentur, inter signa numeret, et interim illis aeterna gratiae suae dona designari doceat, quae sint videlicet et praeterita, quatenus iam olim nobis sunt delata, et praesentia, quatenus perpetuo exhibentur, neque cessare unquam possunt, et futura, quatenus illorum gloriam adhuc sub spe certissima post nostram resurrectionem expectamus; — perspicuum (fol. 16[b]) est, Sacramenta ipsa non tantum signis externis, quibus dona gratiae adumbrantur, sed ipsa etiam donorum perpetuatione, adeoque et exhibitione constare, sed quae tamen in ipsis signis Sacramentalibus constitui neque debeat, neque possit, quemadmodum postea dicetur, et iam antea paulo est obiter indicatum. Postremo, cum Deus nihil temere, sed certo suo ordine agat omnia, dubium non potest esse, quin et sacramenta omnia, cum sint ordinatio Dei, subservire ei fini oporteat, propter quem instituta esse in scripturis videmus. Qui vero sit praecipuus finis omnium sacramentorum, id suo loco postea expenetur.

Videmus ergo generalem hanc sacramentorum descriptionem recte a nobis positam esse, omniaque ad illam, quae pro sacramentis modo haberi debeant, referri oportere. Sed, quoniam varia sunt sacramentorum genera, quemadmodum sunt varii etiam Divinae erga nos gra-

tiae respectus, in certa quaedam genera nobis veluti in classes quasdam distribuenda erunt.

Gratia Dei conditi sumus initio ad vitam aeternam, gratia Dei et in vita hac sustenta-(fol. 17a)mur, et eadem etiam gratia Dei, post peccatum, ad vitam rursus aeternam in Christo Domino restituti sumus. Pro hisce igitur Divinae erga nos gratiae respectibus varia etiam Sacramenta a Deo ipso ordinata habemus. Sic omnes creaturae, dum illas intuemur, dum illis utimur, dum earum vicissitudinem observamus, sacramenta sunt Divinae erga nos gratiae, iuxta quam earum domini initio conditi sumus, et usu earum ex divina ordinatione sustentamur; quod qui secum diligenter perpendere volunt, intelligent sibi omnibus Dei creaturis, tanquam Dei Sacramentis, sancte et cum gratiarum actione semper utendum esse, agnoscentque impietatis magnitudinem, si quis illis per luxum aut alio quovis modo in Dei ipsius contumeliam, cuius sacramenta sunt, abutatur.

Caeterum nos hic in nostra hac tractatione non de ea Divinae erga nos gratiae parte agimus, iuxta quam, aut sumus initio conditi, aut etiamnum in vita hac sustentamur, sed de ea duntaxat parte, iuxta quam, in Adamo primo parente nostro sub mortem aeternam condemnati, ad vitam rursus aeternam in Christo Domino restituti sumus. Et proinde de iis duntaxat etiam Sacramentis agendum nobis erit, quae restitutae nobis in Christo Domino vitae ae-(fol. 17b)ternae Sacramenta esse constat.

Deinde inter restitutae etiam in Christo Domino vitae aeternae Sacramenta sunt quaedam, quae in Dei ipsius potestate et dispositione sunt posita, neque ullo humano opere constant, ut arcus caelestis in nubibus, et flamma olim caelestis, quae veterum sacrificia absumebat; quaedam vero, quae Deus publico Ecclesiae suae ministerio voluit in sua Ecclesia celebrari.

Cum autem de eius generis sacramentis nulla sit controversia, quae in sola Dei dispositione sane sunt posita, neque ullo humano opere ulla omnino ex parte constant, nos etiam hic de illis non agemus. Sed de eis duntaxat agemus, quae Deus publico Ecclesiae ministerio voluit celebrari, de quibus alioqui etiam magnas controversias exortas esse videmus.

At vero et eorum Sacramentorum, quae in ministerio Ecclesiae sunt posita, alia ad certas duntaxat personas pertinent, cuius generis sacerdotii ordo et functio in Israëlis Ecclesia erat; alia vero ad totam omnino Ecclesiam et singula membra illius pertineant, praeterquam si aut ipsa mysterii in Sacramento ratio aliud postulet, aut natura alioqui adnata nobis infirmitas evidensve aliqua (fol. 18a) necessitas usum illius non admittat.

Et hic igitur non de eo sacramentorum genere agemus, quod certis quibusdam personis duntaxat in Ecclesia proprium esse videri possit; sed de eo tantum, quod ad totam pariter Ecclesiam omniaque eius membra pertinet, nisi aliqua earum, quas recensuimus, exceptionum intercedat.

Atque, ut iam certum quendam ordinem ac veluti classem quandam eorum, de quibus dicturi sumus, sacramentorum constituamus, id nobis in generali illa sacramenti descriptione addendum erit, ut sacramenta, de quibus tractationem nostram instituimus, dicamus esse eam Dei ordinationem, quae ita sit posita in Ecclesiae ministerio, ut ad omnia illius membra usus eius ordinarie pertineat, nisi si praedictae exceptiones intercedant, et constet signo suo visibili simul ac invisibili mysterio, ut fini suo subserviat, ad quem est instituta.

Quanquam autem magna iam ex parte approbaverimus nostram hanc sacramenti descriptionem: tamen ordine adhuc recensebimus, quae in illa observari debent, ut res tota et intelligi et retineri possit. (fol. 18[b])

Cum igitur dicimus, sacramenta esse Divinam ordinationem, discernimus illa ab omnibus humanis traditionibus ceremoniis ac cultibus, quacunque tandem mundi totius autoritate institutis. Cum enim Deus lucem habitet toti prorsus mundo huic inaccessam, totus sane mundus cum omni sua sapientia eruditione ac prudentia nullum nobis certum ac solidum Divinae erga nos voluntatis testimonium, ne dicam visibile signum aliquod, constituere ullo modo potest. Sed ut Deus solus novit consilii sui Divini omnes rationes, estque verax proculdubio in omni verbo suo, et proinde in omni etiam verbo suo nobis prodita ordinatione, — ita et nos eas solas traditiones ceremonias ac cultus Deo gratos certos ac salutares esse statuemus, quos verbi Divini autoritate institutos, observarique in Ecclesia iussos habemus.

Si igitur sacramenta nostra certa veracia et salutaria nobis esse debeant, verbi imprimis Divini autoritate comprobanda sunt, ut constet, Deum ipsum illorum autorem esse, suntque etiam intra fines verbi divini continenda, ne humanis fallaciis quoquomodo profanentur. Omnis enim homo (fol. 19[a]) mendax, sine ulla cuiusquam exceptione, praeter Christum solum, qui alioqui Deus quoque est, et non homo tantum. Deinde cum dicimus, Sacramenta, de quibus hic agimus, esse eam Dei ordinationem, quae sit in Ecclesiae ministerio posita, discernimus hoc Sacramentorum genus ab aliis Sacramentis, in quibus Deum nullos ex hominibus cooperarios secum habere voluisse videmus, ut erat olim flamma caelestis, consumens veterum sacrificia, et manna pluens, — estque adhuc arcus caelestis in nubibus,

qui non est in Ecclesiae ministerio positus; hoc est, Deus non vult, ministros Ecclesiae in formando arcu suo in nubibus cooperarios suos esse. Sed tantum vult, ut quoties illum ipsemet apparere facit pro suo arbitrio, nos eum, ut signum simul atque obsignaculum aeterni sui nobiscum foederis cum gratiarum actione intueamur.

Docemur item iisdem verbis, Sacramenta nostra, de quibus nostram hanc tractationem instituimus, consistere non tam in rebus illis, quae institutae a Deo sacrae actioni adhibentur, quam potius in ipsa actione, ut est a Deo instituta; et proinde doctrinam eorum non posse subsistere, qui in baptismo aquam ipsam, et (fol. 19[b]) in caena item dominica panem ac vinum Sacramenta esse putant. Cum enim aqua panis vinum non sint opus ministrorum praeceptum a Deo in baptismi aut caenae Sacramento, extareque illa oportet, priusquam Sacramentum administretur. — Sacramenta vero, quod ad signum illorum attinet, posita sunt in ipso Ecclesiae ministerio sub ministri opere ex divina institutione; — sane, quantum absunt ab ipso ministri opere aqua panis et vinum in baptismi et caenae usu, ut tum primum aqua panis et vinum esse incipiant, — tantum ab eo absunt etiam, ut Sacramenta aut esse aut vocari possint. Quomodo vero aqua panis et vinum in baptismi et caenae dominicae usu adepta sint nomen Sacramenti, id clarius exponetur circa signi in Sacramentis explicationem. Ac rursum in uniuscuiusque Sacramenti institutione ostendetur, Sacramenta nostra posita esse, non in rebus, quae actioni adhibentur, sed in ipso ministerio seu actione.

Praeterea in iisdem verbis adhuc ita intelligere debemus, Sacramenta in Ecclesiae ministerio posita esse, non ut ministri Ecclesiae opus totum Sacramenti peragant, sed ut Christo Domino in eius institutione cooperentur, quatenus sane cooperarii sunt Christi, non autem (fol. 20[a]) operarii ipsimet, ut ab illis solis totum opus in sacramentis debeat expectari. Proinde cum audimus duabus rebus seu partibus constare sacramenta, duo in usu illorum opera agnoscere debemus, quae duos etiam operarios habeant, nempe opus ministri iuxta divinam institutionem, et opus Christi Domini ipsius, qui, ut ministrum Ecclesiae cooperarium suum esse vult, non autem operarium, in sua institutione, ita opus suum peculiare sibi ipsi etiam relinquit, quod equidem non per ministri manus, sed per spiritum suum efficit in nostris cordibus, qui est perpetuus et efficax testis ac glorificator Christi Domini in omni ipsius institutione.

In eo vero quod dicimus, sacramentum eiusmodi esse Dei ordinationem, quae in ministerio Ecclesiae posita, ad totam Ecclesiam omniaque membra illius ordinarie pertineat, — docemur peccare omnes, qui usum sacramentorum legitimum, dum haberi potest, in Christi

Ecclesia negligunt et contemnunt; peccare item et ministros, si in sacramentorum administratione non sint fideles ac diligentes in concreditis sibi Ecclesiis. Ut enim contemptus et negligentia sacra-(fol. 20ᵇ)mentorum in plebe culpa sua non caret, ita et ministri, qui contemptum hunc et negligentiam non reprehendunt, ut debent, nihilo minore tenentur culpa, ne dicam maiore, cum ex manibus ipsorum requirendus sit sanguis omnium in Ecclesia Christi.

Cum enim remissio peccatorum Euangelio patefacta eiusque ministerium ad universam toto terrarum orbe humanam creaturam pertineat, iussaque sit universae etiam humanae creaturae praedicari, non possunt sane eius ipsius remissionis peccatorum promissiones omnes ad omnem etiam humanam creaturam in Christi Ecclesia non pertinere, multo minus autem appendices et sigilla promissionum, ipsa inquam sacramenta, quae a promissionibus verbi divini, Euangelio velut diplomate nobis traditis, divelli non possunt, quemadmodum a Regum diplomatis sigilla ipsorum avelli sine Regum ipsorum contumelia non posse videmus.

Adiecimus tamen exceptiones quasdam, quae nos culpa omni contemptus sacramentorum liberant, etiamsi illis quandoque non utamur. Primam, si propter mysterii, in sacramento comprehensi, illustrationem, cui sig-(fol. 21ᵃ)na alioqui ipsa subservire debent, aliqui in ipsa institutione divina excludantur, quemadmodum foemellas a circumcisione olim exclusas fuisse videmus. Alteram, si ipsa naturae nostrae nobis adnata infirmitas signorum sacramentalium capax esse non possit, quemadmodum infantes nostri et ab agno Paschali abstinebant olim, et nunc etiam a caenae dominicae usu abstinere coguntur. Tertiam, si evidenti aliqua necessitate Ecclesiae adacti usum Sacramentorum intermittere aliquamdiu cogamur, aut per adversam alioqui valetudinem uti illis non possimus. Dominus est enim filius hominis etiam ipsius Sabbati, et proinde quoque Sacramentorum, quae in parte Sabbati censentur. Et populum Dei usum circumcisionis intermisisse legimus in deserto annis quadraginta: fuisse tamen interea populum Dei, et Deum fuisse Deum ipsius. Quartam, si manifesta aliquorum impietate sacramenta ipsa contaminari debeant, qui arceri non possint. Non enim, quae sancta sunt, canibus dari debent.

Caeterum hae exceptiones non obstant, quominus interim usus nostrorum Sacramentorum ad totam Christi Ecclesiam omniaque (fol. 21ᵇ) illius membra pertineat, quatenus citra obscurationem mysteriorum in Sacramentis, infirmitatisve aut periculorum necessitatem ac publicam illorum contaminationem intermitti omnino non debet.

Haec ita observari debebant in eo, quod de nostro Sacramentorum genere, de quo hic potissimum agimus, addidimus, in generali Sacra-

mentorum descriptione; nempe quod ita sint posita in Ecclesiae ministerio, ut ad totam omnino Ecclesiam omniaque illius membra ordinarie pertineant, estque haec prima nota Sacramentorum eius generis, de quo nostram instituimus tractationem.

Iam vero ad explicationem partium, quibus Sacramenta haec constant, veniamus, nempe ad signi in Sacramentis et mysterii considerationem, quae etiam varie a multis usurpatae doctrinae dissidia magna ex parte auxerunt. Primum autem de signo dicemus, neque hic de signorum generibus multa adferemus: de his enim multi, imprimis vero vir doctissimus, iuxta ac pientissimus, D. Henricus Bullingerus, disseruerunt. Tantum dicimus, Sacramentorum signa eius generis esse, (fol. 22a) quae ius seu privilegium aliquod aut donationem quampiam designant, attestantur et quodammodo repraesentant, sive publico more recepta sunt, sive a nomotheta aliquo instituta, ut est Regum coronatio, annuli in sponsalibus donatio, et quae eius generis habentur. Sunt enim signa in sacramentis omnibus divini erga nos beneficii signa in Christo, in quo nobis ius ac privilegium filiorum Dei donatum est, per delatam nobis gratuito corporis et sanguinis sui communionem.

In istiusmodi porro attestatoriis ac repraesentativis signis nihil opus est miraculis ullis, sed publica receptaque esse eiusmodi signa oportet, ut quisquis illa intuetur, protinus intelligat, quidnam illis designetur, contestetur, et repraesentetur. Sic in Regum coronatione, in annuli coniugalis donatione, in foederibus iciendis, nihil est miraculi; sed dum signa illa intuemur, protinus ex moris recepti consideratione intelligimus, quidnam signa illa nobis designent attestentur ac repraesentent.

Habent autem hoc sibi peculiare prae aliis eiusmodi signa, ut sint pariter et rei praeteritae signa et praesentis et futurae. (fol. 22b) Etenim Regis coronatio designat et attestatur ius regni ad eum, qui more publico coronatur, et pertinuisse iam antea, sive per electionem, sive per successionem, et pertinere per publicam illam inaugurationem, neque cessaturum esse deinceps, sed permansurum in posterum etiam, ut, qui coronatur, plenam habeat postea regni administrandi potestatem. Annuli item coniugalis publica receptaque donatio designat et attestatur sponsalia confecta esse mutuis partium pactionibus, et ea ipsa publicari obfirmarique illa annuli donatione, atque in posterum etiam rata fore, tantisper dum uterque contrahentium vivit. Et porcae in foederibus mactatio ad eundem modum designabat et attestabatur foedus iam fuisse institutum, illudque hac ceremonia sanciri, et in posterum observandum esse etiam, nisi quis perfidiae reus esse vellet.

Ad hunc igitur modum et sacramentorum signa non egent ulla miraculorum commendatione, quae sunt ab illorum natura prorsus aliena, sed mox, ut signa intuemur, facile intelligimus, quidnam designent attestentur ac repraesentent ex Christi Domini institutione. Et sunt praeterea signa rei (fol. 23ª) et praeteritae et praesentis et futurae: nempe communionis nostrae cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius, delatae nobis in Adamo, primo olim parente nostro, per promissionem, durantis etiamnum perpetuo, et plene olim adhuc declarandae in mortuorum resurrectione.

Diximus vero, visibilia esse eiusmodi signa Sacramentorum, ut eas Dei institutiones, quae Sacramenta vocamus, ab aliis divinis institutionibus discernamus, quae neque controversae sunt quoquomodo, neque inter Sacramenta numerari consueverunt. Sunt enim non paucae divinae ordinationes in Ecclesiae etiam ministerio positae, et habent sibi adiunctas salutis promissiones in Christo, — sed, quia signum visibile nullum habent, quod sit divinitus institutum, inter Sacramenta nostri generis, circa quae controversiae exortae sunt, censeri non possunt, ut publica Euangelii praedicatio, publica remissionis peccatorum annunciatio et preces publicae in Ecclesia Christi.

Ita Augustinus Sacramentum visibile quodammodo verbum appellat, adeoque et pro ipso signo visibili Sacramenti vocem usurpat, quod sine signo visibili Sacramentum consistere non (fol. 23ᵇ) possit, quod ideo alioqui additur, ut in oculos incurrens suo quodam modo loqui videatur. [1]

Caeterum, quidnam sub signi voce intelligendum sit in causa Sacramentaria, id vero nonnihil controversum esse videtur. Alii enim sub signi voce intelligi volunt ipsam externae actionis, ut est a Domino instituta, ceremoniam seu formam. Alii vero, res, quae ex divina institutione actioni ipsi adhibentur. Atque alii rursum promiscue vocem signi in Sacramentis usurpant, nempe quandoque pro rebus ipsis, quandoque pro ceremonia ipsa seu actione.

Qui vocem signi promiscue usurpant, iam pro rebus actioni adhibitis, iam vero pro ipsa actione, nihil suspicabantur de exorituris hisce doctrinae dissidiis, quae nunc excitata videmus; et simul ostendunt ad utrunque modum signi vocem usurpari posse, quemadmodum signa etiam signorum esse Augustinus docet.

Qui vero sub signi voce res ipsas intelligunt in argumento Sacramentario, quae institutae a Deo actioni adhibentur, non praeter receptum morem id quidem faciunt. Non raro enim et rerum, quae designantur, nomina in signa ipsa, — et signi rursum nomen in ea,

[1] In libro 4 de magistro.

quae in signi parte aliqua censentur, transferri solent, sed tamen cum plurimum intersit, in controversis (fol. 24ᵃ) potissimum dogmatibus, proprie ne, an vero translatitie loquamur, videndum nobis etiam erit, ad res ne, quae actioni adhibentur, an vero ad actionem ipsam externam potius, vocem signi proprie magis referre debeamus.

Et Patres quidem signi voce in argumento hoc Sacramentario pro rebus ipsis utuntur, quae institutae a Domino Sacramentorum externae actioni adhibentur, sed, si hunc talem vocis istius usum metaphoricum esse constet, aut sane metaphorice exponendi hic Patres erunt, aut fatendum erit, minus esse propriam hanc talem ipsorum usurpationem, et proinde magis propriae usurpationi cedere etiam, in re praesertim controversa, oportere. Plurimum namque interest in controversiis, proprie ne, an vero figurate loquamur.

Egregie vero Augustinus discrimen constituit inter signa, quae rerum significatarum, quae inter signa numerari iam non possunt, et rerum rursus, quae et ipsae aliarum item rerum signa sunt, signa vocantur. Etsi enim signa signorum recte quoque signa rerum vocantur significabilium (utar enim hic voce ipsius), quae inter signa censeri ampli-(fol. 24ᵇ)us non possunt; multo tamen magis proprie vox signi ad ea pertinet, quae non tam signi iam, quam rei ipsius significatae potius immediate signa sunt. Exemplo res dilucidior fiet. In donationibus fundus, qui donatur, res est significabilis, quae signum vocari non potest. Donationis huius signum immediatum est publica diplomatis a magistratu traditio; nam tradito a magistratu donationis diplomate, ipse etiam fundus quodammodo veluti tradi censetur. Eius porro signi, publicae inquam diplomatis traditionis, diploma ipsum adservatum rursus signum est. Et tamen diploma ipsum interim ipsius quoque fundi donati signum vocatur, cum alioqui re vera ac proprie diploma adservatum, non tam sane donationis ipsius (rei videlicet significabilis), quam signi potius, publicae inquam diplomatis traditionis, signum est. Nam si constet furto aut dolo aliquo modo diploma ad aliquem pervenisse: non autem legitime traditum esse, nullam sane traditi publice diplomatis, multo minus autem fundi donati, apud talem possessorem significationem habebit, imo vero damnum illi dabit, nedum ut ius ullum ei designet aut attestetur quo-(fol. 25ᵃ)quomodo.

Ad eundem modum igitur et in re Sacramentaria res significabilis seu mysterium ipsum, quod signis sacramentorum designatur, est donata nobis cum Christo Domino communio in corpore et sanguine ipsius, quemadmodum suo loco dicetur. Signum huius communionis est ipsa Sacramentorum institutio ac forma, ut verbo Ambrosii utar. Signi vero huius rursum signa sunt res ipsae, quae Dominicae insti-

tutioni adhibentur ex eius ordinatione. Ac recte quidem res etiam ipsae suo modo signa vocantur nostrae cum Christo Domino communionis in usu Sacramentorum iuxta eam, quam exposuimus, usurpationem. Caeterum multo magis proprie ac perspicue ipsa externa, a Domino instituta, sacramentorum forma ac ceremonia signum est et vocatur donatae nobis nostrae illius cum Christo Domino communionis, quae est res ipsa significabilis seu mysterium omnium sacramentorum.

Etsi igitur patres iustam habuerint usurpationis suae illius rationem, qua vocem signi in causa hac nostra sacramentaria pro iis rebus usurpabant, quae institutae a Domino actioni adhibentur, tamen cum minus sit propria haec ta-(fol. 25ᵇ)lis usurpatio, et multos ea deinceps turpissime abusos esse videmus ad invehendam orbi novam quandam elementorum in sacramentis idololatriam; praeterea cum ad tollenda doctrinae nunc dissidia non tantum lucis adferre videatur, quantum altera illa magis videlicet propria usurpatione adferri ostendemus, nemini mirum videri debebit, si nos sub signi voce in causa hac sacramentaria, non equidem res eas, quae institutae a Domino formae sacramentorum adhibentur, sed externam potius actionem ipsam seu ceremoniam intelligere malimus, quod ipsum alioqui et patres olim facturos fuisse non dubitamus, si tanta de re Sacramentaria dissidia tantosque illorum abusus praesensissent.

Inde vero apparet etiam, mutationem illam, quam patres in signorum elementis circa usum Sacramentorum statuebant, non ita multum ad causam nostram facere, nisi si μεταφορικῶς accipiatur, ut videlicet, quod ipsi actioni est proprium, nempe signo Sacramenti, id in res actioni adhibitas suo quodam modo transferatur. Sed, quoniam in controversiis doctrinae verborum proprietas maxime retinenda est, recte et nos facimus, dum maxime propriam signi usurpationem sequendam hic nobis (fol. 26ᵃ) ac retinendam esse in nostra tractatione existimamus.

Scio vero a quibusdam defendi eam usurpationem, ut in causa hac Sacramentaria vox signi ad res ipsas actioni adhiberi solitas referatur, atque huc induci patrum autoritatem: proferri item exempla illa, quibus corona aut sceptrum regni signum, annulus item coniugalis desponsionis signum, et lapis etiam terminus finium signum vocatur. Sed patrum usurpationis rationem ex Augustino reddidimus, quem alioqui non postremum inter patres ipsos habemus, iuxta quam rationem etiam in propositis hisce exemplis vox signi ad coronam sceptrumve regium, ad annulum item ac lapidem terminum referri potest. Etenim neque corona aut sceptrum regni delati signum est in sese, nisi de legitima coronatione sceptrique traditione constet; alioqui a

fure aut morione gestata corona seu sceptrum non sunt regni delati signa; imo vero capitale est, coronam praeter legitimam illius traditionem gestare velle. Neque item annulus coniugalis in sese coniugii signum est, nisi de legitima illius donatione etiam constet; alioqui a scor-(fol. 26b)to gestatus annulus nullius illi coniugii signum est, eo quod ei non sit legitime traditus iuxta publicum morem in contrahendis matrimoniis observatum. Et lapis terminus non est finium signum, nisi publica autoritate legitime, per quos oportet, statuatur. Non tam corona igitur aut sceptrum ipsum, non item aut annulus coniugalis in sese, aut lapis terminus, regni coniugii finiumque signa sunt, quam publica potius legitimaque coronatio, annuli donatio et lapidis termini collocatio, quibus equidem proprie et regni ius et coniugium et fines ditionum designantur.

Tametsi alia quoque sit dissimilitudo inter signa nostrorum Sacramentorum et inter haec coronae aut sceptri annulique coniugalis et termini lapidis exempla, et si quae alia huius generis habentur. Haec enim omnia publico etiam more adservantur; ut sint actionum illarum memoracula, quae signa esse diximus; Sacramentorum vero nostrorum elementa neque legis divinae praescripto, neque recepto item more ullo publico, adservari quoquomodo aut possunt aut debent.

Quid! quod in confesso est, res actioni (fol. 27a) sacramentariae adhiberi solitas signa non esse extra ipsam actionem? Quodsi propter ipsam actionem, quatenus illi adhibentur, signa sunt, equidem actioni ipsi signi nomen magis multo convenit, propter quam, dum illi adhibentur, res quoque ipsae signi nomen sortiuntur.

Praeterea cum omnium Sacramentorum institutio ipsa testetur, sacramenta, de quibus hic agimus, in ministerio posita esse, quemadmodum id postea ostendetur, et magna iam ex parte ostensum est; et ministerium, quod ad signum imprimis Sacramentorum attinet, in ipsa actione positum est, signumque sacramenti partem esse, est iam alioqui demonstratum, — sane quatenus signum pars sacramenti est, et Sacramentum ipsum in actione consistit, quatenus equidem in ministerio positum esse constat, — fieri non potest, quin signum etiam Sacramenti, tanquam pars illius, in ipsa etiam actione consistat. Quomodo enim totum in actione consisteret, cuius partes in eadem ipsa actione positae non essent?

Cum igitur uniuscuiusque Sacramenti institutione, ut videbimus, doceri possit, Sacramenta ipsa in ministerio, quod ad signum attinet, et proinde in actione quoque ipsa posita (fol. 27b) esse, simul sane docetur, signum quoque ipsum Sacramentorum consistere, non in rebus actioni adhiberi solitis, sed in ipsa potissimum a Domino instituta actione.

Haec vero facit vocis ipsa etiam in signo proprietas. Cum enim vox ipsa signi a signando deducatur, ut id, quo aliquid designatur, signum vocetur, sane, quo aliquid magis significantiusque designatur, magis proprie etiam signum vocari oportere, nemo negare potest. Et cum non sit dubium ullum, magis multo multoque significantius Sacramentorum mysterium designari actione ipsa a Domino instituta, quam rebus, quae actioni adhibentur; — nimirum actio illa externa in sacramentis, ut est a Domino instituta, semper est sui mysterii symbolum sive signum: res vero ipsae actioni adhibitae non item (nam et domi licet panem edere, qui nullius divini mysterii signum est, quemadmodum Paulus docet), — equidem tanto magis proprie externa in usu Sacramentorum actio signum erit prae iis rebus, quae actioni adhibentur, quanto magis ac significantius Sacramentorum mysterium actione ipsa seu forma externa Sacramenti designatur et repraesentatur. (fol. 28.)

Sed et Ambrosius, quod nos signum in Sacramentis vocamus, id ille formam appellat, quae equidem vox referri non potest ad res actioni adhiberi solitas, sed ad ipsam duntaxat externam in usu Sacramenti actionem. Neque enim aut in baptismo aqua ipsa baptismi forma est, sed instituta potius a Domino in aqua tinctio: aut in coenae Domini panis ipse et vinum, sed ipsa panis ac poculi a Domino instituta participatio. Alioqui Ambrosius ipse id esse docet formam in baptismo, quod illic visibiliter AGITUR, ut ex verbis ipsis Ambrosii mens illius hac in parte facile intelligi possit.

Sive igitur patrum hic doctrinam sequamur, quemadmodum ex Augustino et Ambrosio docuimus, sive vocis ipsius Etymologiam, imprimis vero divinam Sacramentorum ipsorum institutionem, manifestum est, signi vocem in Sacramentis ad institutam a Domino externam actionem seu ceremoniam magis multo, quam ad res actioni adhiberi solitas pertinere, et proinde recte a nobis etiam in ea significatione hic in nostra tractatione, citra cuiusquam interim contumeliam, usurpari. (fol. 28b)

Sub signi itaque nomine intelligemus in nostra hac tractatione, non equidem res illas, quae actioni Sacramentariae adhibentur, sed externam sacramenti divinitus institutam ceremoniam formam aut actionem; res autem ipsas, quae actioni adhibentur, elementa signorum vocabimus, ut inter actionem sacram, et res, quae illi adhibentur, discrimen aliquod haberi possit, etiamsi ipsam quoque externam actionem elementum vocari posse sciamus.

Diximus autem, signa sacramentorum eius generis signa esse, quae aut nomothetae praescripto aut recepto alioqui more publico ius aliquod seu privilegium vel donationem designant attestantur ac re-

praesentant. Proinde signa quoque sacramentorum nostrorum approbari oportet aut ritu publico aut nomothetae alicuius praescripto, cui debeat obediri.

At vero in rebus divinis caeca est omnis humana ratio, neque ad arcanorum Dei consiliorum cognitionem pertingere ex sese ullo modo potest, nedum ut de illis testificari quoquomodo aut aliquod eorum signum instituere possit, quemadmodum antea quoque (fol. 29ª) dictum est. Quare signa quoque Sacramentorum nullo quantumvis recepto ab hominibus more publico, nulloque humano praescripto possunt sive institui sive approbari; sed Deum ipsum nomothetam hic esse oportet, ut illius solius praescripto, Euangelicis atque Apostolicis literis nobis tradito, signa Sacramentorum nostrorum instituta imperataque esse constet. Signa igitur Sacramentorum nostrorum approbari oportet divina uniuscuiusque sacramenti institutione, id quod et nos suo loco faciemus.

Ostendimus etiam, signa eius generis esse signa et praeteritae rei simul et praesentis et futurae, exposuimusque, ad quem modum id in usu Sacramentorum intelligi debeat et adhuc clarius postea exponemus.

Iam vero ostendendum est, qua in re signa nostrorum Sacramentorum aliis omnibus in eodem etiam genere signis antecellant; praesertim cum id aliis quoque signis commune sit, ut sint signa rei simul et praeteritae et praesentis et futurae.

Atque sane inter attestatoria eiusmodi signa omnia etsi hoc illis commune sit fere, ut res simul et praeteritas et praesentes et futuras designent, sunt tamen alia excellentiora aliis, maioreque cura observantur, pro eo videlicet, ac res ipsae, quae designantur, aliae aliis sunt excel-(fol. 29ᵇ)lentiores, sicut ex mysteriorum, quae designantur excellentia ac dignitate signorum quoque dignitas atque excellentia aestimetur.

Quanto igitur res divinae maiores sublimiores excellentioresque sunt rebus humanis omnibus, tanto etiam signa ipsarum aliis signis humanis omnibus digniora magisque sublimia ac excellentia haberi proculdubio debent, maioreque studio ac reverentia observari.

Praeterea vero etiam plurimum interest, Deus ne, an vero homo aliquid instituat. Enimvero Deus dicendo facit quod dicit, homo non item. Quorum igitur signa Deus verbo suo Divino constituit, ea quoque simul praestat omnino, quod in ipso quidem est, sic ut, dum signa a Deo instituta legitime pro nostra infirmitate observamus, rebus quoque ipsis per eiusmodi signa designatis, ipsis inque signorum mysteriis re vera animis nostris ad vitam aeternam autore spiritu sancto fruamur, quod equidem nullis quibuscunque tandem humanis signis tribui ullo modo potest.

Duobus igitur hisce nominibus signa Sacramentorum nostrorum antecellunt longissimo intervallo omnibus omnino signis humanis, et quod sublimiora infinitis modis habent sua mysteria, et quod (fol. 30ª) Deum autorem habeant, qui per spiritum sanctum suum id efficit, ut una cum signis signorum quoque mysteriis vere ad vitam aeternam fruamur.

Neque tamen hic ullam eiusmodi facimus mysteriorum cum signis, signorumve elementis connexionem, ut mysterium cum signo eiusve elementis in usu sacramentorum ita coniungamus, ut illud vel in signo, vel per signum ipsum exhiberi, multo minus autem signi elementis realiter, ut dicunt, ac iuxta substantiam ipsam naturalem includi continerique dicamus. Haec enim ab ipsa natura omnium sacramentorum, et a divina adeo institutione sacramentaria, denique et a fidei ipsius analogia aliena esse, postea ostendemus. Sed eam mysterii cum signo coniunctionem agnoscimus in legitima sacramentorum administratione, qua fit, ut dum signum sacramenti legitime celebramus, simul quoque et ipso signi mysterio ad vitam aeternam vere fruamur; id vero non per ministri opus ullum externamque illius actionem, multo minus autem per realem ullum mysterii in signi elementis inclusionem, sed per Dei ipsius, nempe spiritus sancti, opus, qui, ut testis ac (fol. 30ᵇ) glorificator perpetuus Christi Domini, adest semper in legitimo nostro ministerio ipsius institutioni, et facit divina virtute sua, ut, dum in signi sacramentalis usu legitime versamur, signi quoque mysterio, accensis fide animis nostris, vere ad vitam aeternam semper fruamur; id quod in ipsa mysterii sacramentorum explicatione clarius exponetur.

Quare, etsi realem illam ac substantialem, ut vocant, mysterii cum signo eiusve elementis connexionem inclusionemve non agnoscimus omnino, adeoque et alienam plane ab ipsa natura atque institutione Sacramentorum esse non dubitamus, — non tamen ideo quidquam omnino detrahimus dignitati et virtuti Sacramentorum, dum, quod alii vel in ministri opere, vel in elementorum connexione statuere conantur, nos in Dei ipsius nobis assistentis opere et virtute positum esse docemus.

Atque de signis sacramentorum copiose satis disseruisse nobis videmur, sic ut nostram hac in parte sententiam facile intelligi posse non dubitemus.

Restat iam, ut de altera Sacramenti parte, nempe de mysterio, etiam dicamus. Voca-(fol. 31ª)mus autem mysterium id ipsum, quod signis designatur in usu Sacramentorum. Alii signatum vocant, alii rem significabilem aut significatam; nos, si de re constet, de nominum varietate anxii esse nolumus, idque nobis satis erit, ut alteram Sacramenti

partem id esse intelligamus, quod nobis signa Sacramentorum, a Christo Domino instituta, designant attestantur et repraesentant, sive id signatum, sive mysterium, sive rem significatam, aut significabilem vocemus. Nos tamen recepta mysterii voce libenter utimur.

Caeterum in re ipsa mysterii Sacramentorum cognoscenda plus est negotii, hoc est, quidnam sub mysterii voce in Sacramentis intelligere debeamus; nam omnium fere dissidiorum fons in re Sacramentaria ex varie exposita mysterii Sacramentorum ratione profluxisse potissimum videtur; quae varietas expositionis si recte explicetur et maxime propria mysterii ratio tradatur, facile demum de exortis hac in parte dissidiis poterit iudicari, adeoque et intelligi, ubinam hactenus aberratum sit a scopo.

Neque vero tantum est inter interpretes dissidium de Sacramentorum mysterio, ut (fol. 31[b]) non magna alioqui ex parte inter ipsos conveniat. Nimirum veritas oppugnari quidem potest, expugnari prorsus non potest; estque Deus Satana multo potentior, ut veritatem, miris quidem modis atque artibus impetitam, obrui nihilominus handquaquam patiatur. Videbimus igitur, qua parte inter sese interpretes fere omnes de mysterio Sacramentorum consentiant. Deinde vero, qua parte inter sese dissideant, observabimus, dissidiique ipsius rationem ac progressum ita demum exponemus.

Fatentur omnes igitur, mysterium Sacramentorum esse nostram cum Christo Domino communionem, neque hic quidquam est dissidii. Cum enim in Christo D. sumus, quidquid omnino sumus, quod ad salutem nostram attinet, atque in Christo D. habemus, quicquid omnino habemus, — neque sane in Christo esse, neque in illo habere quidquam possemus, si non aliquam cum ipso communionem haberemus. Hac enim sola fit, ut nostra ad illum pertineant, et, quae illius sunt, nostra vicissim esse censeantur. Quod cum unicum sit salutis nostrae medium simul ac remedium, adeoque et totius Euangelici ministerii arcanum (fol. 32[a]), antea mundo toti incognitum, — sane quatenus sacramentorum ministerium est pars Euangelici ministerii, per quod arcanum hoc nostrae cum Christo communionis revelatur, hactenus neque sacramentorum aliud ullum mysterium constitui potest, nisi si extra Christum salutem nostram quaeri obtinerique posse ullo modo putamus.

Deinde in hoc quoque omnes consentiunt, quod hanc nostram cum Christo Domino communionem statuunt in unius eiusdemque corporis et sanguinis societate seu participatione, iuxta quam videlicet et Christus Dominus est caro ex carne nostra, sanguis ex nostro sanguine, os ex ossibus nostris, — et nos vicissim caro ex carne, sanguis ex sanguine, et ossa ex ossibus ipsius.

Hactenus igitur convenit inter omnes, ut fateantur unanimiter, mysterium sacramentorum esse nostram cum Christo Domino communionem in corpore et sanguine ipsius; cum alioqui certum sit, nos iuxta alteram Christi Domini naturam, nempe divinam, nullam cum ipso naturalem habere communionem, cum simus creaturae, ipse vero aeternus cum Patre suo et spiritu sancto (fol. 32[b]) Deus, laudandus in saecula. Amen.

Perinde est autem sive gratiam Dei in Christo, sive foedus Dei nobiscum, sive iustitiam fidei, sive salutem nostram mysterium Sacramentorum esse dicamus, sive nostram cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius communionem; cum Deus Pater in sua erga nos gratia, qua nos ad vitam aeternam restituit, in suo item foedere nobiscum, nostram perpetuo hanc cum Christo Domino communionem intueatur, et iustitia ipsa fidei, vitaque adeo aeterna, effectus sit ac finis nostrae huius cum Christo communionis in corpore et sanguine ipsius; extra quam alioqui neque gratiam patris Dei salutarem habere, neque in foedere ipsius esse, neque iusti per fidem censeri, et proinde neque ad vitam aeternam possumus ullo prorsus modo pervenire.

Sed haec ipsa nostra cum Christo communio varie nobis in scripturis designatur et commendatur, iam a causa ipsius, iam ab effectis, iam et a fine ipsius. Cum enim gratia sola Dei id factum sit, ut delatam nobis gratuito nostram hanc cum Christo Domino communionem in corpore et sanguine (fol. 33[a]) ipsius habeamus; et ea ipsa gratia interim pertinere ad nos non possit; nisi in nostra hac cum Christo Domino communione, sane cum Sacramentorum signa divinae erga nos in Christo gratiae signa esse docemus, nostrae illa cum Christo communionis signa esse per causas significamus.

Rursus dum signa Sacramentalia aut foederis divini nobiscum, aut iustitiae fidei, aut remissionis peccatorum, aut regenerationis ac renovationis signa vocari legimus, intelligimus eam ipsam nostram cum Christo Domino communionem nobis ab effectis seu fructibus ipsius significari et commendari. Neque enim fieri potest, ut, qui vere communicant Christo Domino in corpore et sanguine ipsius, non iam sint in foedere, non censeantur esse iusti, non regeniti in Christo, non item indies magis ac magis renoventur spiritu mentis suae. Ac rursum fieri non potest, quin iam Christo communicent fide in corpore et sanguine ipsius, quicunque ullo prorsus modo sunt in foedere, quicunque item iusti apud Deum regenitique esse censentur, et quicunque ad vitam aeternam quoquomodo renovantur, praeterquam si qui in eo ipso foedere per (fol. 33[b]) adnatam naturae nostrae infirmitatem se in foedere esse, se iustos regenitosque censeri, fidei suae

ipsorum testimonio sentire non possint. Hi enim omnes delatam sibi habent gratuito et ipsi communionem hanc cum Christo Domino, quatenus equidem membra sunt suae Ecclesiae, in qua nulla alioqui naturae nostrae adnata nobis infirmitas, in Christum ipsum translata, nobis amplius imputari potest ad nostram condemnationem; ut vel hinc facile appareat et foederis nobiscum divini firmitudinem, et iustitiam regenerationemque ac renovationem nostram fructus atque effecta quaedam esse nostrae cum Christo Domino communionis; hancque nobis per fructus et effecta sua in Sacramentis designari ac commendari, cum signa Sacramentorum signa foederis iustitiae regenerationis ac renovationis esse audimus.

Ad eundem porro modum a fine suo eandem ipsam communionem nostram cum Christo significari nobis commendarique in Sacramentis intelligimus, dum signa illorum salutis nostrae vitaeque aeternae signa esse audimus. Finis enim nostrae huius cum Christo D. communionis est vita aeterna. Venit enim Christus (fol. 84a) Dominus in nostri communionem, ne nos rursum in sui communionem recepit, ut in ipso vitam aeternam et quidem abundantissime habeamus.

Perinde est igitur, ut antea quoque diximus, sive gratiam Dei Patris in Christo, sive foedus item illius nobiscum, sive peccatorum remissionem et iustitiam fidei, sive regenerationem nostri ac renovationem, seu vero nostram cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius communionem, Sacramentorum omnium mysterium esse dicamus. Sed cum haec omnia in ipsa potissimum nostra cum Christo communione consistere atque ab illa maxima sane ex parte pendere videmus, clarius nobis rem ipsam explicaturi videmur, si Sacramentorum mysterium nostram cum Christo Domino communionem in corpore et sanguine suo esse dicamus.

Est itaque Sacramentorum omnium mysterium communio nostra cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius, quemadmodum id etiam in singulorum Sacramentorum explicatione commonstrabitur, neque hic ullam omnino controversiam esse putamus. (fol. 84b)

Caeterum in modo constituendo eius ipsius nostrae cum Christo Domino communionis, ibi vero interpretes variare primum inter sese coeperunt. Alii enim illam constituunt in eiusmodi participatione veri naturalisque, iuxta ipsam substantiam, corporis et sanguinis Christi, quae ore carnali fiat per realem, ut vocant, in caenae potissimum Sacramento, per eius elementa, illorum perceptionem. Alii vero in simili quidem etiam eiusdem ipsius corporis et sanguinis Christi naturalis iuxta ipsam substantiam sumptione, sed quae fide sola, non autem ore carnali percipiatur. Ac rursum alii, qui nostram hanc cum Christo Domino communionem, iamdudum alioqui gratuito

delatam ac perceptam, fide quidem a nobis agnosci ac sentiri, atque Ecclesiam totam in fide illius usu Sacramentorum obfirmari obsignarique docent; sed eam fidei in hac communione obsignationem non requirere, ac ne admittere quidem etiam, realem ullam eiusmodi corporis et sanguinis Christi naturalis praesentiam, nedum illam eorum, quae carnali ore fiat, perceptionem. Ita demum vero disputatum est de unione Sacramentali, qua signa (fol. 35ᵃ) Sacramentorum ab aliis signis omnibus discernerentur.

Porro inter eos rursum, qui nostram cum Christo D. communionem in eiusmodi participatione ponebant, quae in caenae Sacramento ore carnali fiat, per realem, ut diximus, in caenae elementis, corporis et sanguinis Christi naturalis iuxta substantiam ipsam perceptionem, — alii statuebant in ipsis caenae dominicae elementis miraculosam nescio quam transubstantiationem, alii vero connexionem quandam praeter naturalem etiam signatorum cum signis. Nam elementis ipsis signi nomen tribuebant, hoc est, statuebant realem quandam ac substantialem corporis ipsius naturalis et sanguinis Christi cum caenae elementis connexionem, ut quisquis caenae elementa, nempe panem ac vinum, sumeret, is in ipsis pane ac vino simul etiam perciperet vere ac realiter ipsam substantiam corporis et sanguinis Christi naturalis.

Ac primum Papa Romanus, dum talem corporis et sanguinis Christi participationem stabilire modis omnibus quaereret, quae ad tuendam ipsius tyrannidem maxime accommoda esse videretur, suam nobis transubstantiationem confinxit. Non quod illi cordi fuerit no-(fol. 35ᵃ) strae cum Christo communionis illustratio, quam alioqui obscuratam prorsusque suppressam mallet, sed quod hac via in pretio fore videbat sacerdotii sui, quantumvis Christo adversarii, ordinem, magnumque inde quaestum ad se et suos rediturum esse. Nimirum intelligebat, fieri non posse, quin in pretio semper essent futurae rasae illae unctaeque ac purpuratae simiae, quarum opificio transubstantiatio ista res, si Deo placet, tanta tamque miraculosa constaret.

Et non dubitabat plurimum ad se quaestus perventurum esse, si semel orbi persuasum esset, simias suas omnes eam potestatem autoritatemque habere, ut Christum Dominum in manus suas, quoties vellent, e coelo devocare possent. Quis enim non credat, eos omnia posse apud illum, cuius evocandi detinendique, dum vellent, ius potestatemque et autoritatem omnem haberent? Et quis non etiam talium favorem sibi multo libentissime redimeret vel dimidia bonorum suorum omnium parte, per quos Christum in suam gratiam, quoties liberet, vel invitum, evocari inque illorum manibus sisti oportere scirent? Ita igitur visum est in papatu, ut transubstantiatio in caenae (fol. 36ᵃ) elementis statueretur.

Postea vero cum transubstantiationis impietas sese indies magis ac magis (per Dei gratiam) proderet, neque caelari amplius posset, publice tandem oppugnata est, adeoque et explosa demum multis in locis, Divino beneficio. Sed ne in Sacramentis nuda deinceps signa superesse viderentur, substitui coepit post rejectam transubstantiationem realis quaedam corporis Christi naturalis cum pane et sanguinis item cum vino in caenae Sacramento connexio, sic ut panis in caenae Dominicae usu non quidem transmutetur, neque item vinum etiam, sed panis sit simul et panis, qui fuerat, et, quod non fuerat, corpus Christi; vinum item maneat vinum, sed simul et vinum et ipsa etiam substantia sanguinis Christi naturalis, visaque est haec doctrina commodissima esse ét ad explodendam Papae Romani transubstantiationem cum omni ipsius idololatria, ét ad retinendam, adeoque et tuendam, Sacramentorum, imprimis vero caenae Dominicae, dignitatem. Neque sane dubium est, quaesitam esse vere et ex amimo gloriam Dei ab huius doctrinae autoribus, tam in subvertenda Papae transubstantiatione, quam (fol. 36[b]) in retinenda dignitate Sacramentorum, et erat ingens Dei beneficium, dedisse nobis eiusmodi doctores, qui vel ipsam duntaxat transubstantiationem confutare atque explodere possent. Ita vero se accommodat infirmitati nostrae Deus Opt. Max., ut nobis non equidem subito omni ex parte innotescat, sed gradus quosdam sua nobis revelandi pro nostra infirmitate observet. Magnum erat initio, manus demoliendae transubstantiationi admovisse, cum vel mutiisse adversus illam plus quam parricidiale crimen haberetur. Habendus est igitur honoriis, quos Deus singulari suo beneficio ad convellendam transubstantiationem, et natam demum ex illa idololatriam excitavit. Non obstitit Petro Apostolo in retinenda dignitate Apostolica, quod non recto alicubi pede incesserit; et inter Paulum ac Barnabam dissidia nonnunquam intercessisse videmus; absit autem, ut hoc nomine Apostolico Petri et Pauli ministerio detrahamus. Ita et nunc iniquum fuerit, virorum Dei illorum ministerio velle quoquomodo derogare propter humanos ipsorum lapsus quosdam, per quos lucem Euangelii divino beneficio resusci-(fol. 37[a])tatam nostro hoc saeculo habemus. Longe sane nos infra Apostolos sumus et proinde humana omnia minus multo a nobis aliena esse existimare debemus. Nihil hic de patribus dicam, inter quos nemo est, qui non sua errata habuerit, quorum tamen pietas et eruditio satis praedicari non potest; sed et Petrum ipsum, post editam insignem illam de Christo Domino confessionem, non semper, quae Dei erant, legimus sapuisse. Cumque illum a Domino Satanam vocari audiamus, miramur, si et nos transverse nonnunquam ab illo, quo non oportet, trahimur, quasi non, quo praestantioribus quisque donis

a Domino ornatus est, hoo gravius etiam a Satana semper impetatur ac molestetur, aut non sit gloriosum a devicto alioqui hoste vulnus quandoque accepisse? Quid! quod Deus ipsemet ita nos aliquando labi et falli patitur, ut nos homines esse meminerimus et neque de nobis ipsi neque item de aliis supra nos cogitemus, cum alioqui nostra fere tam in nobis ipsis, quam in aliis etiam libenter (nescio quomodo) admiremur. In lapsibus igitur sanctorum Dei hominum, per quos doctrina veritatis divino beneficio reluxit, non tam homines ipsos, quam Dei potius in illis pro-(fol. 37ᵇ)videntiam intueamur, et, si quid humanum in illis deprehendimus, id non equidem ad ipsorum contumeliam, sed ad nostram ipsorum admonitionem, adeoque et ad nostram in nostris quoque erratis consolationem referamus. Pro illis vero Ecclesiae luminibus Deo nostro gratias agamus, quae ad restituendam Euangelio Christi lucem et dignitatem suam excitata esse non dubitamus. Alii autem vicissim non aequo tantum ferent animo, sed gratulabuntur etiam, si nunc quoque post primos illos revelentur aliis, quae hactenus forte ad plenum adhuc patefacta non erant. Ita nimirum alii in aliis Deum pariter laudabimus et inexhaustum in ipso donorum fontem reverenter agnoscemus. Ad eundem modum igitur et in Sacramentaria hac controversia sacrosanctam illorum memoriam habeamus, per quos Deus productam in lucem transsubstantiationis impietatem e medio sustulit, et gratias nihilominus Deo agamus, si quid post illos nobis plenius aliquo modo revelatum videmus.

Ergo qui transsubstantiationem primi subvertere sunt aggressi, connexionem illi ad retinendam Sacramentorum dignitatem (fol. 38ᵃ) substituere studuerunt, cum alioqui non deessent, qui Sacramenta nostra civilis duntaxat conversationis nostrae signa, neque quoquomodo necessaria esse, docerent. Hanc porro connexionem constare dicebant divina quadam coniunctione rei significatae cum signi elementis, quam unionem Sacramentalem vocabant, qua nimirum fieret, ut panis caenae vere ac realiter in substantia non panis tantum esset iam, sed etiam naturale ipsum corpus Christi; coeptumque est de identitatibus, ut vocant, disputari, coeptae etiam proferri similitudines quaedam, nempe ferri candentis et pleraque eius generis. Et cum multa nihilominus in hac tali unione multos etiam offenderent, quaesita est demum et alia unionis ratio, nempe ut ipsa corporis et sanguinis Christi naturalis substantia diceretur esse in caenae dominicae elementis vere quidem et realiter, non tamen localiter neque naturaliter, sed diffinitive.

At vero ne haec quidem diffinitiva praesentiae connexionisque ratio satisfacere omnibus potuit. Qualiscunque enim unio eiusmodi statue-

retur, quae modo substantiam ipsam corporis et sanguinis Christi naturalis (fol. 38[b]) signorum elementis in usu Sacramentorum vere et realiter in specie ipsa connecteret, vitari haudquaquam posset, quin et pios simul et impios corpori et sanguini Christi ex aequo participare fateri cogeremur. Quod etsi defendere quidam sunt conati, tamen in eius doctrinae defensione citra contumeliam corporis et sanguinis Christi persistere non possunt.

Coepit igitur tandem universa haec doctrina de tali corporis et sanguinis Christi cum signorum elementis in caenae connexione oppugnari, et docebatur, nullam realem istiusmodi connexionem et proinde ne unionem quidem hanc ullo modo requiri ad veram ac salutarem nostram cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius communionem.

Hic vero pugna protinus incruduit, visique sunt isti adimere velle Sacramentis omnibus omnem ipsorum efficaciam et dignitatem; illi contra Capernaitae vocabantur, etiamsi ipsi hoc nomen a se depellere conarentur, eoque demum ventum est, ut alii alios proscinderent, ac diris ad extremum omnibus non sine gravibus praeiudiciis et magno multorum offensione devoverent. (fol. 39[a])

Non defuere tamen viri et docti et pii, qui cum viderent, quorsum haec controversia tandem evasura esset, aliam demum rationem unionis Sacramentalis tradiderunt, qua se utrisque istis satisfacturos esse putabant, nempe quod, omissa priore illa doctrina de reali corporis et sanguinis Christi naturalis iuxta speciem ipsam cum ipsis caenae elementis connexione, alia rursum Sacramentalis unionis ratio statuenda esset, quae non iam in signi elemento in caena, sed in signo ipso, hoc est, in ipsa externa caenae forma seu ceremonia, ut est a Domino instituta, observanda esset, hoc est, in ipso ministri opere, ut Dei ordinatione; quae tamen eiusmodi unio ad pios duntaxat ac fideles, non autem ad impios, pertineret, sic ut pii duntaxat corpori et sanguini Christi in usu Sacramentorum communicare credantur.

Caeterum ne haec quidem doctrina probari adhuc omnibus potuit, quod multa secum incommoda adferre etiam videretur, aliaque rursum doctrina tradita est de Sacramentali unione, nempe unionem Sacramentalem consistere, non in connexione ulla reali signatorum cum elementis, neque item in (fol. 39[b]) operis ministrorum efficacia ulla aut dignitate, sed in spiritus sancti, nostro ministerio assistentis, opere divino, quem Christus alioqui Dominus assiduum suum habet testem glorificatorem et cooperarium in omni sua doctrina et institutione.

Haec igitur omnis doctrinae varietas in unionis Sacramentalis consideratione versatur, quod alii illam statuunt in connexione signatorum

cum elementis, alii vero in ministri opere, nomine sui ministerii, alii vero in opere spiritus sancti, qui et ipse est assiduus, ut diximus, testis glorificator et cooperarius Christi Domini in ipsius institutione.

Non attinet autem commemorare, quinam in aliqua istarum sententia sunt aut fuerunt. Res notior est, quam ut repeti hic debeat, et nos, praeter transubstantiatorios doctores illos, quorum sane blasphemiae et idololatria in Christi Ecclesia ferri non possunt, reliquos omnes in Domino veneramur, memoriamque illorum, etiamsi alicubi humanum quiddam passi sint, sacrosanctam plane habemus, ut quos toto pectore gloriam Dei quaesivisse et admirandis Dei (fol. 40ᵃ) donis insigniter ornatos fuisse, nullo modo dubitamus.

Omissis itaque nominibus, rem ipsam intuebimur et videbimus, num vera Sacramentalis unio posita sit aut in reali illa signatorum sum signorum elementis connexione, aut in ministri opere, ministerii sui nomine, aut in opere spiritus sancti ipsius.

Cum autem alia unionis ratio in Sacramentis constitui nulla possit, nisi quae mysterio ipsi omnium Sacramentorum respondeat ac subserviat, quod in nostra cum Christo Domino communione positum esse ostendimus, ipsa nobis ratio nostrae cum Christo Domino communionis exponenda est, ut videamus, qua parte communio haec Christi nobiscum ac nostra cum ipso vicissim sit mysterium omnium sacramentorum. Ita enim facile demum intelligemus, quaenam unionis controversae istius explicatio magis ad institutum sacramentarium facere, mysterioque ipsorum magis subservire videatur. Itaque nostrae cum Christo communionis rationem intueamur.

Primum autem vox ipsa communionis exponenda est, quae Graecis κοινωνία voca-(fol. 40ᵇ)tur, ut rem ipsam postea melius cognoscere possimus.

Κοινωνία igitur apud Graecos ambigua vox est, quemadmodum et apud Latinos communio, sic ut ét active ét passive accipi possit, sive vocemus ipsi in communionem alios, sive ab aliis vocemur. Communicare enim dicimur ét cum, quae nostra sunt, aliis impertimur, ét cum in eorum, quae nostra non sunt, participationem vocamur, usumque eius ipsius participationis retinemus. Apud Latinos tamen in activa significatione communicatio, in passiva vero significatione communio fere vocatur, etiamsi alterum pro altero usurpari possit.

Iurisconsulti societatem super rerum aliquarum communione initam κοινωνίαν appellant, estque titulus apud illos, περὶ κοινωνίας, hoc est, de inita super rerum communione societate, sive eum, qui communionem deferat, sive illos, qui in eam vocati sint, intueamur; et qui eiusmodi societatis participes sunt, κοινωνοί vocantur.

Hic igitur imprimis considerandum est, num communionis vocem active, an vero passive exponere debeamus, quatenus sane com-(fol. 41ᵃ)munio mysterium est omnium Sacramentorum, quod ad nos quidem attinet, qui Sacramentis utimur.

Et Paulus quidem in explicando coenae dominicae mysterio κοινωνίαν non sane active pro ipso communicationis actu, quo de nostro aliquid aliis impertimur, sed passive potius pro usu atque iure communionis nobis aliunde delatae usurpare videtur, dum coenae Sacramentum communionem corporis et sanguinis Christi esse docet. Neque enim dicit, unum panem, unum corpus distribuimus aut impertimur aliis, sed, unus panis, inquit, unum corpus sumus. In parte vero censeri eius rei, cui communicamus, longe est aliud, quam rem aliquam distribuere aliis et impertiri, cum hoc activae sit significationis, illud vero passivae. Cum igitur Paulus eiusmodi communionem corporis Christi in coenae dominicae mysterio statuat, qua multitudo universa Sacramentum coenae peragens sit ipsa, non autem distribuat unum corpus, — perspicuum est, vocem communionis in passiva, non autem in activa significatione, usurpari, nempe pro societate gratuito nobis delata, iureque ac usu illius in corpore et sanguine Christi. (fol. 41ᵇ)

Praeterea idem ipse Paulus vocem κοινωνίας paulo post exponit per vocem passivam, nempe participationem, dum, sumpto a contrariis argumento, ad eundem modum epulas immolatitias κοινωνίαν esse docet corporis daemoniorum, quatenus sane convivas epularum illarum κοινωνοὺς τῶν δαιμόνων appellat, ad quem modum convivas mensae dominicae unum panem, unum corpus in Christo hauddubie esse dicebat. Et, quos semel κοινώνους vocarat, eos mox μετόχους, hoc est, participes esse docet. Non potestis, inquit, mensae Domini μετέχειν, hoc est, participare, seu participes esse, et mensae daemoniorum, ut idem sit Paulo (hoc quidem in loco) communio et participatio, quae sane apud Graecos active exponi non potest.

Postremo ipsa Paulina argumentatio eo loco manifeste testatur, κοινωνίαν passive omnino accipi oportere. Cum enim, facta collatione epularum immolatitiarum, ac deinde etiam sacrificiorum in Israële, cum coena Domini, ad eundem modum et epularum immolatitiarum convivas, et, qui de hostiis Israëlis edebant, illos quidem daemoniorum, hos vero sacrarii κοινωνούς vocat, ad quem modum convivas coenae Dominicae κοινωνούς (fol. 42ᵃ) corporis et sanguinis Christi, seu unum corpus in Christo esse docet, — equidem, si vox communionis in verbis de coenae mysterio active pro distributione ipsa accipi debeat, quae quidem ministri manibus fiat, sic ut communionem illam distributione per ministri manus corporis ipsius et sanguinis Christi natu-

ralis constare intelligamus, — ad eundem proculdubio modum et alteram illam daemoniorum communionem distributione ipsa daemonum per ministri manus, ac rursum communionem illam sacrarii divini, quae sane et ipsa communionem corporis Christi in se complectebatur, ipsa etiam distributione per manus ministri constare oportebit. Aut sane in verbis de caenae mysterio vox communionis active exponi ad hunc modum non poterit, si in utraque altera illa communione active ad eundem modum accipi non queat.

Quo pacto vero aut in immolatitiis epulis daemones ipsi ministrorum manibus, aut rursum in Israelis sacrificiis sub sacrarii nomine Deus ipse, ipsumque adeo corpus Christi, quod nondum extabat, distribueretur, cum neque daemones manibus teneri, nedum distribui possent, (ut de divina natura tace-(fol. 42[b])am) et filius Dei nullum adhuc corpus haberet, — et nihilominus tamen Israelis Ecclesia ipsi corpori ac sanguini Christi in suis illis sacrificiis vere et ad salutem communicaret, nisi si non eandem nobiscum escam spiritalem ederunt, idemque poculum biberunt, nempe Christum; contra quam Paulus docet.

Quod si neque in epulis immolatitiis, neque item in Israelis sacrificiis, communio ipsa vel daemonum, vel sacrarii, in aliqua eiusmodi distributione constitui potest, quae manibus ministri perageretur, quemadmodum sane constitui nulla ratione potest, — equidem, si collatio Paulina valere debeat, ne in caena quidem Domini communio nostra in corpore et sanguine Christi constitui ullo modo potest in ea, quae manibus ministri fiat, corporis et sanguinis sui naturalis distributione aut porrectione.

Unde demum facile est videre, contra mentem Pauli nos facere, si vocem communionis in verbis suis de caenae mysterio active pro ipsa distributione, et non potius passive pro ipsa participatione seu societate iureque et usu illius accipiamus; in qua quidem societate vere ad salutem nostram fruamur (fol. 43[a]) ipso corpore et sanguine Christi, etiamsi de tali illius distributione, quae per coenae elementa ministri manibus fiat, nihil omnino imaginemur.

Estque iam perspicuum, vocem communionis in Pauli de caenae mysterio verbis non active pro distributione porrectioneve per ministrum, sed passive potius pro societate iureque ac usu communionis accipi oportere, quae nullam istiusmodi distributionem requirat.

Et, si in coenae mysterio vox communionis active pro distributione exponi non potest, de quo alioqui potissimum interpretes dissidere videntur, sane ne in aliis quidem Sacramentis active exponi quoquomodo potest, cum sit unum atque idem mysterium omnium Sacramentorum, quemadmodum dictum est iam ex parte et adhuc dicetur.

Quod igitur ad vocem communionis attinet in Sacramentorum mysterio, cum nobis iuxta Pauli doctrinam passive pro societate iureque ac usu communionis, non autem pro distributione aut porrectione activa ipso per manus ministri impertiendi accipiendam esse videmus. (fol. 43b)

Neque vero ideo, quod vocem communionis passive accipiendam esse dicimus, ipsam corporis et sanguinis Christi exhibitionem excludimus ab usu nostrorum sacramentorum. Quae enim esset societas ususque communionis, si id non haberetur, in quo communionem habemus? ac rursum quomodo haberetur, si non exhiberetur? Fatemur igitur exhibitum nobis esse iam olim, adeoque et exhiberi semper, omnium autem significatissime in usu Sacramentorum, corpus et sanguinem Christi Domini; alioqui usum illius habere non possemus, nisi exhiberetur: sed eam exhibitionem positam esse dicimus non in ministri opere, ministerii etiam sui nomine, ut ille videlicet suis manibus in ipsis Sacramentorum elementis, aut cum illis, distribuat naturale corpus et sanguinem Christi, sed in ipsiusmet Christi Domini opere, qui subvectis fide per spiritum suum nostris in coelum cordibus iuxta interiorem in nobis hominem, corpore nos ipsemet suo ac sanguine pascit ad vitam aeternam in usu legitimo suorum Sacramentorum.

Non igitur veram ac salutarem corporis et sanguinis Christi exhibitionem ab usu Sacramentorum excludimus, etiamsi illam neque reali ulla (fol. 44a) cum elementis connexione, neque item ministri opere ullo constare dicamus. Atque de voce communionis tantum.

Iam in eiusmodi societatibus, super aliqua communione initis, fit quandoque, quod ad rem ipsam attinet, ut, qui talem societatem ineunt, utrinque aliquid conferant, communeque simul omnium esse incipiat, quod antea singulorum proprium erat. Fit etiam, ut unus duntaxat sua in commune cum multis conferat, solusque ipse communionem instituat.

Et in nostra igitur cum Christo Domino communione id quoque observandum est, num ille solus de suo ad eam communionem conferat omnia, et nihil a nobis accipiat, — an vero utrinque aliquid sit collatum, nempe ét a nobis, quod nostrum antea proprium erat, ét a Christo Domino etiam, quod ad illum solum antea proprie alioqui pertinebat.

Deinde si ad eam ipsam communionem utrinque aliquid est collatum, nempe ét a nobis ét a Christo Domino, id quoque observandum erit, ab utra parte primum aliquid conferri coeperit, an vero simul utriuque omnia sint collata. Plurimum enim interest, ordinem huius communionis observasse. (fol. 44b)

Hic vero de utroque hoc per scripturas docemur, nempe et utrinque collatum esse ad eam communionem, quod antea cuique parti proprium fuerat, (a nobis videlicet, quod nostrum proprium erat, et a Christo Domino, quod ad illum proprie pertinebat) atque a nobis prius in Christum Dominum, quod nostrum proprium fuerat, deinde vero a Christo Domino, quod illius proprium erat, in nos collatum esse.

Diximus autem antea, neque nos cum Christo Domino, neque illum nobiscum, ullam habere naturalem communionem in divina natura ipsius, iuxta quam alioqui cum suo Patre duntaxat et sancto spiritu est unus atque aeternus Deus, sed communionem, quam et ille nobiscum habet et nos cum ipso vicissim, consistere in humanitate ipsius, hoc est, in corpore et sanguine ipsius.

In hac igitur corporis et sanguinis sui communione, docet Scriptura, Christum Dominum corpus et sanguinem suum ét accepisse a nobis, ét rursum etiam nobis tradidisse. Accepisse a nobis Christum Dominum corpus et sanguinem suum, docet Paulus, dum illum semen Abrahae superassumpsisse [1]), (fol. 45[a]) eiusdem item carnis et sanguinis participem factum esse, cum quo pueri, hoc est, Catholica Dei Ecclesia, communionem habebant; et, cum in forma Dei antea esset, formam servi accepisse testatur [2]). Tradidisse autem nobis illum corpus et sanguinem suum, verba caenae solemnia illa apud Euangelistas et Paulum ipsum docent. Videndum igitur erit, quidnam in communi iam nobis simul et Christo Domino corpore ac sanguine nostro, aut nobis, aut Christo Domino proprium fuerit ante institutam illius nobiscum et nostram secum communionem. Quod enim nobis proprium antea fuerat, id sane a nobis in illum; quod vero illius proprium erat, id in nos ab illo collatum esse in ea communione instituenda intelligemus. Quorsum enim attinebat, Christum D. aut a nobis accepisse id, quod prius habuisset, aut in nos contulisse, quod ante institutam etiam communionem ad nos alioqui pertinebat?

Iam cum clarissimis scripturae testimoniis doceamur, Christum D., quatenus ex matre virgine spiritus sancti opificio genitus est, ex patribus, quantum ad carnem attinet, progenitum esse, et dubium non sit, liberos omnes ex ipsis progenitorum suorum lumbis corporis et san-(fol. 45[b])guinis sui originem iuxta substantiam ipsam ducere ex Dei ipsius ordinatione, dum ad primos nostros progenitores diceret ex aequo: Progignite multiplicemini et replete terram. Cum item scriptura aperte testetur, Christum D. ad eundem plane modum (duabus duntaxat exceptionibus additis) participem factum esse nostrae carnis et nostri sanguinis in sua incarnatione, ad quem modum nos

[1]) Heb. 2. [2]) Phil. 2.

quoque progignimur [1]). Praeterea cum angelus in sua ad matrem virginem legatione omnes progignendi partes virgini ipsi matri diserte adscribat, dum eam et concepturam et parituram esse annunciat filium, etiamsi nullius viri attactum sustinuisset, atque in suis illis exceptionibus nihil aliud de lege naturae in liberis progignendis mutet, quam quod virgo mater Christum D. primum virtute ac opificio spiritus sancti, non autem ullo ullius hominis opera, deinde sanctum, non autem ulli peccato subiectum, conceptura et paritura esset; caetera vero omnia verae ac naturalis matris officia in progignendo suo filio iuxta leges naturae humanae perageret; — cum haec ita, inquam, claris ac evidentibus scripturae testimoniis doceamur, simul sane docemur, Christum D. in instituenda hac nostra communione corporis et sanguinis sui substantiam, nobis solis alioqui antea propriam, a nobis ex (fol. 46ᵃ) matre virgine accepisse, et proinde id, quod ipse de suo ad eandem corporis et sanguinis sui nobiscum communionem attulit, aliud esse oportere, quam ipsam substantiam corporis et sanguinis sui naturalis, etiamsi ab illo nobis corpus et sanguinem in verba caenae tradi audiamus. Neque enim traditio in verbis caenae violat fidem locorum, quae illum corporis et sanguinis sui substantiam a nobis, ex matre virgine progenitrice sua, spiritu sancto autore accepisse testantur. Et certum est tamen, aliquid illum de suo in corpore suo et sanguine ad nostram secum communionem contulisse, posteaquam in verbis caenae et alibi, corpus se et sanguinem suum nobis in cibum et potum tradere testatur. Videndum est igitur, quidnam nobis ad nostram secum communionem de suo contulerit Christus Dominus, et quidem in corpore et sanguine suo, posteaquam illius substantiam a nobis (dudum alioqui nobis antea propriam) ex matre virgine, ut dictum est, accepit. Neque enim cogitandum est, Christum Dominum in caenae suae verbis ludere ita voluisse, ut vel nihil de suo nobis traderet in corpore et sanguine suo, cum nostram no-(fol. 46ᵇ)bis secum in corpore et sanguine suo communionem attestaretur in caena sua et commendaret; — vel id ipsum traderet, quod ad nos proprie iam olim etiam ante institutam illius nobiscum communionem pertinebat, quodque a nobis ipse, ut dictum est, in instituenda hac ipsa nobiscum communione per suam incarnationem accepit. Perinde est enim, sive Christum Dominum de suo nibil omnino, sive id, quod nobis proprium alioqui antea iam fuerat, in nostram communionem contulisse dicamus; quod sane ab omni Christiano homine alienum esse debet.

Indicat nobis igitur scriptura etiam, quidnam Christus Dominus in corpore et sanguine suo nobis ad nostram secum communionem con-

---

[1]) Heb. 2.

tulerit, nempe meritum et gloriam passionis mortis et resurrectionis suae, quae illi soli alioqui in corpore suo, a nobis accepto, propria erant, quaeque ad nos pertinere nullo modo potuissent, nisi ille eorum nobis communionem in corpore et sanguine suo, a nobis hoc fini accepto, gratuito pro sua misericordia detulisset.

Cumque meritum ipsum passionis ac mortis Christi, gloria item suae resurrectionis, (fol. 47ª) soli ipsi in corpore suo, a nobis accepto, propria esset, neque ad nos pertinere ullo modo posset, nisi per delatam nobis eius communionem, atque hoc ipsum meritum passionis et mortis Christi, eademque ipsa resurrectionis suae gloria, non minus ad nos iam, quam ad Christum ipsum in corpore suo pertineat, — perspicuum est, Christum D. ad nostram secum communionem in corpore et sanguine suo non equidem horum substantiam naturalem, quam nobis antea propriam ad suam nobiscum communionem ipse a nobis acceperat, de suo contulisse, sed meritum potius ac gloriam sacrosancti corporis et sanguinis sui, morte sua partam et resurrectione apertissime declaratam.

Ita sane Christus ipsemet D. in caena sua de corpore suo loquitur, non quatenus incarnatus esset, sed quatenus iam iam esset moriturus. Et Paulus Apostolus caenam Domini non sane incarnationis, sed mortis dominicae rememorationem esse docet, ut intelligamus, coenae dominicae verbis communionem nobis in corpore et sanguine Christi D. commendari, non iuxta substantiam ipsorum naturalem, quam ille nobis multo antea propriam in instituenda sua no-(fol. 47ᵇ)biscum communione a nobis, ut dictum est, ex matre virgine accepit, — sed iuxta id, quod ipse de suo proprio contulit ad eam ipsam communionem, iuxta meritum inquam passionis ac mortis suae et gloriam admirandae suae resurrectionis.

Hoc sane testantur verba ipsa Christi D. de corpore et sanguine suo in caena addita: Quod pro vobis traditur, Qui pro vobis funditur, ut intelligamus, coenam Domini esse *καταγγελίαν* non equidem incarnationis Dominicae, qua ille substantiam corporis et sanguinis sui a nobis in communionem suam nobiscum accepit, sed mortis et passionis suae, qua nostra omnium corpora et nostrum omnium sanguinem, suspenso in cruce corpore suo et fuso suo in carne nostra sanguine, perfecta plane reddidit, prorsusque sanctificavit, quemadmodum Paulus docet; praeterquam si hanc huius meriti ac gloriae communionem, huius inquam sanctificationis donum, morte Christi Domini de suo nobis gratuito in commune delatum, nostra ipsi impietate a nobis abiiciamus, nosque ab illius ita nobis delata communione destinato contemptu nostro, Iudae exemplo, excludamus.

ol. 48ª)

Habemus igitur, quidnam utrinque sit collatum, a nobis videlicet et a Christo Domino, ad eam, quae est inter nos et ipsum, communionem; nempe a nobis collatam esse ex matre virgine substantiam ipsam, quae nobis propria erat, corporis et sanguinis ipsius, — ab ipso vero collatam vicissim esse gratuito partam per mortem suam nostrum omnium sanctificationem, quae illi, tradito in mortem in carne nostra corpore suo et fuso item suo sanguine, propria alioqui erat.

Inde vero etiam intelligere et alterum illud possumus, quod in ea, quae est inter nos et Christum, communione observandum esse dicebamus, nempe simul ne, an vero per temporis intervalla utrinque collata sint ista ad eam ipsam communionem. Cum enim communio ipsa non ante coeperit institui, nisi in ipsa Christi Domini incarnatione, et, quod a nobis ad eam communionem est collatum, in ipsa incarnatione collatum est, quodque ab illo est collatum, morte ipsius collatum est, — dubium sane esse non potest, prius multo a nobis, quod nobis proprium fuerat, quam a Christo Domino, quod suum erat, ad eam communionem, quae inter nos et ipsum est, col-(fol. 48[b]) latum esse; quodque iam in commune nos de nostro ex matre virgine contuleramus in Christi Domini incarnatione, id iam nobis cum illo commune fuisse etiam ante passionem ac mortem ipsius, ut denuo id ab illo in commune conferri non oportuerit, nisi si actum agere voluisset, quod nobis sane de Christo Domino cogitare non licet.

Utrunque igitur id ex scripturis docemur in communionis, quae inter nos et Christum est, consideratione, nempe utrinque aliquid collatum esse ad eam communionem, quae est inter nos et ipsum in corpore et sanguine ipsius, quidque utrinque sit collatum, et quo tempore utrinque sit aliquid collatum.

Nunc porro videndum erit, cur ita Patri nostro coelesti complacuerit eam, quae est inter nos et suum unigenitum filium, communionem instituere, ut ad eam utrinque aliquid conferretur, ut ipsa communionis nostrae cum Christo ratio, quatenus verbo Dei nobis est patefacta, plenius cognosci possit.

Vita aeterna ad nos in primo nostro progenitore Adamo, priusquam peccasset, pertinebat, quatenus ille quidem in similitudine Dei conditus erat [1]), sanctus videlicet ac im-(fol. 49[a])mortalis vitamque victurus aeternam, si non sibi ipsemet per suam inobedientiam mortem aeternam accersivisset [2]). In illius enim lumbis iam tum eramus omnes, ut, quae illius ante peccatum erant, nostra quoque futura fuerint omnia, quemadmodum et nunc, quae post peccatum illius erant, nostra quoque esse etiamnum, quod in nobis quidem est, videmus [3]).

[1]) Gene. 1. [2]) Gen. 2, 3. [3]) 1 Cor. 15. Rom. 5.

Ab hac vero vita aeterna etsi per eiusdem primi nostri progenitoris inobedientiam exclusi prorsus essemus, sic ut mortis aeternae imperium in nos tyrannus noster (Satan inquam ipse) haberet [1]); quia tamen non ullo rebelli contemptoreque divinorum omnium animo progenitores nostri peccarunt, sed iudicio suae rationis per imprudentiam decepti, ubi divini iudicii severitatem non satis perpendissent [2]), succurrit illis et nobis (in illis) omnibus, divina misericordia effecitque, ut vita nihilominus aeterna, non quidem in nobis ipsis iam, qui ab illa prorsus excideramus, sed in filio Dei ad nos pertineret, quatenus tantum ipsius beneficium non contemneremus [3]).

Interim vero satisfieri oportuit etiam iustitiae Patris Dei, quae quidem in lato semel decreto suo adversus nostri progenitoris inobedientiam non potuit violari. Eiusmodi igitur remedium mortis nostrae constitui oportuit in filio (fol. 49[b]) Dei, per quem alioqui vita aeterna ad nos, quamlibet morti aeternae subiectos, iuxta patris Dei providentiam, pertinebat, quod nobis quidem vitam aeternam, iam amissam, restitueret, sed iustitiae nihilominus patris Dei etiam in suo iudicio satisfaceret. Non enim repugnat in Deo iustitiae misericordia, sed veritas iustitia pax et bonitas sese in illo mutuo osculantur [4]).

Porro decretum aeternae Dei adversus nostrum carnem et nostrum sanguinem iustitiae hoc erat, ut aut in vita aeterna permaneret, si Domino Deo suo in mandati sui divini obedientia adhaereret [5]), aut ab illa omnino ita excluderetur, si mandatum divinum quoquomodo per transgressionem violasset, ut ad eam restitui in aeternum nullis suis viribus nullaque sua industria aut dignitate unquam omnino posset [6]). Aeternum igitur hoc decretum iusti Dei atque immutabile esse oportuit, quemadmodum iustitia ipsius aeterna atque immutabilis est, neque caro nostra sub mortem iam per peccatum conclusa, ad quam alioqui adhuc vita aeterna in Dei filio iuxta patris Dei providentiam pertinebat, ullo alio modo ad eam ipsam vitam, a qua exciderat, restitui potuit, nisi rursum per obedientiam suam, quemadmodum per propriam inobedientiam in primis nostris progenitoribus a vita exclusa (fol. 50[a]) erat. Alioqui non esset aeternum atque immutabile decretum illud Dei, quo nostrae et non alteri carni vitam aeternam addicit in nostris primis progenitoribus, quatenus illi in eadem ipsa carne nostra mandato ipsius obediissent.

At vero in universa carne nostra humana nemo reperiri potuit, qui amissam semel obedientiam redintegrare rursum posset, atque ita de-

---

1) Heb. 2. 2) Gen. 3. 3) Psal. 103. 4) Psal. 85. 5) Gene. 2.
6) Eccl. 12.

mum vitam quoque aeternam restitueret. Et tamen in carne nostra obedientiam redintegrari oportebat, siquidem nostra caro servari rursum debuisset, ut ne praeter decretum Dei semel prolatum servaremur, cum alioqui vita ipsa aeterna ad nos, quantumvis morti iam subiectos, in filio Dei iuxta patris Dei, ut dictum est, providentiam pertineret [1]).

Cum igitur vita nostra etiam ante conditos progenitores nostros primos in filio Dei ad nos pertineret, et eam, in primis nostris progenitoribus amissam, nemo inter homines Adamo similes in carne nostra restituere posset, quatenus nemo amissam semel obedientiam redintegrare rursum potuit, — et tamen obedientiam nihilominus in carne nostra redintegrari oporteret, siquidem iuxta decretum Dei caro nostra servari rursus debebat [2]), (fol. 50b) poscebat hoc aeterna atque immutabilis Dei in suo decreto iustitia, ut is ipse, in quo vita aeterna ad carnem nostram pertinebat, nempe filius Dei ipse, fieret, quod nos sumus, nempe homo, ut amissam per hominem obedientiam homo in hominibus (quod nemo alius praestare potuit) redintegraret, — atque ita, redintegrata demum carnis nostrae in suo corpore obedientia, et expiata item eiusdem carnis nostrae in corpore suo inobedientia, viam rursus ad vitam aeternam, per hominem in carne nostra amissam, homo etiam in eadem ipsa carne nostra hominibus, suae inquam Ecclesiae, praepararet.

Sed cum id cum divinae existentiae aeternitate pugnaret, ut Deus verteretur in hominem desineretque semel esse quod erat, [3]), fieri enim non potuit, quin converso in hominem, hoc est, in carnem Deo filio, Deus quoque Pater et Spiritus sanctus simul converteretur, iamque desineret aeterna atque immutabilis esse divina illa spiritus, non autem carnis, existentia, quae quidem una est atque eadem prorsusque individua ab aeterno et in Patre simul et in filio et in spiritu sancto, cum [4]), inquam, id modis omnibus pugnaret cum aeterna illa et immutabili unaque item et (fol. 51a) eadem ac prorsus individua divinitatis, qua Deus spiritus est [5]), in patre pariter ac filio et spiritu sancto existentia, ut Deus filius in carnem seu hominem, mutata spiritus existentia, verteretur, — et tamen filium Dei, ut decreto patris sui in restituenda nobis salute nostra satisfaceret, hominem seu carnem fieri oporteret, ad redintegrandam, quae per nostros progenitores violata fuerat, nostram in carne etiam nostra obedientiam [6]), — visum est patri Deo, ut unigenitus eius filius in sua incarnatione non equidem aeternam spiritus illam existentiam carnis existentia

[1]) 2 Tim. 1. Eph. 1. [2]) Heb. 2. [3]) Osee. 13. Iac. 1. [4]) Deut. 6. [5]) Io. 4. [6]) Rom. 8.

commutaret, cum id ipsa divinitatis totius existentia individua ferre non posset, sed huic aeternae et nunquam in aeternum mutabili spiritus existentiae semen Abrahae, ex matre virgine autore spiritu sancto assumptum, superinduceret [1], atque ita demum, permanente prorsus integra in aeternum divinitatis suae una illa eademque et individua cum patre suo et spiritu sancto existentia, particeps nihilominus fieret carnis nostrae et nostri sanguinis [2], ut in nostra carne, divinae suae naturae per eiusmodi assumptionem coniuncta, carnis etiam nostrae inobedientiam corporis sui oblatione ex-(fol. 51ᵇ) piaret per mortem, et amissam olim obedientiam rursus redintegraret per donatam nobis gratuito omnis suae sanctitatis et innocentiae, in carne nostra servatae [3], omnis item sui meriti ac gloriae, morte sua partae, plenam ac salutarem communionem. Ita, enim et non aliter, satisfieri potuit aeternae patris Dei in suo decreto iustitiae, et nihilominus aeternae illi divinitatis in filio Dei existentiae ac dignitati nihil omnino derogari.

Ita scriptura passim, oportuisse in Christo Domino omnem compleri iustitiam, oportuisse illum pati, oportuisse exemplo serpentis aenei exaltari, oportuisse denique mori ac resurgere, et proinde oportuisse etiam carnis nostrae participem fieri, ut vere mori posset, testatur [4]. Cum enim in solam duntaxat nostram et non aliam ullam carnem mortis imperium apud Satanam, per peccatum nostrum, extaret, — sane neque mori neque pati vere et proinde ne iustitiae quidem patris sui satisfacere Christus D. potuisset, nosque adeo omnes in peccato et morte haerere omnes oporteret, si ullius alterius et non nostrae carnis Christus D. particeps factus fuisset.

Non tantum igitur id scripturae autoritate docemur, quod Christus D. corporis et sanguinis (fol. 52ᵃ) sui substantiam non equidem nobis in coena sua donavit, sed a nobis ex matre virgine in sua incarnatione accepit; verum rationem quoque divini hac in parte consilii patefactam nobis habemus, ut intelligamus, per redintegrationem nostrae in carne nostra obedientiae, quam Paulus legis iustificationem vocat et in carne in nobis adimpleri oportuisse docet [5], vitam nobis rursus aeternam in Christo Domino restitutam esse.

Sed in hac tamen carnis nostrae per Christum Dominum superassumptione id etiam observare debemus, quod per spiritum sanctum non temere exceptum esse audimus, nempe carnis nostrae qualitatem, hoc est, peccatum seu peccati servitutem. Hic enim spiritus sanctus carnem nostram in Christi corpore hac qualitate liberat per angeli-

---

[1]) Heb. 2. Matth. 1. Luc. 1. [2]) Heb. 2. [3]) Rom. 8.
[4]) Matth. 3. Matth. 16. Luc. 9. 17. 24. Io. 3. Rom. 8. [5]) Rom. 8.

cum apud matrem ipsam et Paulinum rursus testimonium, cui et Prophetae alioqui et Israeliticorum sacrificiorum umbrae modis omnibus astipulantur. Angelus enim sanctum vocat, quod virgo mater ex sese autore spiritu sancto progenitura erat, et Paulus peccati conditionem diserte excipit in Christi Domini humanitate, ut ostendat, substan-(fol. 52b)tiam quidem ipsam carnis nostrae naturalis, qualis videlicet in Adamo ante peccatum fuerat, Christum Dominum in se assumpsisse; caeterum contractam illam post peccatum qualitatem ipsius non item, nempe peccati, ut dictum est, servitutem. Quodque alibi Scriptura ait, illum sustulisse peccatum mundi, in illum translatas esse omnes iniquitates nostras, et quae eius generis habentur, id pii omnes intelligunt pro culpae peccatorum imputatione accipiendum esse, hoc est, culpam peccatorum nostrorum seu iniquitatum nostrarum imputatione divini iudicii in ipsum translatam esse, ut corporis sui immaculati oblatione propitiatoria expiaretur.

Substantiam duntaxat igitur carnis nostrae assumpsit a nobis Christus Dominus in instituenda nobiscum communione, non autem qualitatem illius, nempe peccati servitutem, quae non equidem per nostri creationem, sed per progenitorum nostrorum peccatum, nobis propria esse coepit. Qualitas autem carnis nostrae per peccatum inducta nobis mansit propria in Christi Domini incarnatione.

Reliquit porro nobis adhuc propriam carnis nostrae qualitatem istam Christus Do-(fol. 53a)minus in sua incarnatione, ut substantiam carnis nostrae in suo corpore per suam obedientiam sanctificaret, quemadmodum illam primus noster progenitor olim per suam inobedientiam in universa sua posteritate contaminarat, atque, sanctificata ita demum in se carne nostra, qualitatem carnis nostrae nobis relictam, sancti corporis sui oblatione loco nostro facta, expiaret, perinde atque si omnium mortalium nocentissimus esset.

Id sane praestare non poterat coram iusto patris sui iudicio, si cum carnis nostrae substantia qualitatem quoque illius in se recepisset. Proinde Deus optimus ita est moderatus consilium divinae hac in parte providentiae suae, ut, quoniam Christo Domino in carne nostra non pro suo, quod nullum habebat, sed pro nostro omnium peccato moriendum erat, substantiam duntaxat carnis nostrae in se reciperet, — non autem qualitatem. Alioqui si qualitatem quoque carnis nostrae cum eius substantia recepisset, nempe peccati servitutem, non illi iam pro nobis nostrove peccato, sed pro seipso suoque peccato, moriendum fuisset.

Ut igitur non pro se suoque ipsius peccato, sed pro nobis nostroque peccato, **mori in carne nostra, mortisque suae merito propriam adhuc illam (fol. 53b) carnis nostrae in nostris corporibus qualitatem,**

ipsam inquam peccati et mortis servitutem, non quidem a nobis in vita hac nostra tollere omnino (non enim amplius virtutem suam divinam in nostra infirmitate illustrandi occasionem ullam habuisset), sed culpam illius omnem merito corporis et sanguinis sui innocentissimi in eadem ipsa carne nostra eluere expiareque posset: posset item, expiata ad hunc modum culpa omni propriae nostrae qualitatis, cum vere demum contegere in patris sui coelestis iudicio propria corporis et sanguinis sui qualitate, nempe innocentia iustitia et sanctitate, in qua neque ipsa etiam legis divinae severitas desiderare ullo modo aliquid omnino queat, delata nobis gratuito plena illius et salutari communione, — ut inquam haec omnia filius Dei, non violato interim aeternae patris sui iustitiae decreto, fideliter praestare posset, posteaquam vita adhuc aeterna in ipso ad nos, etiam post lapsum progenitorum nostrorum, iuxta aeternam Dei providentiam pertinebat, substantiam ipse duntaxat carnis nostrae a nobis ex matre sua virgine in sua nobiscum communione accepit; nobis vero de suo vicissim ad eandem ipsam communionem detulit propriam sibi alioqui soli corporis et sanguinis sui (fol. 54[a]) qualitatem, sic ut per hanc nostram cum ipso in qualitate corporis et sanguinis sui communionem tam innocentes iusti et sancti esse censeamur in conspectu Patris Dei, quam ipsemet Christus Dominus innocens iustus et sanctus in carne nostra apud Patrem suum habetur, etiamsi nos propriam adhuc illam carnis nostrae qualitatem, peccati inquam et mortis servitutem, in nobis haerentem, dum hic vivimus, habeamus.

Inde vero iam facile et perspicue cognosci perspicique posse putamus et partes ipsas et totam adeo rationem (verbo nobis divino patefactam) eius communionis, quae est inter nos et Christum Dominum in corpore et sanguine ipsius, nempe ut iuxta naturalis sui corporis et sanguinis substantiam, quam ille non equidem de suo nobis corpore ad eam communionem contulit, sed a nobis potius ex matre sua virgine purissima accepit, ipse sit caro ex carne nostra sanguisque e nostro sanguine et os ex ossibus nostris per suam incarnationem. Iuxta vero collatam in nos gratuito corporis et sanguinis sui, alias soli illi propriam, qualitatem, nos vicissim simus haud dubie, gratia sit (fol. 54[b]) Deo!, caro ex carne, sanguis ex sanguine et ossa ex ossibus ipsius, quicunque membrorum ius aliquod in eius Ecclesia habemus; ut neque nos iam nisi simul cum ipso damnari possimus, neque ipse nisi simul iam nobiscum etiam regnare deinceps, ad dextramque Patris sui in coelesti gloria considere possit; quam equidem consolationem in nostra istiusmodi cum Christo Domino communione neque Satan, neque mundus, neque mors ipsa eripere nobis ullo modo potest; et qui illam in corde suo sentiunt, de aliis Sacramentorum controversiis non magnopere contendent.

Porro exposita iam ad hunc modum communione nostra cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius, dispiciendum nobis demum erit in Sacramentorum consideratione, in quanam communionis nostrae huius cum Christo Domino parte ponendum sit potissimum mysterium omnium Sacramentorum, hoc est, eane pars communionis huius signis Sacramentorum adumbratur, qua Christus Dominus a nobis aliquid accepit; an vero altera illa, qua nobis ille commune secum aliquid esse voluit, quod suum proprium erat; an vero simul utraque. (fol. 55ᵃ)

Atque hic paulo esse attentiores vellem pios omnes, nam hic potissimum cardo omnis totius fere controversiae in re Sacramentaria versatur, et, si id diligentius paulo ab omnibus observatum fuisset, minus multo dissidiorum hodie proculdubio in causa Sacramentaria haberemus.

Et nos quidem non obscure iam indicasse videmur, quanam in parte nostrae cum Christo Domino communionis Sacramentorum omnium mysterium positum esse existimemus, nempe in ea, qua in nos a Domino, non autem a nobis in Dominum aliquid in commune collatum esse constat. Addemus tamen adhuc paucis doctrinae huius nostrae rationem.

Ac primum nemini dubium esse putamus, signa omnium Sacramentorum esse signa divinae erga nos gratiae, non iuxta quam conditi sumus, aut etiamnum in vita hac sustentamur, sed iuxta quam, cum irae et mortis filii essemus, in filios Dei rursum vitaeque aeternae haeredes in Christo regeniti sumus, quo quidem nomine etiam signa remissionis peccatorum iustitiae ac regenerationis nostrae vocantur. Quatenus igitur signa ipsa Sacramentorum signa sunt collati in nos salutaris beneficii in (fol. 55ᵇ) Christo, hactenus sane ipsum quoque Sacramentorum mysterium in ea hauddubie nostrae cum Christo Domino communionis parte constitui oportet, qua in nos ille de suo aliquid contulit, non autem a nobis aliquid accepit.

Deinde id quoque extra omnem controversiam esse non dubitamus, in Christi praesertim Ecclesia, quae Deum sane ex aequo et in aeterna decretorum suorum iustitia, et in immensa pariter bonitate ac misericordia praedicat et adorat, nos eandem omnino cum Christo Domino corporis et sanguinis substantiam in primis iam olim progenitoribus nostris habuisse, multo etiam ante Christi D. incarnationem; atque in Christi demum Domini incarnatione ita in illum de nostro ex matre virgine collatam esse ad eam, quae inter nos et ipsum est, communionem, ut ipse particeps illius duntaxat fieret una nobiscum, non autem solus totam, nobis exclusis, possideret. Quare cum substantia ipsa corporis et sanguinis Christi nostra prius fuerit, quam in ip-

sius participationem Christus D. venisset, et postea nunquam nostra esse desierit, equidem dici non potest, nobis a Christo D. ad nostram secum communionem per mortem suam collatam esse, multo minus autem ad Sacramentorum mysterium referri potest, quatenus sane (fol. 56ᵃ) Sacramentorum omnium mysterium in ea potissimum nostrae cum Christo communionis parte est positum, qua in nos ille de suo aliquid ad amissae salutis nostrae recuperationem contulit, ut pluries est dictum, non autem a nobis accepit.

Postremo id quoque certum est, non posse commonstrari ullis omnino sive rationibus, sive testimoniis, aliquam vel minimam accessionem in nostro corpore et sanguine, quod quidem ad naturalem eorum substantiam attinet, ex delata nobis a Christo Domino per mortem suam corporis et sanguinis sui communione. Neque enim aut antea minus fuimus homines, quam nunc sumus, aut nunc etiam magis sumus, futurive unqnam sumus homines, quam ante fuimus, si ipsam corporis et sanguinis nostri naturalis substantiam spectemus; nam de qualitate nunc non agimus. Et proinde, si substantiam ipsam corporis et sanguinis Christi ab illo nobis ad nostram secum communionem conferri in usu Sacramentorum dicamus, simul quoque illum eiusmodi sane doni autorem facimus, cuius alioqui accessio, nullis omnino neque rationibus, neque testimoniis commonstrari queat; quod equidem (fol. 56ᵇ) perinde ferme est, ac si Christum Dominum in suis institutionibus ludere voluisse dicamus, quod tamen quantum a pio quovis homine alienum esse debeat, facile quivis intelligere potest.

Et tamen multis visa est hactenus doctrina illa de dono substantiae ipsius corporis et sanguinis Christi in usu Sacramentorum plurimum habere ponderis ad tuendam efficaciam ac dignitatem Sacramentorum; adeoque et contemptus Sacramentorum accusati sunt omnes, qui donum substantiae ipsius corporis et sanguinis Christi naturalis in usu Sacramentorum ita non vellent agnoscere, ut eam in signorum elementis includi realiter perque illa manibus ministrorum tradi faterentur, cum res ipsa alioqui, paulo modo diligentius inspecta, clarissime testetur, hac tali doctrina magis multo elevari veram dignitatem atque efficaciam Sacramentorum, quam commendari, adeoque et lucem ipsam partae nobis salutis nostrae in Christo non leviter obscurari; quam alioqui ita obscuratam esse videmus per papisticam illam transsubstantiationem, ut offusi adhuc per illam fumi multi non facile apud multos adhuc pios alioqui (fol. 57ᵃ) et doctos homines discuti possint. Spes est tamen fore, ut brevi discutiantur per gratiam Dei, qui causam Euangelii sui non deseret, sed ad gloriam filii sui indies magis ac magis illustrabit.

Statuimus igitur mysterium omnium Sacramentorum in ea potissimum communionis nostrae cum Christo parte consistere, qua Christus Dominus, quod suum proprium in suo corpore et sanguine erat, nobis gratuito contulit ad nostram secum communionem, nempe innocentiam iustitiam et sanctitatem, meritum item passionis et mortis suae et gloriam admirabilis suae in carne nostra resurrectionis.

Haec porro communio agnoscitur et sentitur fide, autore spiritu sancto, in usu legitimo Sacramentorum, et cum fides sit rerum, non equidem praesentium, multo minus vero sensibilium, sed futurarum, quae in spe sunt positae, et proinde absentium quoque et quae hic in vita hac videri sentirique non possunt, perspicuum est, ne ipsius quidem qualitatis a Christo Domino in corpore suo nobis communicatae realem ullam sive praesentiam sive exhibitionem in vita hac nostra posse constitui, — nedum ut substantiae ipsius naturalis corpo-(fol. 57[b])ris Christi praesentia aut exhibitio, quae per signorum elementa manibus ministri fiat, constitui ullo modo possit in usu Sacramentorum.

Scio hic disputari de fidei praesentia, apprehensione, seu perceptione, et realem praesentiam ita exponi, ut fictae duntaxat opponatur. Sed quorsum attinet novam formare Grammaticam de vocibus, quae ad causam ipsam non pertinent et in Scripturis nusquam habentur? Veram ac salutarem corporis Christi communionem libenter se reverenter agnoscimus: realem ac substantialem, ut vocant, ex Scripturis non novimus. Imo vero, cum eam ipsam veram ac salutarem communionem fide sola agnosci ac sentiri, non autem sensibus ullis percipi audimus, et apertam Pauli doctrinam habeamus, fidei praesentiam cum reali iuxta speciem ipsam praesentia consistere non posse, (quo pacto enim quis speret, quod habet? aut quo pacto credat, quod non sperat?) equidem non solum putamus non posse coniungi ullo modo realem ullam iuxta speciem praesentiam, ne dicam exhibitionem, quae ministri manibus (fol. 58[a]) fiat, cum fidei praesentia, sed alteram altera potius tolli etiam iuxta Pauli doctrinam non dubitamus. Quo quidem solo nomine doctrinam hanc de reali iuxta ipsam substantiam corporis et sanguinis Christi in usu Sacramentorum per manus ministri exhibitione modis plane omnibus alienam esse iudicare omnes possunt a natura ipsa Sacramentorum, qui illa et fidei nostrae exercitia, et ad obsignandos in fide nostros animos instituta esse fatentur.

Dum igitur communionem nostram cum Christo Domino ea potissimum parte mysterium Sacramentorum esse dicimus, qua parte a Christo Domino id, quod illi alioqui soli in corpore et sanguine suo proprium erat, in nos id gratuito ad nostram secum communionem

collatum esse non dubitamus: dum item eam ipsam communionem fide sola agnosci et sentiri dicimus in usu potissimum Sacramentorum, — simul sane realem illam etiam praesentiam atque exhibitionem corporis et sanguinis Christi naturalis, quae ministri manibus fiat, a natura ipsa Sacramentorum prorsus alienam esse minime obscure declaramus. (fol. 58b)

Atque haec ita de mysterio Sacramentorum nunc dixisse, satis esse putamus. Iam vero de fine Sacramentorum videamus.

Fines porro Sacramentorum multos ab aliis constitui videmus, neque nos hic magnum momentum facimus, sed, quia et ordinem et numerum illorum perturbari apud sectarios potissimum videmus, nos ad unum praecipuum omnium Sacramentorum finem alios fines omnes malumus revocare, ut alios fines omnes, veluti fructus quosdam, aut membra quaedam, primi illius finis unius esse intelligamus. Praecipuum autem omnium Sacramentorum finem esse dicimus, ut usu illorum legitimo nostra cum Christo Domino communio in iis, quae ille ex suo dono gratuito nobis secum in corpore et sanguine suo communia esse voluit, perpetuaque illius fruitio piorum animis in eius Ecclesia penitus infigatur, ipsaque adeo Ecclesia tota in perpetuae fruitionis istiusmodi fide obsignetur ex Christi Domini institutione.

Deus nimirum Opt. Max. nostrae sese infirmitati attemperare hac in parte voluit, et in donanda nobis Christi Domini communione imitatus est politicas regum donati-(fol. 59a)ones, apud quos primum fit donatio ipsa, deinde in diplomate ad id scripto declaratur, postremo per additum diplomati sigillum regium communitur et obsignatur.

Ad hunc sane modum docet Paulus, nostrae cum Christo Domino communionis donationem ipsam factam esse in Patribus (Dei providentia) ante tempora aeterna [1]); declaratam autem in Christi Domini apparitione per Euangelium ipsius tamquam per diploma quoddam, (quo sane nomine Paulus Corinthios, hoc est, suum apud illos ministerium epistolam suam in Domino scriptam vocat [2]); postremo vero eam ipsam communionis donationem, qua omnes alioqui iusti sumus, obsignatam esse docet in Abrahamo et eius familia per Sacramentum circumcisionis ex divina institutione. Diserte enim circumcisionem obsignaculum vocat, nimirum Sacramento illo circumcisionis et Abrahamus ipse et eius familia tota obsignabatur mandato Dei in iustitia illa, quae ab aeterno in mente Divina iam constabat nostra cum Christo Domino futuro adhuc communione.

[1]) Eph. 1. 2 Tim. 1. [2]) 2 Cor. 3.

Ea porro obsignatio designabatur tunc per typicam ac visibilem eius ipsius commu-(fol. 59b)nionis adumbrationem; ipsa, inquam, praeputii amputatio testabatur esse in nobis aliquid, quod amputari oporteret, si pro iustis haberi deberemus, et sanguinis ipsa effusio loquebatur suo modo, satis non esse ad parandam institiam taurorum et aliarum pecudum sanguinem, in sacrificiis fundi solitum, sed oportere semel aliquando eiusmodi hostiam mactari, in qua non pecudum amplius, sed noster ipsorum sanguis in carne nostra, ea tamen innocentissima, fundendus esset. Ita videlicet iam tum nostra cum Christo Domino, salutari nostra hostia, communio in corpore et sanguine ipsius adumbrabatur, adeoque et animis piorum omnium obsignabatur, etiamsi Christus Dominus nondum corpus sanguinemque ullum haberet. Nimirum agnus noster occisus est a mundi origine, et est Christus Dominus heri hodie et in saecula, quod quidem attinet ad delatam nobis in ipso etiam Adamo corporis et sanguinis sui salutarem communionem.

Iuxta hanc Pauli doctrinam igitur de circumcisione nobis proditam, eum esse praecipuum finem dicimus omnium Sacramentorum, ut per institutam autore Deo ipso recordationem in signo aliquo visibili nostrae cum (fol. 60a) Christo Domino communionis fides illius animis piorum in eius Ecclesia penitus infigatur, ipsaque adeo Ecclesia tota in perpetua illius fruitione ad vitam usque aeternam duratura, autore spiritu sancto, obsignetur; id, quod in singulorum adhuc Sacramentorum explicatione plenius ostendetur.

Ab hoc fine autem velut ab arbore multi fructus proveniunt. Non enim cogitandum est, obsignationem illam nostrae cum Christo Domino communionis, quam in animis nostris autore spiritu sancto fieri sentimus in Sacramentorum ministerio, ita frigidam et otiosam esse, ut non suos fructus aliquos producat, qui nos vere Christo Domino communicare testentur. Nos duos praecipuos fructus obsignationis Sacramentariae veluti duo membra quaedam ponemus finemque omnium Sacramentorum bimembrem quodammodo statuemus, ut intelligamus, spiritum sanctum, qui nunquam inaniter aut ociose spirat, duo in nobis operari per Sacramentariam suam obsignationem.

Primus fructus seu primum membrum obsignationis Sacramentariae est πληροφορία et quies certa conscientiae in nostra cum (fol. 60b) Christo Domino communione, quae nos certos reddit, nullam nobis amplius reliquam esse condemnationem, posteaquam Christo Domino coniuncti sumus per delatam gratuito corporis et sanguinis sui communionem. Alter fructus seu alterum membrum Sacramentariae obsignationis est mentis nostrae affectuumque immutatio vel innovatio, (Graeci ἀνακαίνωσιν seu μετάνοιαν vocant) quam secum ipsa alioqui

πληροφορία adfert. Qui enim communionis nostrae cum Christo Domino beneficium in animo suo vere sentit ac reputat, is proculdubio intelligit, ad quem modum Christus Dominus ambulavit, (ut verbis Ioannis utar) ad eundem quoque modum sibi pro sua virili ambulandum esse.

Hunc sane utrunque Sacramentariae obsignationis fructum Paulus nobis in baptismo nostro commonstrat, dum baptizatos, ad stabiliendam nostram πληροφορίαν, Christum ipsum induisse, atque unum adeo nos iam omnes in illo hominem esse fatetur: ac rursus baptismum renovationis lavacrum esse testatur. Interim tamen renovationem a πληροφορία pendere docet, dum ideo in baptizatorum conversatione imaginem mortis (fol. 61a) sepulturae ac resurrectionis Christi requirit, quod in mortem ipsam, hoc est, in mortis Christi Domini communionem baptizemur.

Caeterum mentis nostrae affectuumque renovatio per officia declaratur, iuxta cuiusque vocationem, tamque late patet nostri renovatio, quam late patet nostra omnium corruptela et instituta rursum verbi divini in omnium vocationum officiis praestandis obedientia, ut intelligamus, alterum Sacramentariae obsignationis fructum seu membrum esse positum ét in frenandis nostris intra nos affectibus, ét in praestandis item officiis publice et privatim, ut cuiusque id vocatio requirit.

Unde perspicuum est etiam, usum legitimum disciplinae Ecclesiasticae ad Sacramentorum ministerium omnino pertinere, quod illam finis ille praecipuus omnium Sacramentorum complecti manifeste videtur. Etenim qui sibi Ecclesiae gubernationem concreditam habent, sive per verbi et sacramentorum, sive per gladii ministerium, facile intelligunt esse id debiti officiique sui, ut peccandi licentiam iuxta suum utrique ministerium coerceant; atque huius sui se officii commonefieri sentiunt proculdubio, siquidem signa (fol. 61b) Sacramentorum renovationis nostrae signa esse, vere et ex animo credunt; et qui id secum non reputant circa usum Sacramentorum, adeoque et nihil huius ad se pertinere arbitrantur, hi equidem communionis nostrae cum Christo mysterium, aut nondum intelligunt, aut, si intellectum negligunt, rei proculdubio fiunt corporis et sanguinis Christi in usu Sacramentorum, tum quod mysterium ipsorum non diiudicent, ut debent, tum quod mysticum Christi corpus, Ecclesiam inquam, incuria negligentiaque sua dedecorant, dum illud, laxatis omnis disciplinae habenis, variis flagitiorum generibus pollui contaminarique patiuntur.

Ut igitur finem praecipuum omnium Sacramentorum cum suis membris seu fructibus complectamur, dicimus hunc esse praecipuum finem

omnium Sacramentorum, ut usu illorum legitimo nostra cum Christo Domino communio piorum animis in Ecclesia ita infigatur, totaque adeo Ecclesia in perpetua illius fruitione per fidem ita obsignetur, ut in illa vere et ex animo conquiescat conscientiae suae testimonio, et affectuum illam innovatione officiorumque sedulitate exprimat (fol. 62ᵃ) ac contestetur.

Explicatis vero iam Sacramentorum partibus et constituto illorum fine, plenam tandem Sacramenti diffinitionem, iuxta eam, quam approbavimus, partium et finis explicationem, formabimus, et quidnam in illa sit observandum ordine rursum suo recensebimus, ac demum, enumeratis huius generis Sacramentis omnibus, partes in illis omnes commonstrabimus ordine nostrae huius diffinitionis.

Sacramentum igitur est divina ordinatio, quae in ministerio Ecclesiae posita, sic ut ad totam Ecclesiam ordine suo pertineat, habet suum signum visibile, externam videlicet a domino institutam formam seu ceremoniam, et suum item invisibile mysterium nostrae cum Christo nobis donatae communionis in corpore et sanguine ipsius, ut fidem illius animis piorum in Christi Ecclesia infigat totamque adeo Ecclesiam in fide atque perpetua illius fruitione ita obsignet, ut vere et ex animo in ea conquiescat conscientiae suae iam pacificatae testimonio, et affectuum innovatione illam officiorumque sedulitate exprimat et contestetur. (fol. 62ᵇ)

Atque est sane longa haec vocis Sacramenti diffinitio, sed ea vim naturam ac ingenium Sacramentorum, de quibus controversias exortas esse videmus, explicari utcunque non dubitamus. Sunt tamen nobis rursum pauca repetenda, quae in hac diffinitione observari debebunt, ut ipsa diffinitio tanto clarius in singulis ordine Sacramentis commonstrari queat, et cognosci ita demum etiam, ubinam pondus omnium controversiarum in argumento hoc Sacramentario consistere videatur. Haec igitur observanda erunt.

Primo, quod in omni divina ordinatione, quae pro Sacramentis haberi debeat, requiruntur expressa verbi divini testimonia de signo visibili Sacramenti, de mysterio ipsius, et de fine. De signo, ut non sit fallax, requiritur expressum verbi divini mandatum cum praescripta certa quadam forma et ceremonia ipsius. De mysterio requiritur etiam expressa verbi divini promissio, quae commonstret, signi istiusmodi Sacramentalis mysterium esse nostram cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius communionem, sive haec per causas, sive per effecta, sive per finem illius designetur. Et requiritur postremo (fol. 63ᵃ) eiusmodi testimonium, quo doceamur, in hoc esse institutam Dei illam ordinationem, quae pro Sacramento haberi debeat, ut usu illius Christi Ecclesia in sua cum ipso communione,

ut est explicata, obsignetur. Ubicumque enim haec commonstrari in verbo Dei ita possunt circa aliquam Dei ordinationem, illic iam Sacramentum etiam esse omnino dubitari amplius non potest.

Secundo observandum est, quod Sacramentorum usus ad totam Christi Ecclesiam et omnia membra illius citra controversiam pertineat, praeterquam si aut in sacramenti institutione ipsa propter mysterii adumbrationem non obscura aliqua exceptionis significatio detur, aut naturae adnata alioqui infirmitas, aut evidens praeterea etiam necessitas aliqua nos arceat ab usu ipso sacramentorum; non enim homo propter sabbatum.

Neque se hic excusare possunt ullo modo, qui ab usu legitimo sacramentorum eos arcent, dum haberi potest, quos ad Christi Ecclesiam pertinere membraque illius esse non ignorant, praesertim si nullam praedictarum exceptionum proferre queant; et perinde faciunt, atque si diplomati regio sigillum illius abripere conarentur, quod sane sine regis ipsius contumelia facere non possent.

Cumque fides ipsa ministerii nostri id postulet, (fol. 63ᵇ) ut, ad quos peccatorum remissionem pertinere scimus, eosdem etiam delato omnibus remissionis testimonio, Euangelio nobis veluti diplomate quodam tradito, sine culpa fraudare non possimus, multo minus proculdubio illis diplomatis sigilla una cum ipso diplomate possumus denegare, nisi si quae praedictarum exceptionum intercedat.

Qui vero aut per exceptionem aliquam in ipsa sacramenti institutione excluduntur propter mysterii adumbrationem, ut foemellae in circumcisione, — aut per naturae infirmitatem signorum sacramentalium capaces esse non possunt, ut infantes in agni olim paschalis et nunc in coenae dominicae usu, — aut etiam per evidentem aliquam necessitatem excusantur, ut populus olim Israëlis in deserto et qui nunc morbis afflicti coetui Ecclesiastico interesse non possunt, — hi omnes, inquam, pro insignitis censentur in Ecclesia Christi, neque illis neglectus ullus sacramentorum imputatur ad condemnationem, si illam modo, data prima quaque legitimi eorum usus occasione, non negligant aut contemnant.

Ista porro seu exceptionis in ipsa institutione, seu adnatae naturae infirmitatis, sive etiam necessitatis exempla, non mutant interim aeternam illam (fol. 64ᵃ) Dei voluntatem. Deus vult, ut omnes, qui ad Ecclesiam quoquomodo pertinent, Sacramentis suis utantur, dum legitime administrantur iuxta ipsius ordinationem, siquidem nulla dictarum exceptionum intercedat.

Tertio observandum est, quod, etsi Sacramenta in signis suis visibilibus diversa esse videantur, quemadmodum Augustinus loquitur, tamen, cum unum sit atque idem omnium mysterium, ut iam osten-

sum est, nempe nostra cum Christo Domino communio in corpore et sanguine ipsius, unus item atque idem finis omnium, nempe eius ipsius communionis obsignatio per institutam Christi Domini (sive futuri in vetere olim Ecclesia, sive nunc iam exhibiti in nostra Ecclesia) commemorationem, omnia sane nostri huius generis Sacramenta, tam in vetere, quam in nostra Ecclesia, unum atque idem Sacramentum esse censenda sunt, quod quidem attinet ad mysterium et finem ipsorum; sed quidquid in illis discriminis est aut diversitatis, id totum est positum in ipsis Sacramentorum signis elementisque illorum, quae Deus varia esse voluit, ut aliis venturus adhuc Christus Dominus, aliis vero exhibitus iam in nostra Ec-(fol. 64b)clesia designaretur.

Ita Paulus utramque Ecclesiam circumcisam, utranque item et baptizatam esse testatur [1]), etiamsi neque vetus Ecclesia externum baptismi signum habuerit, ut est a Christo Domino institutum, neque nostra item Ecclesia norit eam, quae manibus fiat, circumcisionem; — et utranque rursus Ecclesiam unum atque eundem cibum edisse, unum item atque idem poculum bibisse docet, nempe Christum, etiamsi neque vetus Ecclesia coenae ritum, qualem Christus instituit haberet, neque nostra Ecclesia Pesah ceremoniam observet.

In mysterio igitur et fine nihil est omnino discriminis, nedum diversitatis, in utriusque Ecclesiae Sacramentis; sed, quidquid est discriminis aut diversitatis in Sacramentis, id totum positum esse oportet in Sacramentorum signis visibilibus eorumque elementis, quorum alia fuerunt venturi adhuc, alia vero nunc sunt exhibiti Christi, atque ea magis illustria magisque luculenta et significantia propter exortam Euangelii lucem magis multo splendidam, quam umbrae typicae fuerunt in veteri Ecclesia Israëlis.

Unde id facile etiam intelligi potest, om-(fol. 65a)nes in causa Sacramentaria controversias non equidem versari revera, aut circa mysterium ipsum, aut circa finem Sacramentorum, cum in utroque horum non sit discrimen ullum, nedum ulla diversitas; sed, si quae sunt controversiae, illas versari oportere circa Sacramentorum signa et eorum elementa, quae varia et diversa esse iuxta externam illorum faciem videmus.

De eo enim, quod omnes unanimiter unum atque idem, denique et aeternum esse neque mutari posse profitemur, nullam etiam controversiam excitari posse, facile quisque intelligit. Et, cum iam sit demonstratum, unum esse idemque ac aeternum Sacramentorum omnium mysterium pariter ac finem, quatenus sane unus est mediator

[1]) 1 Cor. 10.

noster, unumque et aeternum salutis nostrae medium, — perspicuum est, nullam posse haberi controversiam de mysterio et fine Sacramentorum, quatenus sane utraque haec unum idemque esse semper, neque variare ullo modo posse fatemur, sed omnes controversias positas esse in signorum sacramentalium elementorumque consideratione. (fol. 65ᵇ)

Et res ipsa loquitur, non esse positam Sacramentariam nostri temporis controversiam in mysterii aut finis sacramentorum consideratione, sed in signis potius, aut signorum elementis. Dum enim urgetur sive transsubstantiatio, sive connexio corporis et sanguinis Christi naturalis cum signis Sacramentalibus eorumve elementis, equidem de signis eorumque elementis controversia est, dum unius Sacramenti signis aut elementis id conamur tribuere, quod aliorum Sacramentorum signis atque elementis tribui non potest. Alioqui, si omnium Sacramentorum signa eorumque elementa uno eodemque loco poneremus, quemadmodum unum esse atque idem Sacramentorum mysterium, unum item eundemque finem non dubitamus, — aut sane in omnium aliorum sacramentorum signis atque elementis id commonstraremus, quod unius alicuius Sacramenti signis aut elementis tribuere conamur, — aut certe unius alicuius Sacramenti signis elementisve non tribueremus, quod in aliorum Sacramentorum signis atque elementis commonstrari non potest. (fol. 66ₐ)

Quare, dum in coenae dominicae signis eorumve elementis id urgemus, quod in aliorum Sacramentorum signis atque elementis commonstrari non potest, non equidem de mysterio fineque Sacramenti controversiam movemus, sed de signo potius aut signi elementis in coena.

Atque in statuenda transubstantiatione in coenae elementis, aut in urgenda reali illa iuxta ipsam speciem cum illis connexione corporis et sanguinis Christi naturalis, de coenae elementis proculdubio, non autem de eius mysterio aut fine controversiam movemus, dum illis id adscribimus, quod in nullius alterius Sacramenti elementis monstrari potest.

Rursum si unionem Sacramentalem non quidem in elementis iam realique cum illis mysteriorum connexione, sed in signo ipso, externo videlicet ministri opere, constituamus, ut non tam per elementa ipsa, quam potius per ipsius ministri opus, manibus ministri inquam, corpus et sanguinem Christi naturalem nobis una cum elementis coenae ministerii sui nomine porrigi exhiberique dicamus, — ne sic quidem adhuc de coenae mysterio aut fine controversia erit, sed de signo potius, nempe (fol. 66ᵇ) de ministri opere, dum videlicet illi in coenae Sacramento plus tribuere conamur, quam in aliis Sacramentis ostendi possit.

Dum igitur in nostra hac circa mysterium Sacramentorum observatione dicimus, omnia Sacramenta et veteris et nostrae Ecclesiae esse unum atque idem Sacramentum, quod quidem ad mysterium et finem illorum attinet, simul ostendimus controversias omnes Sacramentarias non versari circa mysterium aut finem Sacramentorum, sed potius circa signa, quae alioqui varia esse videmus, et elementa illorum.

Cumque vilissima sit pars Sacramentorum signum eiusque elementa, et de praestantissima eius parte, nempe de mysterio, inter omnes conveniat, nempe de nostra cum Christo Domino aeterna neque unquam interrumpenda communione, multoque magis aequum sit, nos attentos esse ad mysteria ipsa Sacramentorum, ut illis in pace et cum gratiarum actione fruamur, quam ut de signis illorumve elementis controversias non necessarias moveamus, — non tanti esse faciendas putamus signorum elementorumque in re Sacramentaria controversias (modo ne vis ac dignitas my-(fol. 67ᵃ)sterii attingatur), ut propter illas societatem Ecclesiasticam violare quoquomodo debeamus.

Quarto nobis observandum est in hac sacramentorum diffinitione, quod, quemadmodum omnium sacramentorum mysterium olim sane iam coepit in primis etiam nostris progenitoribus, postquam de semine venturo promissioni credidissent, duratque etiamnum sine interruptione ulla in Ecclesia Christi, et plene demum etiam in mortuorum resurrectione complenda expectatur omnino, — ita signa etiam eius ipsius mysterii, ab ipsomet Domino instituta, signa sunt proculdubio rei ét praeteritae, quae dudum alioqui coepit, ét praesentis, quae etiamnum duret in Christi Ecclesia sine ulla interruptione, ét futurae, quatenus illius complementum adhuc in nostra resurrectione sub spe certissima expectamus.

Et proinde falluntur, qui nuda ociosaque signa a nobis constitui in Sacramentis putant, propterea quod Sacramentalem unionem in ulla reali omnino, vel cum signo, ministri videlicet opere, vel cum eius elementis con-(fol. 67ᵇ)nexione agnoscere non possimus. Neque enim nuda vulgariaque aut ociosa signa in Sacramentis facimus, nedum ut Sacramentorum ministerium actionem comicis tragicisve repraesentationibus similem esse dixerimus unquam, — sed semper testati sumus, atque etiamnum testamur, signa Sacramentorum esse signa a Deo ipso et Christo Domino ordinata, quibus semper adsit spiritus sanctus, assiduus alioqui testis et glorificator Christi Domini in omni ipsius institutione, efficiatque in piorum animis, ut in legitimo Sacramentorum ministerio, motu cordis nostri per ipsum excitati, vere nos in nostra cum Christo Domino communione iam olim delata obsignari, vere illa item etiam in praesens frui per fidem sentiamus, atque ad certissimam complementi illius expectationem propulsa omni diffidentia erigamur.

Diximus semper et nunc dicimus, adiunctam esse signis sacramentalibus in legitimo sacramentorum usu obsignationem nostrae cum Christo Domino communionis, non tantum praeteritae, quasi semel delata aut iam cessarit aut interrumpi (fol. 68ᵃ) in Christi Ecclesia possit, sed praesentis semper, ut illa vere ad nostram salutem semper etiam, omnium autem significantissime in usu legitimo Sacramentorum fruamur, illiusque complementum et illustrationem sub spe, ut dictum est, certissima expectemus.

Sed ita esse adiunctam dicimus, et semper diximus, eam obsignationem signis Sacramentorum, hoc est, institutae a Domino formae externae seu ceremoniae illorum, non ut signis ipsis eorumve elementis realiter quoquomodo includatur ac insit, neque item per signa ipsa, ministri inquam opus χειροποίητον, signorumve elementa exhibeatur praebeatur ac porrigatur (his enim vocibus plerosque uti videmus), sed ut institutis a Deo signis, velut involucris quibusdam, designata per spiritum sanctum animis simul nostris ita infigatur, ut nos in legitimo Sacramentorum usu vere ad salutem nostram obsignari in nostris cordibus sentiamus in nostra cum Christo Domino communione: sentiamus item nos illa vere frui ad vitam aeternam et eius futuram adhuc illustrationem indubitato expectemus.

Haec porro qui intra sese vere sentiunt (fol. 68ᵇ) circa usum Sacramentorum, facile intelligunt, nos satis reverenter et loqui et sentire de usu legitimo et signis Sacramentorum.

Iam vero observatis hisce omnibus in Sacramenti diffinitione, facile discerni posse putamus genus hoc Sacramentorum, de quo nostram hic tractationem instituimus: posse item intelligi, ubi pondus omne controversiarum in re Sacramentaria consistat, et unde imprimis exortae esse videntur. Superest iam, ut, constituto Sacramentorum genere velut classe quadam, de numero deinceps illorum agamus, ut nostram hanc, ita ut est explicata, diffinitionem et partes illius omnes in singulis eius generis Sacramentis ordine suo commonstrare possimus.

Neque ignoramus magnam et hic esse interpretum varietatem, sed nos ea tantum Sacramenta in nostram hanc classem recipimus, in quibus nostra haec diffinitio, verbi alioqui divini autoritate iam comprobata, partesque illius omnes, ad unum atque eundem modum commonstrari queant.

Cum igitur a Papa Romano septem Sacramenta numerari audimus, nempe Baptismum Confirmationem Confessionem Ordinem (fol. 69ᵃ) Coniugium Coenam Domini et extremam, quam vocant, Unctionem, postulamus, ut in singulis illis nostra nobis diffinitio ad unum atque eundem modum commonstretur. Nos in duobus duntaxat, nempe in Baptismo et Coena Domini, commonstrari posse videmus.

Rursus, qui poenitentiam inter huius generis sacramenta numerare volunt, commonstrent in illa nobis etiam nostram diffinitionem, et protinus illis credemus. Sed nos id facere non posse omnino ingenue fatemur, praesertim vero quod ad visibile illius signum attinet, quod quidem divina ordinatione in hunc duntaxat usum institutum esset.

Duo nos tantum igitur Sacramenta in Christi Ecclesia eius generis cum Augustino agnoscimus, quemadmodum et in vetere olim Ecclesia duo fuisse legimus, quibus nostra alioqui successerunt ex Christi Domini institutione. Veteris igitur Ecclesiae Sacramenta, quae ad nostram classem pertinebunt, duo fuisse legimus, nempe circumcisionem et agni Paschalis coenam. Nostrae vero Ecclesiae, quae illis successerunt, etiam duo, nempe baptismum et coenam Do-(fol. 69[b])mini, de qua alioqui potissimum controversiae exortae esse videntur. In istis igitur quatuor sacramentis nostram diffinitionem, ut est explicata, commonstrabimus, et unumquodque illorum ordine suo explicandum paucis suscipiemus.

In circumcisione igitur singulas diffinitionis nostrae partes ordine suo commonstrabimus cum earum explicatione, ut res tota clare et perspicue cognosci possit.

Ac primum, circumcisionem fuisse Dei ipsius ordinationem in vetere Ecclesia, manifeste docemur Geneseos 17° capite, sic ut nulla hac de re dubitatio reliqua esse possit.

Deinde, quod circumcisio in Ecclesiae ministerio fuerit posita, verba ipsa clarissime testantur: Circumcidetis carnem praeputii vestri, etc. Quanquam autem de ritu ipso circumcisionis, per quosnam aut quo apparatu peragi consueverit, certi nihil extare videmus, certum est tamen, ordinem aliquem in observanda circumcisione observatum fuisse. Nam neque tum sane Deus erat confusionis Deus, extatque man-(fol. 70[a])datum clarissimum Abrahae et eius semini, hoc est, eius temporis Ecclesiae datum: Et tu ergo pactum hoc meum custodies, tu, inquit, et semen tuum etc. Quatenus igitur in Ecclesiae custodia posita erat circumcisionis observatio, hactenus quoque in illius ministerio positam fuisse constat.

Praeterea quod ita in ministerio Ecclesiae fuerit posita circumcisio olim, ut ad totam eius temporis Ecclesiam omniaque illius membra pertineret, quae modo mysterium eius non obscurarent, testatur id non obscuro illa non sane levis interminatio: Et praeputiatus masculus, in cuius carne praeputium non fuerit circumcisum, exterminabitur anima illa e populo suo, etc., — ac mandatum illud universale: Omnis masculus octo dierum circumcidatur in generationibus vestris, sive verna, sive emptitius etc., foemellis duntaxat exceptis [1]).

[1]) Gen. 17.

Exceptionis porro foemellarum manifestam significationem audimus, dum mandatum de circumcisione ad masculos duntaxat expressis verbis restringi videmus, et in ea item corporis parte circumcisionem imperari, qua sexus foemineus omnino caret. (fol. 70[b])

Atque sane piis hic omnibus satis esse proculdubio deberet, habuisse eam voluntatis divinae de hac tali foemellarum exceptione significationem, divinaeque voluntatis, quae nihil temere agit, testificationem; sed cum torqueri videamus a sectariis exceptionem hanc foemellarum in circumcisione ad fingendas novas quasdam in aliorum Sacramentorum usu exceptiones, rationem quoque divini hac in parte consilii ex scripturis adferemus, quae piis, ut spero, satisfaciet et in usu aliorum Sacramentorum per sectarios commonstrari non potest.

Quemadmodum enim nostra omnium condemnatio neque originem suam in foemina coepit, etiamsi illa prior omnino vel ipso vetitae arboris contactu peccasset, neque item a foemina in nos, sed ab Adamo masculo tota derivatur, quemadmodum Paulus docet [1]), ita Deus in instituendo foederis sui nobiscum signo simul atque obsignaculo, utrunque id nobis simul adumbrare voluit, nempe ab uno eoque masculo homine omnem nostram condemnationem ortam derivatamque esse, et in uno rursum masculo etiam homine amputari suo tempore oportuisse, ut videlicet mas-(fol. 71[a])culini sexus solius circumcisio visibili signo suo testificaretur ex Dei ipsius institutione ac suo quodam modo loqueretur, derivatam in nos illam ab uno masculo homine omnium nostrum condemnationem, in uno rursum masculo etiam homine ita amputatam iri merito ipsius, qui nostra alioqui caro futurus erat, ut cessatura esset omnino in tota ipsius Ecclesia, etiamsi peccatum ipsum in vita hac nostra non prorsus cessaret.

Habemus igitur iustam Divini consilii in foemellis a circumcisione excludendis rationem, ex ipsis Scripturarum fontibus petitam, neque exemplum hoc exclusarum a circumcisione foemellarum ad sectarum patrocinium detorqueri posse in arcendis Ecclesiae membris a legitimo usu aliorum Sacramentorum, in quibus talis mysterii adumbratio typica commonstrari non potest. Imo vero obscuratur etiam non leviter patefactum iam multo clarius per Euangelium omnium Sacramentorum mysterium istiusmodi non necessaria membrorum Ecclesiae exclusione. (fol. 71[b])

Et cum universale mandatum extare videmus: Omnis masculus circumcidatur, sive verna, sive emptitius etc., videmus item universalem comminationem: In cuiuscunque carne praeputium non fuerit circum-

[1]) Rom. 5. 1 Cor. 15.

cisum, exterminabitur anima illa etc., equidem typica illa foemellarum a circumcisione exclusio non efficit, ut, quae membra nostrae Ecclesiae esse novimus, ab usu illa Sacramentorum legitimo arceamus; quatenus saoe typicas istiosmodi umbras loco Euangelii dispulsas esse iam, et earom observationo mysteria nostrorum Sacramentorum obscurari magis multo hauddubie, quam illustrari, videmus.

Ita sane et suspensio illa circumcisionis in deserto per annos quadragiota oon mutavit Diviuam hac in parte voluntatem, ut usus Sacramentorom legitimus ad omnia Ecclesiae membra pertineret, sed actionem illius declaravit, nempe Deum, etsi contemptum Sacramentorum suorum ferre oon possit ullo modo, nolle tamen, ut homo interitum sibi accersat propter eorum observationem, dum sine certo (fol. 72a) vitae discrimine observari non possunt. Non enim homo propter sabbatum, sed sabbatum propter hominem, et est filius hominis Dominus etiam ipsius Sabbati.

Manet ergo, Sacramentum circumcisionis ita in Ecclesiae ministerio olim fuisse positum, ut ad totam omnino eius temporis Ecclesiam et omnia illius membra pertineret, quateous nulla aut mysterii in Sacramento obscuratio, aut evidens alioqui necessitas certumque exitium aliquod intercessisset,—talemquo mysterii in Sacramento obscurationem talemque necessitatem commonstrari item oportebit in usu aliorum Sacramentorum vel omittendo a quibuscuoque tandem membris Ecclesiae, vel suspeodendo, siquidem exempla haec trahi debeant ad doctrinam illorum comprobaodam, qui ab usu Sacramentorum legitimo eos arcent, quos membra Ecclesiae esse negare non possunt.

Iam vero et de partibus Sacramenti in circumcisione dicendum erit, ut ostendamus, circumcisionem eiusmodi fuisse Dei ordinationem, quae, in Ecclesiae ministerio posita sic ut ad totam omnino Ecclesiam pertineret, habuerit suum signum visibile et invisibile myste-(fol. 72b)rium, quemadmodum in sacramenti diffinitione habetur.

Quodque ad signum imprimis circumcisionis attinet, id ita a Mose praescriptum habemus: Circumcidetis, inquit, carnem praeputii vestri, quod erit vobis signum foederis inter me et vos. Additurque et tempus signo peragendo praescriptum, nempe octavus dies, videmusque signum hic in circumcisione vocari non cultrum sane, qui actioni adhibebatur, sed ipsam actionem, quae cultro adhibito peragebatur, hoc est, ipsam praeputii amputatiooem. Ait enim: Circumcidetis carnem praeputii, quae res (nempe eiusmodi amputatio) erit signum etc.

Signum igitur Deus in sacramento circumcisionis vocat, ut videmus, non res, quae institutae a se actioni adhibentur, sed ipsam actionem, hoc est, praeputii accisionem, quae cultro adhibito fiebat, ut

perspicuum sit, cultum circumcisioni adhiberi solitum non tam signum fuisse in circumcisione, quam potius signi ipsius elementum.

Quod vero ad mysterium circumcisionis attinet, id nobis diserte indicatur, dum circumcisio ét foederis signum simul ét foedus ip-(fol. 73a)sum vocatur, ut antea quoque diximus; inde enim perspicuum est, foedus ipsum Dei nobiscum mysterium esse circumcisionis.

Diximus autem iam antea, perinde esse, sive foedus Dei nobiscum, sive fidei iustitiam, sive vero nostram cum Christo Domino communionem, mysterium circumcisionis esse dicamus. Nam et foederis divini nobiscum, et iustitiae item fidei nomine μετωνυμικῶς nobis nostra cum Christo Domino communio designatur, dum nobis per effecta sua commendatur, siquidem Dei nobiscum foedus non consistit nisi in Christo. Consistere autem in Christo non potest, nisi ét illi nobiscum ét nobis cum illo certa quaedam communio intercedat, quae hoc sane efficiat, ut, quod in Christo defertur, nempe foedus ipsum, id ad nos etiam pertinere omnino possit. Dum igitur circumcisione foedus ipsum Dei, in Christo Domino proculdubio delatum, ad nos etiam pertinere docemur, simul etiam nostra cum Christo Domino communio circumcisione nobis hauddubie designatur et adumbratur.

Ita vero etiam, dum circumcisio iustitiae, quae fide constat, signum simul atque obsignaculum esse dicitur a Paulo, nostrae sane cum (fol. 73b) Christo communionis signum atque obsignaculum esse eadem quoque opera docetur, quandoquidem ipsa quae fide constat iustitia, in ipso equidem Christo Domino ad nos pertinet; et pertinere ad nos in Christo non posset, si non aliquam cum illo communionem haberemus. Quatenus ergo per nostram cum Christo Domino communionem iusti sumus, dum illum fide agnoscimus sentimus et declaramus, et circumcisio signum est atque obsignaculum eius ipsius iustitiae in Christo,— haetenus sane circumcisio signum erat olim atque obsignaculum nostrae cum Christo Domino communionis, per quam iusti sumus, inque istiusmodi iustitia usu Sacramentorum obsignamur.

Perspicuum est igitur, mysterium circumcisionis esse nostram cum Christo Domino communionem, quae a suis effectis designatur, dum foederis divini nobiscum signum adeoque et foedus ipsum, dum item iustitiae fidei et signum pariter et obsignaculum circumcisionem ipsam esse audimus.

Sed et externa ipsa in circumcisione actio manifeste testatur ac quodammodo visibiliter loquitur, adnatam nobis sub praeputii invo-(fol. 74a)lucro nostram condemnationem amputari oportere, ut servari possimus, et aliter interim amputari non potuisse, nisi per nostri ipsorum sanguinis in carne nostra effusionem, non tamen in nostris

ipsorum personis, (alioqui nunquam cessare oportuisset ipsam circumcisionem) sed in persona alterius, qui nostram alioqui carnem et nostrum sanguinem fuerat assumpturus, ut vera inter nos et illum unius eiusdemque carnis et sanguinis communio constaret, nempe in persona Christi Domini, qui corporis et sanguinis sui hostia omnem nostram condemnationem in carne nostra fuerat expiaturus atque ita a nobis etiam omnino amputaturus.

Quatenus igitur circumcisio, in nostra et non alia ulla carne instituta, nostri etiam et non alterius sanguinis effusione condemnationem nostram amputari oportuisse designabat; quatenus item circumcisio signum alterius rei erat, quam adhuc expectari oportebat, ut non in nostris ipsorum personis eam amputationem perfici oportuisse intelligeremus, sed in eius persona, qui in nostra olim carne adhuc expectandus esset. Hactenus sane negari non potest, circumcisionis (fol. 74ᵇ) mysterium fuisse Christi Domini nobiscum et nostram cum illo communionem in corpore et sanguine ipsius.

Ita vero et Paulus in Christo nos Domino omnes sine manuum ministerio circumcisos esse docet, hoc est, in Christo Domino iuxta typum circumcisionis amputatum esse re vera praeputium, ipsam inquam condemnationem orbis totius; et massam peccati universam carni nostrae omnium adnatam, quam Paulus corpus peccatorum carnis vocat, velut spolium quoddam merito Christi Domini detractam prorsus coram oculis Patris Dei, qui non amplius nos in nobis, sed Christum iam Dominum potius intuetur propter suam nobiscum et nostram secum vicissim communionem.

Ex his igitur clare iam comprobatum esse putamus, circumcisionis mysterium fuisse olim nostram cum Christo Domino communionem in corpore et sanguine ipsius, habemusque iam partes Sacramenti commonstratas in circumcisione, nempe signum et mysterium ipsius iuxta nostram Sacramenti diffinitionem. Nunc de fine Sacramentorum omnium in ipsa etiam circumcisione videamus. (fol. 75ᵃ)

Finem porro circumcisionis eum esse colligimus tam ex divina ipsa illius institutione, quam citatis pariter Pauli Apostoli verbis de ipsa circumcisione, nempe ut per foederis Divini, cum Abraha et eius familia in Christo promisso icti, recordationem perque iustitiae in illo foedere nobis delatae assiduam reputationem tota illa Abrahami familia, ipsa, inquam, tota Ecclesia, in fide salutaris suae cum Christo venturo adhuc communionis obsignaretur.

Ex Divina circumcisionis institutione finem hunc ipsius in verbis illis commonstrari nobis videmus: Et firmabo seu constabiliam foedus meum, inquit Dominus ad Abrahamum, inter me et te etc., ut sim tibi in Deum et semini tuo post te. Neque enim Deus cum haec

proferret, ita se fore Abrahae Deum profitetur, quasi, cum haec illi diceret, etiam non iam utique Deus ipsius seminisque ipsius fuisset. Erat sane iam tum vere Abrahae Deus, cum illum annis viginti quatuor ferme ante imperatam circumcisionem ex patria et cognatione ipsius evocasset. Sed ideo ait: ut (fol. 75b) sim tibi in Deum, ut ostenderet, ideo se instituisse circumcisionem, ut certum documentum extaret in Abrahae familia, hoc est, in Ecclesia, Deum esse haud-dubie et nostrum simul et seminis nostri Deum, perindeque esse, dum ait Dominus: Ut sim tibi in Deum, atque si dixisset: ut et tu et tuum semen certi omnino esse possitis, me esse et tuum et seminis tui Deum. Quodsi ideo se Deus ipsemet circumcisionem instituisse docet, ut illius testimonio vetus Ecclesia certa esset, Deum esse Deum suum in Christo, — equidem perspicuum est ex ipsa circumcisionis institutione, finem praecipuum circumcisionis fuisse, ut vetus Ecclesia in sua cum Christo Domino communione salutari, per quam solam alioqui Deus revera noster est Deus, obfirmaretur atque obsignaretur.

Ex Pauli autem verbis multo id clarius colligi adhuc potest, qui dum circumcisionem obsignaculum esse docet, simul testatur, illam ad obsignandum foedus Dei nobiscum, in quo Deus est vere Deus noster, institutumque ipsius, quae est in Christo, institutam esse, quaeque extra Christi Domini communionem ne (fol. 76a) pertinere quidem ad nos potest, nedum ut in animis nostris ad salutem nostram obsignari possit.

Iam et duos illos finis istius fructus seu membra non obscure nobis in Scripturis commonstrari videmus, nempe πληροφορίαν et ἀνακαίνωσιν sive μετάνοιαν.

Primumque Dei ipsius verbis in instituenda circumcisione πληροφορίαν nobis commendari videmus, dum ait: ut sim tibi in Deum. Ex his namque verbis ideo institutam esse videmus circumcisionem, ut certi esse possimus, Deum esse nostrum Deum in Christo, atque in hoc certa fiducia et sine ulla dubitatione, pacificata omnino conscientia nostra, conquiescamus.

Deinde et ἀνακαίνωσιν nobis circumcisione commendari adumbrarique videmus ex Propheticis et Apostolicis testimoniis, quibus in circumcisionis consideratione cordis circumcisio plerisque locis diligenter urgetur, quae equidem in mentis et affectuum innovatione consistit.

Eum igitur finem in circumcisionis Sacramento commonstratum iam habemus una cum suis fructibus seu membris, quem in (fol 76b) generali Sacramenti diffinitione posuimus, ut iam totam nostram Sacramenti diffinitionem in circumcisione minime obscure nobis commonstrasse videamur. Et ut tandem diffinitionem circumcisionis pe-

culiarem iuxta traditam hanc doctrinam nostram statuamus, ad hunc modum illam diffiniemus.

Et dicemus, Circumcisionem in vetere Israëlis Ecclesia fuisse ordinationem Dei, quae in ministerio Ecclesiae posita, sic ut ad totam Ecclesiam illam pertineret, quatenus quidem id mysterii sui illastratio permittebat, — habebat suum signum visibile, externam videlicet praeputii accisionem certis legibus divinis praeseriptam, — et habebat item invisibile suum mysterium, nostram cum Christo Domino sub foederis et iustitiae fidei nomine communionem in corpore et sanguine ipsius, ut fidem illius animis piorum in illa Ecclesia ita infigeret, totamque adeo Ecclesiam in perpetua illius fruitione ita obsignaret, ut vere et ex animo in ea conquiesceret conscientiae suae iam pacificatae testimonio et affectuum iunovatione illam officiorumque sedulitate exprimeret ac contestaretur.

Videmus igitur omnes diffinitionis no-(fol. 77a)strae partes, ita ut eas explicuimus, in circumcisione iam commonstratas esse. Proinde ad coenam quoque agni Paschalis progrediemur atque eandem ipsam diffinitionem, iuxta vocum ipsius significationem, ad unum eundemque modum commonstrare pergemus.

In coena Paschali igitur hoc primum habemus, coenam illam, fuisse olim in vetere Ecclesia Dei ipsius ordinationem, quae Dei ipsius mandato iussa erat observari, Exod. 12. Habemus item, positam fuisse in Ecclesiae ministerio, sic ut ad totam omnino temporis illius Ecclesiam pertineret, dum verba mandati Divini audimus: Universus coetus Israëlis faciet ipsum.

Neque refert infantes a coenae illius usu exclusos fuisse per adnatam illis naturae infirmitatem. Hanc enim exceptionem iam antea scripturarum autoritate approbavimus, simulque et aliam illam evidentis alicuius necessitatis. Nimirum Deus, cum sit naturae ipse praestes, nihil contra naturae leges a nobis exigit, constituitque nos ipsius etiam Sabbati dominos; modo ne hoc Dei beneficio ad alen-(fol. 77b)dum institutionum suarum contemptum illasve mutandi tyrannidem quoquomodo abutamur. Sabbatum enim propter hominem, non homo propter Sabbatum.

Igitur, etsi infantes a coenae olim Paschalis usu excluderentur, aut qui per morbum illi participare non poterant, non ideo tamen cuiquam alteri in toto coetu Israëlis a coenae illius usu abstinere licebat, qui non duabus istis exceptionibus includeretur. Additur enim gravissima comminatio omnibus, qui Pascha iuxta praescriptum Domini non celebrassent, ut vel inde constet, agni Paschalis Sacramentum ad totam omnino Israëlis Ecclesiam et omnia membra illius, extra supramemoratas exceptiones, pertinuisse.

Quod porro ad signum Sacramentale agni Paschalis attinet, illud sane etiam ipsomet Deo autore institutum praescriptumque ibidem habemus, nempe postium ac superliminaris sanguine agni cruentationem, et constitutum ita demum a Domino agni ipsius esum; quod equidem notius est, quam ut multis id verbis oporteat approbari [1]).

Mysterium vero Sacramenti in coena Paschali paucis quidem verbis, sed multa in (fol. 78ª) se complectentibus, describit Paulus Apostolus, dum docet, Pascha esse Christum [2]). Nimirum agnus ille Paschalis typus erat Christi Domini adhuc venturi, qui verus ille agnus tollens peccatum mundi futurus erat, quemadmodum Baptista testatur. Et esus agni Paschalis signum erat communionis illius iam tum etiam populi cum Christo Domino in corpore ipsius. Neque enim pascere veterem Ecclesiam agnus ille potuisset, si non aliquam cum ipso in carne eius communionem habuisset, mactando videlicet suo demum tempore, quemadmodum et agnus ille typicus mactabatur.

Rursum sanguis agni illius typici postibus aedium aut superliminari illitus sive inspersus typus erat communionis nostrae cum Christo Domino in sanguine ipsius, per quem omnis nostra condemnatio expianda adhuc erat, — Israelitarumque aedes sanguine inspersae designabant, sanguinis Christi meritum ad populum Dei pertinere propter donatam ei gratuito illius communionem; quam dum in aedibus nostris (in cordibus inquam nostris) Pater Deus intuetur, transilit nos in condemnatione mundi totius, neque supplicium de no-(fol. 78ᵇ)bis sumit amplius propter nostram cum Christo in sanguine suo communionem.

Videmus igitur coenae olim Paschalis mysterium fuisse nostram cum Christo Domino communionem in corpore et sanguine ipsius, quae signo olim Sacramentali solemnitatis Pesah, ab ipso Deo institutae, adumbrabatur: nempe agni typici mactatione, esu illius certis ceremoniis instituto et addita in domibus nota sanguine ipsius.

Ita Paulus alibi rursum, Mosen in vetere Ecclesia Pascha fide edisse docet, fideque item agni illius typici sanguinem fudisse, hoc est, Mosen in mactando edendoque agno illo, in fundendo item illius sanguine, fide spectasse ét suam ipsius ét populi sui totius cum Christo Domino, vero illo agno Dei, communionem in corpore et sanguine ipsius.

Perspicuumque est iam ét circumcisionis olim ét agni item seu coenae Paschalis mysterium unum atque idem fuisse in vetere Ecclesia, nempe illius tum etiam veram ac salutarem cum Christo Domino communionem in corpore et sanguine ipsius. Iam vero nobis

[1]) Exod. 17. [2]) 1 Cor. 5.

finis etiam ille, quem praecipuum in omnibus Sacramentis fecimus, commonstrandus erit (fol. 79a) in coena agni Paschalis.

De fine porro Paschatis manifeste docemur in ipsa Paschatis institutione, dum per os Mosis Dominus ait: Et erit tibi in signum super manum tuam et in monumentum inter oculos tuos etc., quoniam in manu valida eduxit te Dominus ex Aegypto [1]). Nimirum hisce verbis testatur Deus, ideo se Pascha in populo tum suo instituisse, ut esset obsignaculum admirabilis sui illius beneficii, quod propter notam sanguinis agni illius, quem ritu suo a Deo instituto edissent, (atque tali illius esu suam cum ipso communionem contestati essent) Dominus illos servasset servatosque ita demum etiam mirabiliter ex Aegypto eduxisset, — utque tanti huius beneficii commemoratione animos suos obfirmarent, eundem ipsum Deum deinceps quoque fore proculdubio ipsorum Deum, tantisper dum ritum hunc Paschatis iuxta ipsius institutionem observarent ad contestandam suam cum vero illo Dei agno communionem in corpore et sanguine ipsius.

Ita videmus, eundem esse omnino finem Paschatis, qui et circumcisionis fuerat, neupe obsignationem veteris Eccle-(fol. 79b)siae in communione veri illius agni Dei, quem sub typo edebant et sanguine ipsius aedes suas notabant, Christi, inquam, Domini in corpore et sanguine ipsius.

Videmus item fructus seu membra finis istius nobis non obscure in ipsa etiam Paschatis institutione commendari. Cum enim divini illius beneficii commemoratio de educto populo Dei ex Aegypto in hoc potissimum esset instituta, ut veterem Ecclesiam certam faceret, Deum fore semper illius Deum, simul quoque id complectebatur, ut vetus Ecclesia, obfirmatis fide animis suis de Dei erga se benevolentia, omnem suam spem in illum coniiceret, inque certa benevolentiae erga se divinae fide, tranquillitata iam prorsus sua conscientia, conquiesceret omnino.

Rursus dum accinctis lumbis cum festinatione et herbis amaris panibusque azymis Pascha edere iubentur, de mentis et affectuum suorum innovatione omnes commonefiebant in vetere Ecclesia, ne Aegyptiacae videlicet illecebrae, quibus iam assueverant, (fol. 80a) deinceps illos a suscepto semel in terram promissam itinere remorarentur, sed, reiectis iam deliciis illecebrisque Aegyptiacis omnibus, pravis, inquam, mundanisque affectibus, ad promissam sibi patriam summa contentione festinandum esse cogitarent.

Iam igitur in utroque veteris Ecclesiae Sacramento, nempe Circumcisione et Paschate, omnes diffinitionis nostrae partes, quas Sacra-

[1]) Exod. 13.

mento tribuimus, commonstratas habemus. Priusquam tamen ad nostrae nunc Ecclesiae Sacramenta descendamus, Paschatis quoque diffinitionem, illi soli propriam, ponemus.

Dicimusque, Pascha olim in vetere Ecclesia fuisse Dei ordinationem, quae in Ecclesiae ministerio posita ad totam omnino illam Ecclesiam et singula membra illius pertinebat, praeterquam si usum illius aut adnata naturae infirmitas aut evidens alioqui necessitas impediret, — et habebat signum suum visibile ab ipsomet Deo institutum, typicam videlicet agni immaculati mactationem esumque illius, iuxta praescriptam ceremoniam et sanguinis item illius in aedibus omnium notam, — habebatque praeterea invisibile suum mysterium sub esu agni typici adumbratum, communio-(fol. 80[b])nem veteris illius totius Ecclesiae cum Christo Domino adhuc venturo, qui verus ille Dei agnus erat, in corpore et sanguine ipsius, ut fidem illius animis piorum in illa Ecclesia ita infigeret totamque adeo Ecclesiam in perpetua illius fruitione ita obsignaret, ut vere et ex animo in ea conquiesceret per annuam illius solemnemque commemorationem conscientiae suae pacificatae testimonio, et affectuum innovatione illam officiorumque sedulitate contestaretur.

Iam vero approbata nostra, quam Sacramento tribuimus, diffinitiono in veteris Ecclesiae utroque Sacramento, restat, ut illam in nostrae quoque Ecclesiae Sacramentis ordine suo comprobemus. Atque a Baptismo primum nobis ordiendum erit.

Igitur in baptismo ante omnia videmus Baptismum esse divinam ordinationem ex ipsius Ioannis Baptistae, qui illum orsus est, testimonio, dum ait: Qui me ad baptizandum misit etc. Videmus item et ex Christi ipsiusmet Domini Apostolis tradita institutione: Euntes facite mihi discipulos omnes gentes, baptizantes eas etc.

Esse vero positum baptismum in Eccle-(fol. 81[a])siae ministerio, testantur ipsa Christi Domini verba in ipsius institutione: Facite discipulos baptizantes. Et ita esse in ministerio positum, ut ad totam omnino Ecclesiam et omnia illius membra pertineat, praeterquam si quae supra dictarum exceptionum non permittat, testantur voces illae universales apud Euangelistas: baptizantes omnes gentes, sive iuxta Marcum, omnem creaturam, videlicet humanam, ad quam solam ipsum alioqui Euangelium pertinebat. Testatur et Paulus, qui totam Ecclesiam lavacro aquae a Domino ipso baptizatam esse docet.

Neque hic subsistunt Anabaptistarum exceptiones, qui infantes nostros baptizandos non esse contendunt, quod Baptismi mysteria secum reputare non possint. Requiritur quidem in usu Sacramentorum legitimo digna mysterii reputatio in iis, qui inter dextram et sinistram discernere possunt; sed non ideo efficitur, ut ab usu Sacramentorum

arceantur, qui illorum mysteria per adnatam naturae infirmitatem reputare non possunt, non autem per contemptum reputare non volunt, Si ea Dei mens esset ac voluntas aeter-(fol. 81b)na, ut, qui Sacramentorum mysteria reputare non possunt, a verbi et Sacramentorum ministerio arcerentur, neque Christus sane Dominus infantibus in ulnas suas acceptis benedixisset, cum nihil omnino intelligerent [1], — neque infantes olim iussi fuissent mandato Divino circumcidi [2].

Dicunt, mandatum Dei esse in circumcisione de infantibus, in Baptismo non item. At vero hoc ipso mandato in circumcisione dato testatur Deus, alienum id a sua mente ac voluntate aeterna esse, ut infantes propterea ab usu Sacramentorum arceantur, quod illorum mysteria secum reputare non possint.

Dum igitur et Christus, prolata sua ad infantes benedictione, quam illi intelligere non poterant, et Deus Pater olim mandato suo de infantibus circa circumcisionem manifeste testentur, et verbi et Sacramentorum ministerium ad infantes etiam, licet nihil horum intelligant, pertinere, — praeter mentem ac voluntatem Dei faciunt, qui infantes in Ecclesia arcent a legitimo Sacramentorum usu, propterea (fol. 82a) quod eorum mysteria secum digne reputare non possint.

Proferunt et illud: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, atque inde colligunt, eos, qui non credunt, non esse etiam baptizandos, et cum infantes non credunt ac ne possint quidem credere, non igitur etiam baptizandos esse; servari illos tamen etiam sine baptismo propter latam in foedere promissionem, quemadmodum foemellae olim in vetere Ecclesia servabantur, etiamsi non circumciderentur, putantque invictam plane esse hanc suam ratiocinationem.

At vero secum ipsemet pugnant in sua invicta ista, ut putant, argumentatione, si adiunctum a Christo Domino eodem ipso loco verborum, quae pro se rapiunt, antitheton coniungant: nempe, qui non crediderit, condemnabitur, — dum infantes non credere et nihilominus servari docent, contra adiunctum per Christum Dominum antitheton illud de condemnandis omnibus, qui non credunt.

Quodsi antitheton illud ad contemptores duntaxat referant, ut eos tantum condemnari intelligamus, qui cum possint, credere tamen non volunt, — sane fateri cogentur etiam, (fol. 82b) aliud non posse colligi ex prioribus illis Christi verbis: Qui crediderit et baptizatus fuerit etc., quam ut, quemadmodum hi demum baptizandi sunt, qui credere volunt cum possunt, ita etiam eos duntaxat a baptismo arcendos esse, qui, cum credere possint, id tamen nolunt facere; non autem eos, qui per naturae infirmitatem credere, etiamsi maxime

---

[1]) Marc. 10. [2]) Gen. 17.

velint, non possunt. Et proinde intelligent se etiam inepte ex eo loco colligere, infantes nostros baptizandos non esse, propterea quod credere non possunt, nisi si illos a vita quoque aeterna prorsus eandem ob causam excludant.

De foemellis exclusis a circumcisione supra diximus, Divinique hac in parte consilii rationem attulimus ex scripturis, quam Anabaptistae ad erroris sui patrocinium detorquere non possunt. In nostrae enim Ecclesiae Sacramentis non est amplius aut mas aut foemina aut adultus aut infans, sed omnes unus homo sumus in Christo, et est in omnibus omnia Christus sine ullo omnino discrimine, quod ad ius quidem et usum Sacramentorum attinet, aut sexus aut aetatis, si quidem nulla earum, quas iam ante exposuimus, exceptio intercedat; quarum cum nulla omnino in arcen-(fol. 83ª)dis a baptismo Ecclesiae infantibus commonstrari queat, dubium non est, graviter ab illis hac in parte peccari adversus Christi Domini de baptismi Sacramento ordinationem.

Nec obstant, quae producunt, baptismi adultorum exempla. Nemo enim unquam damnavit adultorum baptismum, si in adulta iam aetate sese Ecclesiae adiungebant. Sed non ideo efficitur, baptismum ad infantes Ecclesiae non pertinere, quod plurimi olim adulti baptizarentur, quemadmodum et nunc nihil obstat, quominus adulti quoque baptizentur, qui in adulta aetate a Iudaismo aut Ethnicismo ad Ecclesiam veniunt, etiamsi nos infantes nostros recepto more publico baptizemus.

Quin et hoc docemus, pertinere id ad debitum atque officium ministrorum in Ecclesia Christi, ut omnes baptizent, ad quoscunque peccatorum remissionem in Euangelio revelatam per meritum mortis Christi pertinere sciunt, sive sint adulti, sive infantes, sive mares, sive foeminae, sive barbari, sive graeci, siquidem concredito sibi Ecclesiae ministerio fideliter fungi volunt. Et, quemadmodum Petrus Apostolus negare se non posse affirmat aquae baptismum iis, quos spiritus sanctus descensu suo ad Christum (fol. 83ᵇ) iam Dominum pertinere testabatur, ita et negari baptismum infantibus Ecclesiae non posse dicimus a ministris fidelibus in Ecclesia Christi, quos certam alioqui cum Christo Domino communionem habere scimus in corpore et sanguine ipsius.

Habemus igitur et in baptismi Sacramento, baptismum esse ordinationem Dei positum in ministerio Ecclesiae, sic ut ad totam omnino Christi Ecclesiam omniaque membra illius pertineat, quatenus nulla iam pluries dictarum exceptionum intercedat.

Iam quod ad signum in baptismo attinet, id nobis a Ioanne Baptista comprobatum habemus, nempe ordinatam divinitus aquae tinc-

tionem sive ablntionem. Ait enim diserte, se a Deo missum esse, ut aqua tingeret sive lavaret, seu, ut voce Graeca utamur, baptizaret [1]). Postea vero Christus Dominus iussit, ut tingamur aut lavemur aqua in nomen Patris Filii et Spiritus sancti [2]). Ita vero et ab Apostolis factum esse legimus, sic ut ét ex Baptistae testimooio atque exemplo, ét ex Christi Domini institntione, denique et ex Apostolica observatione clarissime constet, (fol. 84ᵃ) signum a Deo ipso ordinatum esse tinctionem in aqoa seu ablutionem, a qua et Baptismus vocatur, et quidem in nomen patris et filii et spiritus sancti.

Mysterium vero baptismi nobis iodicat ipsemet Christus Dominus, dum nos in nomen patris et filii et spiritus sancti baptizari inbet, siquidem verba haec iuxta Pauli interpretationem accipiamns, nempe nostram cum patre et filio et spiritu sancto per se communionem, et proinde nostram quoque secum communionem. Quomodo enim communionem cum Deo patrè filio et spiritu sancto, et quidem per Christum Dominum, habere possemus, si non prius cum ipsomet Christo Domino aliqoam communionem haberemus?

Porro ot ex Paulo constet, perinde esse, sive nos in nomen Dei patris et filii et spiritus sancti, sive in communiooem patris et filii et spiritus sancti baptizari dicamus, — primom dum legimus, multos ab ipsis etiam Apostolis in nomen domini Iesu duotaxat baptizatos esse: non dobitamus saoe, eos, qni ita sunt baptizati, recte ac legitime baptizatos fuisse. Nemo eoim ad dominum Iesom (fol. 84ᵇ) vere pertinere potest, quin et ad Deum simul patrem et filium et spiritum sanctum omnino etiam pertineat. Et proinde ne baptizari quidem etiam vere potest quisquam in nomen domini Iesu, quin simul etiam in nomen patris et filii et spiritos sancti baptizetur; cum praesertim de certorum in baptismo verborum pronuuciatiooe, ita ut variari noo possint, nullum plaoe usquam mandatum in scripturis extare videamus.

Si vero legitime baptizati sont, qui in nomen domini Iesu duntaxat sunt baptizati, equidem, ad qoem modum Paulus exponit nos in nomen domini Iesu baptizari, ad eondem quoque modum et nos verba illa intelligere debemus, dum oos in nomen patris et filii et spiritos sancti baptizari audimus.

Iam cum Paulus dicat, eos, qui in nomen Domioi Iesu baptizati sunt, in ipsummet Domioum Iesom Christum baptizatos esse [3]), et rursum, qui in Christum Iesum baptizati sont, in mortem ipsius baptizatos esse; ad extremum vero, in mortem Christi baptizatos esse perinde esse exponat atqne in communionem mortis Christi baptiza-

[1]) Io. 1. [2]) Mat. ult. [3]) Rom. 6.

tos esse, — et nobis sane perinde esse debet, sive nos in nomen (fol. 85a) Christi Domini, sive in Christum ipsum, sive in communionem eorum, quae sunt Christi, mortis inquam ac resurrectionis suae, baptizari dicamus.

Et, si iuxta hanc Pauli doctrinam, idem est, in nomen Domini Iesu nos, aut in ipsummet Dominum Iesum, sive in communionem eorum, quae sunt ipsius, baptizatos esse, — equidem et nobis perinde esse debebit, sive nos in nomen patris et filii et spiritus sancti, sive in ipsummet Deum patrem et filium et spiritum sanctum, seu in communionem eorum, quae sunt patris et filii et spiritus sancti, baptizari dicamus.

Ac rursum, si idem est, in nomen nos patris et filii et spiritus sancti, aut in communionem eorum, quae sunt patris filii et spiritus sancti, baptizatos esse, perspicuum est, baptismi mysterium esse nostram cum Deo patre filio et spiritu sancto communionem.

Et cum haec haberi non possit, nisi per Christum, per Christum vero haberi rursus non possit, nisi cum illo etiam communionem aliquam peculiarem habeamus extra divinam naturam ipsius, quatenus videlicet filius (fol. 85b) Deus homo quoque est, — sane, quatenus in communionem nostram cum Deo patre et filio et spiritu sancto baptizamur, simul etiam baptizamur proculdubio in communionem eum Deo filio, quatenus nos ille ad eam ipsam cum patre suo et spiritu sancto communionem deduxit.

Deduxit autem per propitiatoriam corporis sui sacrosancti hostiam et sanguinis sui pretium in carne nostra. Sic enim oportebat, misso in carnem nostram Dei filio, carnis nostrae peccatum per peccatum expiari, ut aeternae patris Dei iustitiae satisfieret [1]).

Dum igitur in communionem cum Deo filio baptizamur, quatenus ille nos demum ad nostram cum Deo patre suo et spiritu sancto communionem perduxit, atque ille ad eam nos communionem perduxit corporis sui oblatione sanguinisque sui pretio per mortem suam, — perspicuum est, nos, dum baptizamur in nomen patris et filii et spiritus sancti, simul quoque baptizari in communionem corporis et sanguinis ipsiusque adeo oblationis propitiatoriae et mortis Christi, per quam alioqui solam ad eam communionem cum Deo patre filio et spiritu sancto deducti sumus.

Et in baptismo igitur Sacramenti mysterium (fol. 86a) esse videmus nostram cum Christo Domino communionem in corpore et sanguine ipsius, quatenus iuxta Pauli doctrinam in mortem Christi baptizamur, dum in nomen Dei patris et filii et spiritus sancti bap-

[1]) Rom. 8.

tizamur, nisi quod Christus Dominus in ipsa baptismi institutione nostram secum in corpore et sanguine suo communionem a fine ipso nobis voluit designari, ut nobis sui beneficii in nostra secum communione magnitudinem ob oculos poneret et commendaret. Finis enim nostrae cum Christo Domino communionis in corpore et sanguine ipsius est, ut per eam ad illorum tandem omnium communionem perveniamus, quae sunt alioqui Dei patris et filii et spiritus sancti.

A fine igitur ipso nostra nobis cum Christo Domino communio in corpore et sanguine suo, designatur per baptismi symbolum, dum aut in mortem Christi nos, aut in communionem seu nomen patris filii et spiritus sancti baptizari audimus, iuxta ipsinsmet Christi Domini institutionem.

Habemusque iam commonstratas Sacramenti partes in baptismo iuxta nostram diffinitionem, nempe signum visibile, externam videlicet (fol. 86b)cet baptismi formam seu ceremoniam, ipsam inquam aquae tinctionem seu ablutionem. Ac rursus invisibile mysterium, quod signo hoc designabatur, nostram videlicet cum Christo Domino communionem a fine suo nobis adumbratam per nostram cum Deo patre filio et spiritu sancto communionem, dum in nomen Dei patris filii et spiritus sancti baptizamur. Quo quidem etiam respexisse videtur Paulus, dum nos in unum corpus omnes baptizari docet [1]). Neque enim in unum invicem corpus sub Christo Domino baptizari possumus, quin simul etiam nostram omnium cum Christo in eodem ipso corpore communionem nostro baptismo attestemur, adeoque et in corpus ipsius baptizemur. Itaque iam ad finem Sacramentorum in baptismo etiam commonstrandum progrediamur, ut hic quoque nostram diffinitionem omni ex parte adprobemus.

Finem porro baptismi nobis indicat Petrus Apostolus, dum baptismum ἐπερώτημα esse docet bonae conscientiae erga Deum [2]). Etenim Baptismus noster frustra vocaretur ἐπερώτημα bonae nostrae erga Deum conscientiae, si non in hoc esset institutus, ut animos nostros in conscientiae certaminibus tranquillaret, fidu-(fol. 87a)ciaque nostrae cum Christo communionis adversus mortem Satanam ac infernum communiret. Et, si in hoc est institutus baptismus, ut nostros animo in conscientiae certaminibus fiducia communionis nostrae cum Christo communiret, perspicuum est, finem baptismi hunc esse, ut animos piorum in Ecclesia obsignet in nostra cum Christo Domino communione. Tum demum enim revera erit ἐπερώτημα bonae conscientiae erga Deum [2]), quemadmodum Petrus docet.

Sed et alibi [3]) hoc ipsum confirmat idem Petrus, dum eos, qui

[1]) 1 Cor. 12. [2]) 1 Pet. 3. [3]) Act. 2.

veram poenitentiam cordis manifesta conpunctione iam declaraverant, et proinde remissionem quoque peccatorum proculdubio, quod ad Deum attinet, habebant, baptizari alioqui iubet in peccatorum remissionem; nimirum et ibi finem baptismi esse ostendit obsignationem nostri in communione nostra cum Christo, quae per fructum suum, peccatorum videlicet remissionem, designatur, neque enim extra Christum ulla est omnino remissio peccatorum.

Ac rursum ubi Cornelium et eius familiam baptizari vult, iam post acceptum spiri-(fol. 87[b])tum sanctum approbataque bona Cornelii opera, eundem sane baptismi finem nobis commonstrat, nimirum baptizari adhuc oportuisse Cornelium et eius familiam, ut coeleste donum illud visibili etiam signo, a Christo Domino instituto in iis, qui baptizabantur, obsignaretur; non ad illorum tantum, sed ad totius etiam Christi Ecclesiae in fide erga Christum confirmationem.

Et finem igitur eundem in baptismo commonstratum habemus, quem in utroque veteris Ecclesiae Sacramento commonstravimus iuxta nostram diffinitionem. Iam de duobus illis huius finis fructibus seu membris videamus, nempe de πληροφορία et renovatione mentis affectuumque nostrorum.

De πληροφορία circa baptismum docet Paulus, dum eos, qui sunt baptizati, Christum induisse testatur. Loquitur enim illic Paulus de induitione Christi, non legali illa, qua Christi Domini exemplum in nostra conversatione per imitationem exprimere conamur, sed de induitione Euangelica, quemadmodum id quoque Lutherus vere pie et erudite adnotavit, qua videlicet (fol. 88[a]) Christi Domini sanctitate iustitia innocentia ac meritis omnibus ita contegimur, ut omnes unus atque idem homo cum illo esse censeamur in Patris sui coelestis iudicio, neque quidquam in nobis amplius supersit veteris nostrae condemnationis, nisi si Christum quoque dominum, qui unus iam atque idem nobiscum homo esse censetur baptismi nostri testimonio, condemnandum simul nobiscum esse dicamus. Dum igitur Paulus baptismum testimonium esse docet huius talis Christi Domini induitionis, qua omnes unus atque idem homo cum Christo sumus, — simul quoque docet, ita nobis conquiescendum esse, pacificatis omnibus conscientiae certaminibus, in ea, quae nobis baptismo designatur, Christi Domini induitione, hoc est, nostra cum ipso communione, dum baptismum nostrum intuemur, ut nos iam non posse amplius condemnari statuamus propter vestem nostram, quam baptismi testimonio induimus, nempe Christum, — quum ipse Christus Dominus condemnari amplius non potest. Ita demum enim baptismus noster, quotiescunque illum administrari videmus, erit vere, iuxta Petri doctrinam, ἐπερώτημα bonae tranquillaeque ac prorsus pacificatae con-

scientiae (fol. 88b) nostrae erga Deum, fiducia vestis nostrae illius, quam induimus, nostrae inquam cum Christo Domino communionis in corpore et sanguine ipsius.

De mentis vero atque affectuum renovatione circa baptismi considerationem docemur ab eodem ipso Paulo, dum baptismum renovationis spiritus sancti lavacrum esse docet. Sed omnium significantissime, dum sumpto argumento a nostrae cum Christo communionis in baptismo testimonio, quatenus sane in communionem mortis sepulturae ac resurrectionis Christi baptizamur, baptismo nostro nos admoneri testatur, ut, si in communionem mortis sepulturae ac resurrectionis Christi nos baptizatos esse credimus, simul etiam illi in nostris affectibus per omnem vitam nostram commoriendum, affectusque nostros consepeliendos esse, ac demum cum illo nobis simul etiam ad vitae novitatem resurgendum intelligamus. Unde demum facile apparet, sub Sacramentali illa in baptismo obsignatione nostrae cum Christo Domino communionis utrunque hunc illius fructum comprehendi, nempe et πληροφορίαν et mentis nostrae affectuumque nostro-(fol. 89a)rum renovationem.

Commonstravimus igitur et in baptismo iam partes omnes nostrae diffinitionis, quam omnibus in genere Sacramentis dedimus. Nunc peculiarem Baptismi, etiam diffinitionem, quae priori illi respondeat, addemus.

Dicimusque, Baptismum esse divinam ordinationem, quae, in Ecclesiae ministerio posita, sic ut ad totam omnino Christi Ecclesiam omniaque membra illius ordinarie pertineat, — habeat signum suum visibile, externam videlicet a Domino institutam formam seu ceremoniam, nempe externam in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti, seu in nomen Domini Iesu Christi aquae tinctionem sive ablutionem, — et habeat item suum invisibile mysterium, nempe nostram cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius communionem, nomine illo Patris et Filii et Spiritus sancti, seu nomine Domini Iesu in Baptismo adumbratam, ut fidem illius animis piorum in Christi Ecclesia ita infigat, totamque adeo Ecclesiam in perpetua illius fruitione ita obsignet, ut in illa vere et ex animo conquiescat, pacificatae iam conscientiae testimonio, et affectuum innovatione eam of-(fol. 89b)ficiorumque sedulitate exprimat ac contestetur.

Putamus autem nos clare satis ac perspicue hanc ipsam diffinitionem in Baptismi Sacramento iam commonstrasse et comprobasse. Itaque ad alterum nostrae Ecclesiae Sacramentum, nempe ad coenam Domini iam tandem progrediemur, atque ad eundem ipsum modum commonstrabimus in coena Domini (per Dei gratiam) nostram illam Sacramenti diffinitionem cum omnibus partibus illius.

De coena vero Dominica prolixius nos aliquanto agere oportebit propter exortas circa illam controversias, quae Ecclesiam hactenus vehementer, ut videmus, perturbarunt. Dabimus tamen operam omnem, ut omnia a nobis clare et perspicue dicantur.

Ac primum coenam Domini esse divinam ordinationem ab ipsomet Christo Domino institutam, testantur Euangelistae tres in passionis dominicae historia; testatur et Paulus Apostolus, dum illius usum Corinthiis praescribit et commendat.

Esse autem positum coenae dominicae Sacramentum in Ecclesiae ministerio, verba ipsa man-(fol. 90ᵃ)dati dominici in ipsa institutione testantur: Hoc *facite*. In opere enim constituitur, quod fieri debet, et proinde in ministerio quoque, ut sint, qui illud peragant.

Ita vero in ministerio Ecclesiae positum esse coenae dominicae Sacramentum, ut ad totam omnino Christi Ecclesiam pertineat, idem hoc ipsum mandatum: hoc facite, nobis non obscure testatur. Etenim non temere Christus Dominus coenae suae suos duntaxat Apostolos adhibuit, omissis aliis omnibus, qui ad munus Apostolicum, etiamsi discipuli essent, vocati nihilominus non erant, nimirum ut in solis Apostolis, qui soli etiam omnis suae doctrinae fundamentum in universa Christi Ecclesia constituere debebant, universam nobis suam Ecclesiam adumbraret; — et, quemadmodum doctrinam omnem, Apostolis ipsis potissimum traditam, sd totam interim suam Ecclesiam vult pertinere sub Apostolorum nomine, — ita etiam ad totam suam Ecclesiam coenae usum, ut Apostolis praescriptus est, sub ipsorum etiam nomine pertinere velit.

Ita vero mox a coena etiam, dum pro Apostolis orat, sub illorum nomine totam complectitur Ecclesiam, id quod, addita mox veluti (fol. 90ᵇ) correctione quadam, aperte declarat, dum ait: Non pro illis tantum oro etc., quasi diceret: dum pro Apostolis meis oro, in eadem mea oratione omnes etiam complector, quicunque per illos in me crediderint.

Ita et hic igitur, dum Apostolos suos ad extremam suam cum illis coenam in hoc collegisset, ut extremam quandam in vita hic sua doctrinae omnis suae colophonem adderet, eamque nova sua institutione velut ob oculos poneret, in verbis sane illis, quae ad Apostolos profert, non Apostolos tantum, sed et eos omnes complectitur, qui in eandem cum Apostolis societatem per doctrinam ipsorum venturi erant.

Ad hunc sane modum et Paulus verba haec Christi Domini intelligit, dum coenae usum et sibi quoque sub nomine Apostolorum a Domino traditum esse, et se, ut a Domino accepisset, toti rursus Corinthiorum Ecclesiae tradidisse testatur. Quo pacto enim et Paulus a

Domino accepisset, qui coenae Dominicae institutioni non adfuit, et cum ipsum coenae usum Corinthiis tradidisset, si sub Apostolorum nomine in coenae institutione et se ipsum et totam Christi Ecclesiam compre-(fol. 91ᵃ)hensam esse non putasset?

Iuxta hanc igitur Pauli doctrinam atque exemplum videmus mandatum illud Dominicum in coenae institutione, *hoc facite*, non tantum in se complecti Apostolos ipsos, ad quos prolatum est, sed et eos omnes, qui per doctrinam ipsorum in Christum Dominum credituri erant, quod ad usum coenae attinet, — et proinde usum coenae dominicae ita etiam in Ecclesiae ministerio positum esse, ut ad totam omnino Ecclesiam omniaque membra illius pertineat, siquidem nulla earum exceptionum, de quibus antea pluries iam diximus, intercedat.

Veniunt autem sub eas exceptiones infantes, quod ad coenae Dominicae usum attinet, propterea quod adnata naturae ipsorum infirmitas signi coenae illos capaces esse non sinat, quemadmodum et a coenae Paschalis usu olim liberi erant.

Veniunt et valetudinarii homines, quibus per morbi magnitudinem publico Ecclesiae coetui adesse et proinde coenae quoque Dominicae in coetu Ecclesiae participare non licet. (fol. 91ᵇ)

Veniunt postremo et qui, infantiam quidem supergressi, probare sese interim adhuc per naturae infirmitatem non possunt, cum mandatum apertum extet: Quisque se probet [1]), tametsi in vetere Ecclesia pueros infantiam supergressos ad coenae Dominicae usum admitti solitos legimus. Et haud scio, an non ad adultos tantum mandatum illud Apostolicum: Quisque se probet, — ita pertineat, ut pueros interim ab usu coenae non excludat, quemadmodum et infantes a Baptismo propter mandatum illud ad eos, qui baptizantur, datum non excluduntur: Ita et vos reputate, vos ipsos mortuos esse peccato [2]), Baptismi videlicet testimonio; — et in circumcisione, licet in adultis circumcisio carnis sola sine mysteriorum illius reputatione nihil esset, quemadmodum Paulus docet, non ideo tamen in infantibus Israëlis circumcisio carnis ipsa nihil erat [3]), sed erat signum foederis, Deum esse illorum Deum; — atque in coena item Paschali, pueros ab usu illius exclusos fuisse non legimus, etiamsi mysteria (fol. 92ᵃ) illius digne secum reputare non possent; ut mandata illa de mysteriorum reputatione, circa usum omnium Sacramentorum tradita, ad adultos tantum pertinere intelligamus, sed ita pertinere interim, ut eos tantum ab usu Sacramentorum excludant, qui illa per incuriam aut contemptum reputare, cum possint, nolunt: non

[1]) 1 Cor. 11. [2]) Rom. 6. [3]) Rom. 2.

autem pueros, qui, etiamsi velint, reputare ea secum per naturae infirmitatem non possunt. Hic tamen nihil privata cuiusquam autoritate novari velim, sed occasionem dare volui cogitandi ea de re iis, ad quos cura et gubernatio Ecclesiarum propius pertinere videtur. Etenim si Petrus Apostolus sui esse officii putavit, non arcere ab aquae baptismo etiam ethnicos, quos modo ad Christum pertinere iam spiritus sancti testimonio videbat, cogitare poterunt etiam, qui Petri officio in Christi Ecclesia funguntur, suarum partium esse, ut eos a signo communionis corporis et sanguinis Christi ne arceant, quos ad eam communionem pertinere vivaque adeo membra corporis Christi et signorum praeterea Sacramentalium capaces esse sciunt.

Et pueri quidem, dum non admittuntur, (fol. 92b) extra culpam sunt violati mandati illius: hoc facite. Sed, si hic ulla culpa est, ea sane in iis tota haeret, qui pueros, cum sint membra corporis Christi, ad obsignandam interim per coenae usum eam ipsam cum Christo in corpore suo communionem non admittunt. Ita vero et illi extra omnem culpam sunt, qui propter Pharisaicam Antichristianamve Papae Romani eiusque similarum tyrannidem ab usu Sacramentorum abstinere malunt potius, quam ut ea cum illis quoquomodo profanent; sed culpa omnis in illos redundat, qui puritatem Sacramentorum in Christi Domini contumeliam suis traditionibus impurarunt, et, ut ad suae impuritatis societatem omnes secum pertrahere possint, legitimum Sacramentorum usum, ut a Christo institutum et ab Apostolis observatum esse legimus, non tantum ferre nolunt, sed etiam capitalem haberi volunt. Quod equidem ad eorum consolationem adiicere volui, qui inter illos versantur, apud quos legitimum Sacramentorum usum habere non possunt, maluntque abstinere omnino a Sacramentis, dum aliud non possunt, quam illa simul cum aliis profanare.

Habemus igitur in coenae Dominicae con-(fol. 93a)sideratione, Coenam Domini esse Dei ordinationem in Ecclesiae suae ministerio ita positam, ut ad omnia illius membra omnino pertineat, quaecunque praedictis exceptionibus non includuntur: tametsi de puerorum infantiam superegressorum exceptione accuratius cogitari velim.

Iam quod ad signum coenae dominicae attinet, ipsa Euangelistarum et Pauli narratio signum nobis coenae indicat, si cum mandato illo: hoc facite, coniungatur, — nimirum Christus Dominus mandato hoc suo non aliud iussit agi in coenae suae administratione, quam, quod ipsemet egisset in illius institutione.

Sunt autem, qui institutionem coenae dominicae auspicentur ab ipsa agni Paschalis coena. Sunt alii, qui illam auspicentur a pedum lotione, posteaquam coena legalis peracta esset, — et proinde coenae Dominicae ét dapes alias adhibere ét pedum etiam circa illam lotio-

nem, tanquam signum ad coenam pertinens, observari volunt. Sed nos collata Euangelistarum narratione videmus, tres illic Christi Domini diversas inter se actiones. Pri-(fol. 93b)mam, Agni Paschalis coenam. Alteram, pedum Apostolicorum lotionem (ad hanc enim a mensa Dominum surrexisse Ioannes testatur). Tertiam, coenae suae, novi inquam Testamenti, institutionem, ad quam lotis iam pedibus Apostolicis resumptisque rursum vestibus Dominum progressum esse denuoque mensae accubuisse videmus. In hoc igitur altero ad mensam accubitu, non autem antea, coenam a Domino institutam esse videmus, ut neque agni Paschalis coena, neque item pedum illa lotio, ad coenae dominicae signum referri quoquomodo possit.

Sed hic nondum cessant quidam, et plures nihilominus cibos in coenae Dominicae usu adhibendos esse putant, quod Christus Dominus denuo ad mensam accubuisse atque Apostolis vescentibus, ut ait Mattheus, coenam suam instituisse legatur.

At vero non ideo efficitur alios cibos pro coenae Dominicae signo adhibendos esse in illius administratione, quod Dominus coenam suam edentibus quidvis aliud discipulis instituisset, nisi doceatur, illum ab aliis cibis illis coenam suam auspicatum esse. Id porro adeo doceri non po-(fol. 94a)test, ut plane diversum ex Paulina narratione doceatur, nempe Christum Dominum, etiamsi discipuli post novum illum eius accubitum alia quoque edissent, non tamen ab aliis cibis ullis coenam suam auspicatum esse, sed ab ipsa panis ac poculi coenaa in manus suas sumptione, gratiarum actione, distributione et Apostolorum participatione. Dominus Iesus, inquit, in ea nocte, qua traditus est, accepit panem etc. Ex hac sane Apostolica narratione clarissime apparet, Dominum ab ipsa panis in manus suas sumptione et gratiarum actione coenam suam mysticam novi testamenti auspicatum esse; et proinde, quod ille in signo ipso coenae suae censeri noluit, nos quoque pro signo illius habere non debemus, multo minus autem urgere tanquam necessarium, cum in nulla dominicae institutionis parte reperiri possit. Sed ea tantum pro signo coenae Dominicae reputare debemus, quae post acceptum in manus suas panem ac poculum coenae, actasque Deo patri gratias, Dominum ipsum fecisse cum Apostolis suis videmus.

Ab ipsa igitur panis et poculi in manus Dominicas sumptione coenae dominicae signum observare debemus, et id nobis in coenae do-(fol. 94b)minicae administratione faciendum esse statuemus, iuxta mandatum illud „hoc facite", quod Christum Dominum sumpto in manus pane ac poculo coenae fecisse, iuxta Euangelistarum et Pauli narrationem, Apostolosque ipsius demum etiam observasse videmus.

Videmus autem haec a Domino in ipsa coenae institutione acta

esse: Primum, illum panem et poculum suo ordine in suas manus sumpsisse; deinde Deo Patri suo non vulgaribus proculdubio verbis gratias egisse. Postea panem ipsum fregisse atque accumbentem accumbentibus Apostolis, ut acciperent ederent ac biberent, porrexisse et dixisse: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur (vel frangitur, ut Paulus habet), hoc est sanguis meus (seu hoc est testamentum in meo sanguine, quemadmodum Paulus et Lucas testantur), qui pro vobis, ut Lucas ait, aut pro ipsa multitudine effunditur, quemadmodum Mattheus et Marcus habent.

Hoc igitur in signum coenae suae a Domino constitutum esse habemus, ut exemplo ipsius panem ac poculum coenae, qui in ministerio Ecclesiae Christi loco positi sunt, in manus suas accipiant, ut gratias agant Deo pa-(fol. 95ª)tri pro delatis suis erga nos in Christo Domino beneficiis, et, actis Deo patri per Christum Dominum gratiis, panem frangant cum passionis dominicae commemoratione, fractumque demum panem atque apparatum in hoc poculum accumbentes accumbenti etiam Ecclesiae porrigant, ut accipiat edat ac bibat in Christi Domini recordationem.

Hoc ita, inquam, a Christo Domino et eius Apostolis factum esse legimus in prima coenae suae institutione. Et cum id ipsum sane, non autem aliud quidquam facere iubeamur mandato illo „hoc facite", signumque in sacramento id sit, quod in externo Ecclesiae eiusque ministrorum opere iuxta Dei mandatum positum esse constat, — perspicuum est, signum coenae dominicae esse panis ac poculi coenae publicam in coetu Ecclesiae in manus ministrorum sumptionem, gratiarum actionem, fractionem panis eiusque demum, ac postea poculi, accumbente Ecclesia distributionem, acceptionem praeterea utriusque ab ipsa Ecclesia et deinde eorum participationem cum mysterii per haec omnia adumbrati explicatione.

Hoc, inquam, signum coenae dominicae esse (fol. 95ᵇ) dicimus ex Pauli Apostoli et Euangelistarum narratione, quod ordine per partes singulas iam intueamur, ut videamus, qua parte violata sit haetenus coenae Dominicae institutio in signi ipsius consideratione per Antichristianam Papae Romani tyrannidem et simiarum ipsius.

Atque sane vel ex sola coenae dominicae profanatione facile apparet, Papam Romanum, verum proculdubio Antichristum esse, qui vim omnem ac dignitatem Christi Domini in suo Sacerdotio supprimere plane conatur, et nihil non agit, ut in suae huius impietatis societatem partim poculi sui meretricii lenociniis, partim vero tyrannide sua, pertrahere omnes possit.

Is igitur in ipso signi coenae Dominicae initio impietatis mox suae minime obscurum specimen dedit. Christus Dominus in coenae

suae institutione panem primum, deinde poculum in manus suas accepit, ut Apostolis et toti suae in illis, ut iam est dictum, Ecclesiae in cibum et potum daret. Papa vero, servus Domino suo (fol. 96ᵃ) maior scilicet, panem quidem sumit et ipse ac poculum, sed quae nemini alteri, nisi suis illis incantatis adiuratisque simiis, communia esse vult, ut delatam gratuito a Christo fidelibus omnibus sacerdotii sui aeterni communionem nobis abripere atque in iuratas duntaxat simias suas illas transferre possit. Aut, si omnino plebi in Ecclesia coenae dominicae nomine aliquid dandum sit, id ita dari instituit, ut pro Eucharistia prodigiosum nobis plane idolum obtrudat et altera signi parte nos insidiose fraudet. Nimirum aliter non posset subsistere ullo modo discrimen illud inter laicos (profanos videlicet turbae exsecrabilis, quae legem non novit, homines) et sacrum illum (ad quem modum fames auri sacra a poeta vocatur) clericorum suorum ordinem, quem cum laicis confundi non sinit.

Revera autem sunt clerici omnes, qui ullo modo pertinent ad papistici sacerdotii ordinem, atque in eo sibi placent, quacunque tandem illius professione et quibuscunque notis ipsius; sed longe alia ratione, quam nescio quis Isydorus in decretis ipsorum legitur attulisse. Atque verum sane est, clericos a voce Graeca κλῆρος vocari, sed non quatenus sortem po-(fol. 96ᵇ)culiumve aut haereditatem absolute significat, — hac enim ratione Paulus multis locis universam Christi Ecclesiam clerum esse apertissime testatur, et passim id alioqui in Scripturis habetur[1]) —, sed quatenus naturam ac ingenium vermis cuiusdam referunt, qui a Graecis etiam κλῆρος vocatur. Refert autem in historia animalium Aristoteles, nasci in apum alvearibus insectum quoddam, araneo simile, quod non favis tantum sit noxium, sed in ipsum quoque apum examen universum exitialem quandam contagionem inducat. Eum porro vermem, ubi et mel totum infecerit et apes maxima ex parte enecarit, alas demum assumere, et deinde a nonnullis πυραύστην vocari, quod lumen ignis nocte perpetuo circumvolitans soleat infestare. Plinius vero κλῆρον morbum ipsum, veluti tuberculum quoddam, ex cerae duricia in favis collectum, vocat, ex qua demum infectis alvearibus vermem illum nasci plerique putarunt. Ab hoc igitur clero, sive morbo iuxta Plinium, sive insecto iuxta Aristotelem, vere proculdubio clerici vocantur, quicunque ad ordinem illum papistici sacerdotii quoquomodo pertinent, atque illius nomine sibi ita placent, (fol. 97ᵃ) ut inter laicos censeri nolint, quorum alioqui opus aliud non sit, quam terram colere, uxores ducere et decimas solvere; hisce namque notis laicos a se discernunt. Etenim ordo hic natus

[1]) Eph. 1. Coll. 2. Psalm. 2. Apoc. 1. 5.

est in mediis ecclesiae penetralibus, ad quem modum clerus ille nascitur in mediis apum alvearibus, adeoque in ipsis favis mellis, hoc est, in partis aliorum labore opibus ac fortunis. Deinde favos omnes lue sua inficit, ipsam inquam doctrinam Euangelii salutarem, quam Propheta favis mellis comparat atque etiam anteponit [1]). Neque hoc tantum, sed in ipsum etiam universum apum examen, in universam inquam Christi Ecclesiam contagionem suae superstitionis ac idololatriae invehere modis omnibus conatur. Praeterea in hoc ipso clericorum ordine pyraustae ingenium referunt, qui alas sibi qualescunque artibus suis collegerunt, ut, quemadmodum pyrausta noctu duntaxat volitat, posteaquam volare coepit, et oblatum quodque lumen semper infectat, donec alis adustis concidat, ita et clerici isti e mediis ignorantiae tenebris impetere non cessant oblatum nobis in Christi Euangelio, velut in lucerna quadam, divinae cognitionis lumen, neque prius cessabunt impetere, quam igne ad extremum illo divini iudicii adusti tandem conci-(fol. 97b)dant, ut non amplius unquam omnino resurgant. Huius generis igitur clerici sunt, ad quos solos Papa Romanus panem simul ac poculum coenae dominicae vult pertinere, violata prima signi parte in coenae dominicae institutione, nempe ipsa panis ac poculi coenae in manus ad pascendam Ecclesiam sumptione.

Quemadmodum autem non ita in manus sumunt panem ac vinum coenae dominicae ministri papistici, ut Christus Dominus instituit, nempe in escam ac potionem mysticam Ecclesiae ipsius, — ita neque ad eum modum agunt Deo patri gratias, ad quem modum Christus dominus accepto in manus suas pane et poculo coenae et ipsemet gratias egit et suum nos exemplum imitari praecipit. Neque enim dubium est, Christum Dominum pro veteris testamenti in novum iam commutatione gratias patri suo egisse, cuius ipse monumentum iam deinceps in Ecclesia observandum instituebat, cum ardenti precatione hauddubie pro successu Euangelii sui. Isti vero tantum abest ut de agendis Deo patri gratiis cogitent pro testamenti in Christo D. innovatione atque illustratione, ut lucem Euangelicae doctrinae in ipsa dominica institutione ad umbras rursum plus quam Iudaicas, ne dicam tenebras ipsas, revocare conentur, dum instituto quodam sacerdotii, Christo plane (fol. 98a) adversarii, genere, coenam Domini in Missarum suarum cauponam, quod in ipsis est, transformant; at novam formant nescio quam oblationem propitiatoriam, seu, ut iam vocare illam argutius scilicet coeperunt, applicatoriam, ne Christum denuo crucifigere occidereque videantur. Imo vero gratiarum actoriam hanc

[1]) Psal. 19.

Christi Domini in coena sua precationem in magicam quandam elementorum coenae consecrationem, hoc est, incantationem vertere non dubitarunt, qua rerum species nescio quomodo transmutentur novumque Christi Domini corpus pastaceum, quod alioqui virgo mater neque concepit unquam, neque peperit, formetur, ut ipsorum quaestui et idololatriae servire possit. Qua tamen in parte magis illos ad celandum suum mendacium memores, quod dicitur, esse oportebat. Cum enim gratiarum actionem Christi Domini pro consecratione accipi volunt, et consecrationem in verbis solemnibus illis constituunt: Hoc est corpus meum, non meminerunt, gratiarum actionem iuxta narrationis ordinem priorem fuisse ipsa panis fractione et distributione; verba autem illa, quae ipsi consecrationis loco habent, prolata esse post (fol. 98b) panem iam fractum. Dubium, in ipsane illius distributione, an vero posteaquam Apostoli iam et panem ipsum edissent et poculum etiam bibissent, quemadmodum ex Marci verbis de poculo facile colligi potest.

Et hanc igitur alteram signi in coena dominica partem corruptam plane violatamque ac turpissime prophanatam a Papa et grege suo videmus, nempe Christi Domini gratiarum actionem, ubi coenae elementa in manus suas accepisset.

Ad eundem porro modum violarunt etiam tertiam partem in signo coenae iuxta narrationis ordinem, nempe ipsam panis mysticam fractionem. Neque enim panem coram Ecclesia frangunt, quemadmodum Christus fecit et facere praecepit ad adumbrandam corporis sui sanctissimi in morte sua gravissimam pro nostris peccatis afflictionem, sed panem circumtonsum proferunt, ne illis cum Christo Domino ulla omnino ex parte conveniat, cuius alioqui exemplum atque institutionem simpliciter sequi velle, videri proculdubio posset esse contra naturam ac dignitatem ordinis ipsorum, in quo locum non habet regula illa: Non est maior servus domino suo, — sed audiri oportet: (fol. 99a) Ero par adeoque maior altissimo, quatenus sane condendi novi, ut vocant, canonis laxandaeque ac restringendae legis divinae potestatem se habere iactant; nisi si ideo panem coenae circumtonsum proferre, quam Christi exemplo frangere coram Ecclesia malunt cum passionis dominicae commemoratione, quod, cum ipsi magnam sanctitatis partem ordinis sui clericalis, ut iam est expositus, constituant in tonsionibus et rasuris, metuunt, ne Christus inter laicos et ipse censeatur, si non illum circumtonderent. Circumtonsum igitur panem coenae proferunt fortassis, ne quis Christum dominum, quem illic esse contendunt quantus quantus est, clericum ipsorum ordinis non fuisse suspicetur. Alioqui non video, cur illis circumtonsus panis magis placeat, cum a Christo domino et eius demum Apostolis fractum

semper fuisse constet. Quamquam et illud dici potest, panem a Papa et suis circumtondi, quem ipsi Christum ipsum esse volunt, quod eum ab Herode olim, aut quod item Iovem a Titanibus in ludibriam circumtonsum esse audiunt. Nimirum ad eundem modum ipsimet ludibrio habent Christum Dominum in suis institutionibus, quas nefandissime profanarunt, ad quem modum illum ab Herode et Iovem a Titanibus ludibrio habitum fuisse aiunt. (fol. 99ᵇ).

Sed et quartam signi in coena dominica partem multo adhuc impudentius violarunt, nempe ipsam panis fracti et poculi coenae distributionem. Etenim Christus dominus eum, ipsam panem, quem in manus acceperat, acceptumque actis gratiis fregerat, eundem ipsum, inquam, panem distribuisse legitur. Papa vero et sui id, quod in coena distribuunt, panem esse iam amplius negant, et poculum ipsum populo surreptum in sui duntaxat sacerdotii ordine haberi volunt. Commentum ipsorum de transubstantiatione refutat Paulus, dum nos unum panem omnes vocat, eo quod de uno eodemque pane omnes participemus. Neque hic subsistit cavillum ipsorum, dum a Paulo id, quod antea panis fuerat, panem adhuc vocari nugantur. Neque enim dicere potuisset Paulus, adeoque dici etiamnum non posset, nos unum panem esse, dum unum panem edimus, nisi id quod edimus sit etiamnum revera panis. Sed *fuisse* nos quoque, non autem *esse*, unum panem oporteret, si id quod edimus panem fuisse etiam, non autem esse dicamus. Oportet enim in signo ipso typum mysterii praesentem esse, non autem fuisse, si mysterium ipsum typo suo debeat respondere. Quare et in coenae Dominicae usu panem praesentem esse, non autem fuisse oportet, si, dum (fol. 100ᵃ) illum edimus, unus quoque et panis esse, non autem fuisse censemur, quemadmodum Paulus docet, ut interim hic de idololatrica panis coenae elevatione circumgestatione et adservatione nihil dicamus, quae velut ex diametro alloqui pugnant omnia cum instituta a Christo Domino in coena sua panis et poculi distributione, et horribilem praeterea idololatriam in Christi ipsius contumeliam invexerunt.

Denique et quintam quoque signi in coena dominica partem sanctissimi illi et reverendissimi ventres (patres dicere volebam) prorsus suppresserunt, ne quomodo deessent tuendae suae idololatriae. Christus Dominus panem fractum ita distribuit in sua coena, ut illum Apostoli ipsi acciperent. Ait enim Christus Dominus: Accipite, et protinus, ut idem etiam deinceps observaretur, praecepit „hoc facite". Isti vero non modo non patiuntur accipi panem aut poculum coenae in manus ab Ecclesia, sed vel attigisse haec grave esse piaculum, nec sine peculiari sua expiatione elui posse docent. Nimirum indigna est plebs illa laicorum execrabilis, ut pastaceum ipsorum Deum quoquomodo attingat. (fol. 100ᵇ)

Ad eundem vero modum et consessum Ecclesiae publicum in supplicem procumbendi morem ad Dei illius sui circumtonsi adorationem transmutarunt. Christus Dominus accumbens accumbentibus coenam suam administravit. Isti tot gesticulationes, tot procubitus, tantamque apparatum vestium nolarum cereorum suffituum et aliarum superstitionum coacervarunt ad Dei illius sui circumtonsi gloriam, ut usum coenae dominicae verterint plane in spectaculum quoddam theatricum, cultusque Dei illius sui summam constituerint in coenae, ut videmus, dominicae nefandissima profanatione.

Porro quidnam edat aut bibat apud istos ipsorum Ecclesia? cum ipsimet testentur, neque panem, neque vinum esse, quod in coena sua proferunt, et perspicuum sit (quemadmodum magna ex parte iam est ostensum, et adhuc ostendetur) corpus ab iis et sanguinem Christi, ut putant, distribui haudquaquam posse, ut intelligamus, in coena ipsorum non aliud proponi in cibum toti Ecclesiae, nisi accidentia sine subiecto, ut vocant. Ita videlicet eos dementavit ipsorum sapientia, ut ne quam amplius in suis adinventitionibus consistere (fol. 101ᵃ) omnino possint.

Atque sane ridicula iam esse videmus (gratia domino) haec ipsorum deliramenta. Sed est nobis deploranda interim haec tanta generis humani etiam in ipsorum impietate calamitas, quod, dum isti rebus divinis ab ipsomet Christo Domino iam iam alioqui morituro summa cura hauddubie institutis ita foede atque impudenter abusi sunt, infinita hominum millia ab illis dementata esse videamus, debemusque proculdubio ingentes Deo patri nostro agere gratias, quod nos e tenebris hisce plusquam Cimmeriis per suam vere paternam misericordiam eripuerit, donata nobis iam denuo luce salutari Euangelii Christi, — et cavere modis omnibus, ne post exortam eam lucem tenebras magis, quam lucem nobis donatam, dilexisse videamur. Lux porro in solo duntaxat Christo est, qui omnem hominem illuminat, et proinde tenebrae sunt, quidquid extra Christum verbumque suum vel dicitur vel docetur vel observatur, ut, si post agnitam Euangelii lucem nondum plane ea abiicienda esse putemus, quae praeter verbum ipsius, seu hypocrisi Pharisaica, seu Antichristiana tyrannide invecta quoquomodo esse videmus, — nondum equidem affirmare pos-(fol. 101ᵇ)simus, lucem a nobis illam magis quam tenebras amari, quidquid hic omnino praetexamus. Non est enim consensio ulla luci cum tenebris, inquit Paulus [1]), ut eas ullo modo connecti invicem posse putemus. Imo vero, qui curam Ecclesiarum sibi concreditam habent, esse id intelligent hauddubie debiti officiique sui, ut se cooperarios esse declarent Christi domini in destruendis diaboli operibus, quaecunque tandem

[1]) 2 Cor. 6.

arte fuco praetextu aut tyrannide invecta, recepta observataque esse constet. Is vero princeps est tenebrarum omnium, ut ab illo tenebras omnes offundi ne dubitemus, et illius opera nos retinere intelligamus, dum offusas undecunque in Ecclesia Christi extra verbi sui divini lucem tenebras, sive in doctrina, sive in ritibus Ecclesiasticis retinemus.

Scio simul ac repente non posse tolli omnia, quae longo alioqui usu altas iam radices egisse videntur. Neque hic damno eos, qui ut Ecclesiarum tranquillitatem tuerentur, quaedam sibi ad tempus toleranda esse existimarunt. Sed aliud est, tolerasse, quae non probes, in lenitate et modestia Christiana propter tranquillitatem Ecclesiae, — aliud vero est, excusare ac retinere (fol. 102ᵃ) velle etiam in doctrina ac cultu Dei, quas tenebras esse negare non possumus, quatenus verbo Dei approbari non possunt, nisi si extra Christum ae doctrinam ipsius lucem aliquam salutarem nos habere posse cum Pharasaeis illis putemus, ad quos Christus apud Ioannem ait: Si caeci essetis, peccatum non haberetis etc.

Et cum non aliunde omnes proculdubio, tam in doctrina, quam in ritibus Ecclesiae, tenebras, sive Pharisaicas olim, sive nunc papisticas provenisse sciamus iuxta ipsiusmet Christi Domini testimonium, quam quod, abiecta mandati divini obedientia, humanae traditiones in prae- tio esse coeperunt, equidem sibi hic invertendam esse paginam hanc intelligent, quicunque Christi Domini cooperarii in eius Ecclesia nunc haberi volunt, nempe, ut obiectis humanis traditionibus, quae verbi divini autoritate comprobari non queant, oculos atque animum totum adiiciant ad instaurandam puritatem obedientiae verbi Dei, tam in doctrina Ecclesiis tradenda, quam in rituum Ecclesiasticorum observatione, sed omnium maxime in usu Sacramentorum. Quorum profanatione cum eo impietatis ac de-(fol. 102ᵇ)mentiae prolapsos esse papistas videamus, ut pro crimine plusquam parricidiali habeant, veram illorum dignitatem velle adserere, metuere et nos profecto iustum Dei iudicium debemus, si praeter Christi domini voluntatem, assumenta iis nescio quae nostra addere velimus. Quasi vero ille, aut non tam prudens fuerit, quam nos simus, in forma praescribenda suae institutionis, aut nos hic se maiores esse voluerit, ut ab ipso praetermissa suppleremus.

At vero cum dominus ipse tradito mandato illo „hoc facite" omnem nostram prudentiam omnemque autoritatem concludat sub exempli sui obedientiam; cum Paulus item non aliud sit ausus tradere suis Corinthiis, quam quod a domino accepisset, — subiiciamus et nos hic nostram omnem prudentiam omnemque nostram autoritatem divini huius mandati obedientiae, valereque omnino faciamus papisticam illam

indulgentiam, qua se illi divina omnia laxare astringereque pro bona sua intentione posse putant; et ea ipsa tantum esse signa Sacramentorum statuamus, eaque duntaxat etiam in ministerio nostro observemus, quae exemplo Christi nobis propo-(fol. 103a)sita mandatoque ipsius nobis imperata habemus.

Accepit ille panem in cibum Apostolis distribuendum, poculum item illis propinandum. Accipiamus et nos panem iuxta ac poculum, non autem poculo Ecclesiam Christi fraudemus; et accipiamus in cibum ac potum Ecclesiae sub Apostolis tum adumbratae, ut iam dictum est, non autem ad idololatricam illorum elevationem circumgestationem et adservationem, multo minus autem ad blasphemam illam, sive propitiatoriam, sive applicatoriam pro peccatis vivorum ac mortuorum oblationem.

Egit ille Deo patri suo post panem poculumque acceptum gratias. Agamus et nos eidem ipsi Deo patri per eum ipsum filium suum gratias pro innovato iam in morte sua testamento exortaque luce salutis nostrae in Christo, quam vetus Ecclesia typis adumbratam expectabat; non autem panem ac poculum magicis praestigiis incantemus.

Fregit demum ille acceptum in manus panem, postquam gratias egisset. Frangamus et nos eum passionis dominicae reputatione, non autem Herodis aut Titanum exemplo Christum circumtondamus, cum hanc circumtonsionem horribili idololatriae subserviisse videamus.

Distribuit ille fractum panem accumbens ac-(fol. 103b)cumbentibus. Hoc ipsum faciamus et nos, non autem fingamus panem non esse, quod distribuimus, multo minus autem ritus eos coenae dominicae adhibeamus, qui hactenus circumtonsi illius ac pisti Dei idololatriam aluerunt, et naturam ac dignitatem sacerdotii Christi gravissime obscurarunt. Quodsi hactenus tolerari quaedam adhuc oportuit, ad ea iam tandem iusto ordine abolenda pro nostra virili singuli, ut cuiusque est vocatio, incumbamus, et tanto Dei beneficio, donata nobis inquam luce Euangelica, ne abutamur.

Iussit ille, ut panem quisque, dum distribueretur, acciperet. Hoc ipsum iubeamus et nos, non autem indignos esse putemus fideles ac pios homines, qui panem coenae aut poculum manibus suis contingant, multo minus autem superstitionem illam alamus, qua Christi corpus sacrosanctum, aut ex pane formatum, aut in pane latens, nefas esse videtur contrectare quoquomodo.

Iussit item, ut panem acceptum ederemus, poculum item biberemus, in sui recordationem. Et hoc utrunque nos faciamus igitur, non autem poculum a pane dimoveamus, multo minus autem ex partae iam peccatorum remissionis obsignaculo propitiatorium denuo sacrificium in mortis et (fol. 104a) sacerdotii Christi contumeliam instituamus, aut instituto per alios ullo modo assentiamur.

Addidit postremo Christus dominus verba illa coenae solemnia, ut nobis coenae illius suae mysterium indicaret, non ut rerum species verteret, ullamve oblationem propitiatoriam institueret. Et nos igitur in coenso administratione mysteria illius explicare reputareque debemus, dum panem coenae edimus poculumque illius bibimus, non autem illic magicam ullam transmutationem somniare, aut in ipso opere externo vim ullam statuere remittendi peccata, quasi non antea remissa fuissent. Sed de verborum coenae solemnium sententia paulo post plura dicentur.

Igitur in coenae Sacramento signum est a Domino ipso institutum: panem ac poculum coenae coram coetu Ecclesiae, illi in cibum ac potum, proponere, prolatoque pane ac poculo, gratias Deo patri agere pro donato nobis Christo domino, novi testamenti autore. Deinde panem ipsum actis gratiis coram Ecclesia frangere cum passionis dominicae testificatione. Postea fractum panem, ut singuli ordine in Ecclesia accumbentes accipiant, (fol. 104[b]) distribuere, ac poculum item propinere. Postremo et panem illum ita distributum atque acceptum edere, et poculum ita propinatum atque acceptum bibere, in Christi Domini recordationem cum digna mysterii, tali cibo et potione adumbrati, reputatione, quemadmodum id et ex Euangelistarum et ex Pauli narratione facile doceri potest.

Diximus autem antea, cur panem ac vinum ipsum in coena signa Sacramenti neque esse proprie, neque etiam vocari posse existimemus. Nempe quod, cum Sacramenta ipsa in ministerio Ecclesiae sint posita, quod quidem ad signum ipsorum imprimis attinet, et ministerium actio ipsa sit, ut est a Domino instituta, — sane et signum ipsum in actione, non autem in rebus actioni adhibitis, constitui oportet, quatenus pars est Sacramenti, quod totum est positum in Ecclesiae ministerio, et proinde in ipsa etiam actione.

Sed et in ipsa coenae Dominicae institutione mandatoque illo „hoc facite" manifeste docemur, signum coenae non esse panem ipsum aut vinum, res inquam eas, quae actioni adhibentur, sed esse ipsam actionem, cuius partes iam enumeravimus iuxta narrationem (fol. 105[a]) Pauli et Euangelistarum. Neque enim aut panem formari, aut vinum exprimi iubet Dominus, dum ait „hoc facite", sed actionem imperat suis partibus constantem, quas iam enumeravimus, ut sit signum mysterii in usu legitimo Sacramenti, videorque mihi de signo coenae Dominicae satis iam dixisse, de mysterio igitur coenae iam videamus.

Mysterium porro coenae idem esse, quod et in aliis Sacramentis omnibus, nempe nostram cum Christo Domino communionem in corpore et sanguine ipsius, testantur verba Christi ipsa, quae a plerisque verba coenae solemnia vocantur: „Hoc est corpus meum, quod pro vobis

datur, Hoc est sanguis meus, seu testamentum in sanguine meo, qui pro vobis, aut pro ipsa multitudine effunditur in remissionem peccatorum."

Quia vero verba haec varie exponi atque in iis totius controversiae pondus consistere videmus, adferemus primum nostram in illis explicandis sententiam, eamque scripturae usu atque autoritate comprobabimus. (fol. 105^b) Deinde vero et aliorum interpretationes proferemus, et adductis rationibus ostendemus, cur nostram aliis anteponamus. Tandem vero in hisce verbis commonstrabimus mysterium coenae Dominicae aliud non esse, quam nostram cum Christo Domino communionem in corpore et sanguine ipsius, quemadmodum et in aliis sacramentis claro nobis ostendisse videmur.

Habemus autem plures eiusdem generis loquutiones in scripturis, cuius generis haec loquutio est: hoc est corpus meum, et quidem in eodem ipso argumento Sacramentario. Et proinde non inepte nobis facturi videmur, si ad quem modum similes illae loquutiones alibi, in eodem ipso interim sacramentario argumento exponuntur, ad eundem quoque modum haec nos coenae etiam verba exponamus. Cum enim unum sit atque idem sacramentorum mysterium, neque variare ullo modo possit, quemadmodum id iam antea ostensum est, sane ad quem modum in aliis sacramentis mysterium ipsorum iisdem praesertim verbis designatur, non video, cur non ad eundem modum verbis coenae mysterium ipsius designari etiam dicamus. (fol. 106^a)

Porro, quemadmodum in coenae Dominicae Sacramento mysterium ipsius designatur istis verbis „hoc est corpus meum", ita et in circumcisionis Sacramento eiusdem generis verbis designatur mysterium circumcisionis „hoc est foedus meum". Ac rursum in coenae Paschalis Sacramento „hoc est pesah". Atque item in Baptismo etiam, „hoc est lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti".

Ad quem modum igitur haec praedicatio in aliis omnibus nostri generis Sacramentis usurpatur, sic ut unanimem ubique Scriptura consensum retineat: hoc est foedus meum, hoc est pesah, hoc est lavacrum regenerationis, etc., — ad eundem sane modum et in coenae verbis idem nobis etiam praedicationis genus exponendum esse putamus.

Iam, dum in circumcisionis Sacramento dicitur: hoc est foedus meum, equidem pronomine illo demonstrativo „hoc" demonstratur, non cultellus aut novacula, non item accisum accidendumve adhuc praeputium, sed imperata a Domino actio ipsa, ipsa, inquam, (fol. 106^b) praeputii cultro adhibito amputatio. Alioqui perspicuum est, neque cultri substantiam, neque carnem praeputii ipsam, aut foedus Dei nobiscum fuisse, aut etiam foederis signum.

Rursus, dum in coenae Paschalis Sacramento audimus: hoc est pesah, sane pronomine illo demonstrativo „hoc" non agni illius Paschalis

caro aut substantia ipsa demonstratur, sed agni potius mactatio et manducatio, ut a Domino instituta erat. Alioqui ipsa agni typici caro non erat transilitio aut transitus neque signum transilitionis, quandoquidem omnes tum agnos Pesah esse oportuisset, si sub pronomine „hoc" substantia ipsa carnis agnellinae demonstrabatur; et frustra erat tot adhibere ceremonias circa agni illius manducationem, si sola carnis illius substantia ad Pesah mysteria adumbranda satis fuisset. Quodsi sola carnis in agno Paschali substantia satis non erat ad adumbranda Pesah mysteria, facile est videre, sub pronomine demonstrativo in verbis istis „hoc est pesah", non carnis agnellinae substantiam, sed institutam a Deo agni typici mactationem et eius manducationem demonstrari.

Atque in Baptismo item, dum iuxta Pauli (fol. 107[a]) doctrinam dicimus: hoc est regenerationis lavacrum, aut iuxta Ananiae verba ad Paulum: hoc est peccatorum ablutio, certe sub pronomine demonstrativo inepte quis intelligat ipsam aquae substantiam, cum aqua ipsa non sit ablutio, sed ablutio aqua adhibita fiat. Quare facile est videre, sub pronomine demonstrativo actionem ipsam, nempe tinctionem a Domino institutam in aqua designari.

Ad eundem igitur modum et nos in coenae verbis pronomine demonstrativo „hoc" demonstrari dicimus, non sane panem ipsum ac vinum, quod ad substantiam illorum attinet, sed totam coenae formam ac ceremoniam, ut est a Domino instituta, ipsam inquam externam coenae actionem, hoc est, panis et poculi imperatam participationem.

Huc facit etiam Paulina in verbis coenae interpretatio, qui, quod Christus Dominus in verbis coenae *corpus* vocat, veluti mentem Christi explicans, vocem *corpus* mutat in corporis communionem. Panis, inquit, quem frangimus, nonne communio corporis Christi est [1]). — qua sane vocis istius mutatione manife-(fol. 107[b])ste videmus, Paulum sub pronomine demonstrativo in coenae verbis, non tam proculdubio panis substantiam ipsam, quam potius illius participationem intellexisse. Neque enim panis substantia ipsa in coena communio vere ac proprie esse aut vocari potest, ut, quatenus vocem communionis de ipsa panis substantia praedicari propria non posse videmus, fateri certe cogamur, non posse etiam sub pronomine demonstrativo in coenae verbis ipsam panis substantiam d[illegible]rari. Faciunt huc praeterea etiam ipsiusmet Christi Domini [illegible] coenae poculo iuxta Lucae et Pauli narrationem. Ait [illegible]minus: hoc est testamentum in meo sanguine, etc.

Ad que[illegible] in hisce verbis [illegible]amenti vox de vini

propinati substantia praedicari non potest; neque enim vini illius substantia testamentum erat sed instituta a Domino potius mystica vini potio,—ad eundem sane modum et in verbis de pane Testamenti vox a Domino de panis substantia praedicari non potest; neque enim ipsa panis substantia Testamentum est, sed instituta a Domino panis manducatio in memoriam ipsius. (fol. 108ᵃ) Et vocem proculdubio corporis in verbis de pane pro testamento in corpore accipi necesse est, quemadmodum vocem sanguinis apud Mattheum et Marcum pro testamento in sanguine accipi videmus, iuxta Pauli [1]) et Lucae narrationem.

Ita vero satis approbatam esse putamus nostram istam pronominis demonstrativi „hoc" in verbis coenae usurpationem, nempe, ut sub pronomine illo et in verbis de pane et in verbis item de poculo, non tam panis aut vini substantiam, quam totam potius coenae Dominicae formam ac ceremoniam externam, ipsam, inquam, panis ac poculi a Domino institutam participationem intelligamus.

Verbum porro „est" in verbis coenae intelligimus iuxta receptam illius significationem, quoties de signis rerum loquimur, adeoque nonnihil amplius etiam hoc verbo „est" in coenae verbis comprehendi dicimus, quam significationis solam proprietatem, nempe rei ipsius adumbratae una cum signo fruitionem.

Ita et in circumcisione, dum legimus circumcisionem esse foedus, sub verbo „est" complectimur non tantum foederis significa-(fol. 108ᵇ) tionem, sed ipsam etiam durationem ac fruitionem, unde et Paulo non satis erat docuisse, circumcisionem signum esse iustitiae, quae est in foedere, sed addit, obsignaculum quoque esse, quemadmodum Moses vocat etiam circumcisionem et signum foederis et foedus ipsum.

Et in coena Paschali, dum audimus: hoc est pesah, sub verbo „est" complectimur etiam, non tantum significationem beneficii illius divini, quo populum suum olim manu forti ex Aegypto eduxit (servatum alioqui propter sanguinem agni aedibus Israëlitarum inspersum), sed etiam perpetuam eiusdem ipsius beneficii durationem ad fruitionem per fidem.

Ac in Baptismo, dum audimus: hoc est lavacrum seu ablutio, sub verbo „est" complectimur non tantum significationem emundationis nostrae seu ablutionis in sanguine Christi Domini, sed perpetuam etiam emundationis illius durationem ac fruitionem aut sensum per fidem.

Et in coena igitur Dominica, dum audimus: hoc est corpus meum, sub verbo „est" complectimur non tantum signifi-(fol. 109ᵃ)cationem communionis nostrae cum Christo Domino in corpore et sanguine

[1]) 1 Cor. 11.

ipsius, sed perpetuam, simul etiam communionis illius durationem, fruitionem animorumque nostrorum in illa obsignationem.

Unde sane perspicuum est, magnam nobis inferri iniuriam ab iis, qui nos signum coenae dominicae nudum atque ociosum facere hactenus putarunt, nostrumque nomen immerito passim hoc ipso nomine traduxerunt, quod illis Dominus ignoscat.

Iam vero in coenae dominicae verbis corporis nomen accipimus, non pro ipsa corporis substantia, sed pro iure ac societate seu communione corporis Christi. Et, ut id ita faciamus, iustas nobis rationes, ex ipsis scripturis petitas, non deesse putamus.

Primum Christus D. nullam facit substantiae corporis sui mentionem in verbis suis. Non enim ait: Hoc est substantia corporis mei, sed ait duntaxat: Hoc est corpus meum, ut sive substantiam ipsam, sive sacramentum sub corporis nomine intelligere velimus, id nos utrunque ex nostra interpretatione adferre oporteat. Neque est controversia ulla de verbis ipsis Christi D., quae nemo non ve-(fol. 109b) rissima esse credit, sed de ea, quae per nos additur, interpretatione, sive sub corporis nomine substantiam ipsam, sive sacramentum corporis intelligamus; eamque esse videamus illorum querimoniam, qui nos verborum Christi Domini veritatem violare putant, dum nomen corporis pro ipsa substantia in hisce Christi verbis accipiendum non esse docemus.

Deinde, cum non violetur veritas ipsa verborum Christi, sive sub corporis nomine substantiam ipsam, sive sacramentum corporis intelligamus; modo ne addita alterutra istarum interpretationum a mente ipsa scripturae et unanimi illius consensu recedamus, pugnasve locorum ullas in scripturis seramus, — eam sane interpretationem veritati verborum Christi subservire magis magisque respondere non dubitamus, quae unanimem totius scripturae consensum ac mentem retinere videtur. Non enim secum pugnat Christus dominus aut spiritus sanctus in scripturis.

Porro id sane est positum extra omnem controversiam et dubitationem, Christum Dominum verbis hic suis sacramentum instituere, et verba ista coenae solemnia pertinere ad sacramenti institutionem. Rectius fuerit igitur et cum mente scripturae magis consentaneum, (fol. 110a) si verba ad institutionem Sacramenti pertinentia iuxta ipsam alioqui naturam aliorum Sacramentorum, quam praeter illorum naturam exponamus, pro eo ac Scriptura ipsa de aliis quoque unius atque eiusdem generis Sacramentis testatur; ut, si cum natura aliorum Sacramentorum interpretatio illorum magis conveniat, qua sub corporis nomine docemur substantiam ipsam corporis naturalis intelligere oportere, illam omnino altera reiecta potissimum sequamur.

Sin minus, tum demum vero hac reiecta alteram etiam non gravatim amplectamur.

Iam vero perspicuum est, fieri non posse, ut in aliis eiusdem generis Sacramentis statuatur substantia ipsa corporis aut sanguinis Christi naturalis, ut ministri manibus per Sacramenti elementa distribui possit, cum alioqui unum sit atque idem omnium Sacramentorum mysterium, nempe vera ac salutaris communio cum Christo Domino, aut venturo adhuc, aut iam exhibito, in corpore et sanguine ipsius, quemadmodum id in superioribus abunde nos satis comprobasse putamus. Et ostendimus etiam, in aliis Sacramentis huius generis omnibus sub corporis et sanguinis (fol. 110ᵇ) Christi nomine ius nostrum societatis ac communionis nostrae cum Christo designari in corpore et sanguine ipsius, gratuito nobis iam olim delatae per misericordiam ipsius. Quod equidem ius nostrum nostraque haec societas cum Christo ac communio haberi proculdubio retinerique potest vere ad salutem nostram omnium per fidem, sic ut illa vere fruamur, etiamsi de reali substantiae corporis aut sanguinis ipsius naturalis praesentia, aut per manus ministri in elementis distributione, nihil omnino cogitemus, quemadmodum id commonstravimus in Sacramentorum veteris Ecclesiae explicatione.

Praeter naturam igitur Sacramentorum, scripturis nobis proditam, faciunt, qui in coenae verbis, ad Sacramenti institutionem pertinentibus, sub corporis nomine ipsam naturalis corporis Christi substantiam intelligi volunt, cum in aliis Sacramentis constitui non possit, et unum sit atque idem mysterium omnium Sacramentorum. Nos vero iuxta naturam omnium facimus, dum sub corporis nomine in verbis coenae intelligimus, non ipsam quidem corporis naturalis substantiam, sed ius fruitionemque ipsam societatis et (fol. 111ᵃ) communionis nostrae cum Christo Domino in corpore ipsius per fidem, quae realem aliquam iuxta speciem ipsam substantiae corporis Christi, sive praesentiam, sive per ministri manus in elementis distributionem, ne admittit quidem, ut iam antea dictum est, nedum ut requirat.

Sed et Paulus ipse verbis expressis sub corporis et sanguinis in verbis coenae vocibus, non sane substantiam ipsius intelligendam esse docet, sed communionem, hoc est, societatem ac ius in corpore Christi, dum panem fractum communionem esse testatur corporis Christi [1]), id quod in superioribus clare nobis ostendisse videmur.

Praeterea vero idem Paulus adhuc et Lucas in verbis de poculo manifeste docent, sub sanguinis nomine non equidem sanguinis substantiam, sed testamentum in sanguine intelligendum esse. Aliud

[1]) 1 Cor. 10.

vero longe est testamentum in sanguine, aliud vero ipsa sanguinis substantia, ut, si vel ipsiusmet Christi Domini verba de pane et poculo conferamus iuxta Pauli et Lucae narrationem, tam sane non possimus sub (fol. 111ᵇ) corporis nomine in verbis de pane intelligere ipsam naturalis corporis substantiam, quam sub sanguinis nomine ipsa sanguinis substantia apud Paulum et Lucam intelligi non potest. Nimirum testamenti nomine in verbis hisce Christi nobis designatur visibilis quaedam contestatio, in signo coenae Dominicae constituta, donatae nobis secum communionis seu societatis in corpore et sanguine ipsius.

Postremo ipsa fidei analogia non patitur, ut sub corporis aut sanguinis nomine in verbis coenae ipsam corporis aut sanguinis substantiam intelligamus, quatenus sane in ea, quae est inter nos et Christum Dominum, communione non ea hauddubie communionis pars sacramentis omnibus designatur adeoque et obsignatur in Ecclesia, iuxta quam ille a nobis aliquid, quod nostrum proprium fuerat, accepit, sed iuxta quam ipse nobis de suo, quod suum proprium fuerat, donavit; qua de re in superioribus copiose nos satis disseruisse putamus. Et, ut clarius sententia nostra de coenae verbis intelligi possit, ita illa exponimus: *Hoc*, id est, hoc totum quod nunc ecce instituo, (fol. 112ᵃ) nempe haec coena, *est*, iuxta meam institutionem, *corpus meum*, hoc est, iuris societatis seu communionis nostrae sacramentum in corpore meo, quemadmodum Paulus explicat, aut testamentum in meo corpore, quemadmodum Lucas et Paulus in verbis de poculo habent, hoc est, visibilis in signo hoc instituta voluntatis meae extremae contestatio de donata vobis societate et communione mecum in corpore meo.

Atque ex his facile intelligi posse putamus, nos iuxta unanimem totius scripturae mentem, iuxta item naturam omnium Sacramentorum, praeterea iuxta expressam Pauli duobus locis et Lucae expositionem, postremo iuxta ipsam etiam fidei analogiam, — sub corporis et sanguinis vocibus recte in verbis coenae intelligere non ipsam illorum substantiam, ut per manus ministri in coenae elementis distribuatur, sed societatem potius ac communionem seu ius donatum morte Christi in corpore et sanguine ipsius, ut illo per fidem ad vitam fruamur, et in fide illius usu sacramentorum ex Christi Domini institutione obsignemur.

Unde sane liquido iam constat, non aliud (fol. 112ᵇ) esse mysterium coenae Dominicae, quam aliorum Sacramentorum, nempe ius societatem ac communionem nostram cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius, sic, ut iam utramque Sacramenti partem, nempe signum ac mysterium, in coena quoque Domini, quemad-

modum et in aliis Sacramentis commonstratam, ut spero, habeamus iuxta nostram diffinitionem.

Quae ad tuendam de substantiae corporis Christi praesentia et per manus ministri distributione interpretationem adferuntur, mox excutiemus; nunc de fine coenae Dominicae dicemus, ut nostrae diffinitionis partes omnes in coenae Sacramento commonstremus.

Finem porro coenae Dominicae in illis verbis commonstratum nobis habemus: „hoc facite in mei recordationem". Nimirum voluit dominus nos semper esse memores beneficiorum suorum cum gratiarum actione; potissimum autem in usu sacramentorum, ut illa animis probe infixa semper haberemus ad alendam nostram erga se fiduciam, quae non alia re magis flaccessit, quam oblivione ac negligentia beneficiorum Dei, ac rursum erigitur ac obfirmatur tali praesertim illorum rememora-(fol. 113ᵃ)tione: id quod re ipsa alioqui experimur, ut hic multis verbis opus non esse putemus.

De πληροφορία simul ac mentis nostrae affectuumque innovatione circa coenam Domini unis iisdemque verbis a Paulo docemur, dum nos unum panem, unum corpus esse ait, eo quod de uno pane participemus. Duobus enim nominibus unus panis et unum corpus illic esse dicimuro nempe ét quod unus simul omnes cum Christo Domino panis unumque corpus simus, sic ut ab illo iam divelli non possimus, ét quod inter nos invicem sub illo etiam unus panis omnes unumque corpus esse censeamur. Quatenus igitur coena Domini nos unum cum Christo Domino panem unumque omnes corpus esse testatur, hactenus sane de nostra nos in Christo Domino adversus mundum mortem ac Satanam victoria ita certos reddit, ut in hac cum illo henade toti et summa fiducia sine omni haesitatione conquiescamus. Quatenus vero rursum coena Dominica nobis velut ob oculos ponit, nos omnes inter nos invicem, qui illi participamus, esse etiam unum panem et unum corpus sub Christo, hactenus sane nostrae nos renovationis admonet, ut, abiectis carnis nostrae (fol. 113ᵇ) affectibus, eum iam erga nos invicem affectum induamus, quem Christi Domini erga nos fuisse in morte sua non dubitamus. Id porro quantam nostri intra nos innovationem requirat, suo quisque periculo omnium optime cognoscere potest, ut et hic multis verbis opus non esse arbitremur.

Et finem igitur coenae Dominicae una cum suis fructibus commonstratum iam habemus iuxta nostram vocis sacramenti diffinitionem; nec iam restat amplius, quam ut coenae quoque dominicae peculiarem illius diffinitionem statuamus, ad hunc modum:

Coena Domini est divina ordinatio in ministerio Ecclesiae posita, sic ut ad totam omnino Christi Ecclesiam et omnia illius membra

ordine suo pertineat, habetque suum signum visibile a domino ipso institutum, nempe panis et poculi gratiarum actoriam per manus ministri participationem, habet item adiunctum simul etiam invisibile mysterium communionis nostrae cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius, ut in fide illius coenae usu per spiritum sanctum obsignemur, illa fruamur vere ad vitam aeternam, et ad futurae adhuc illius illustrationis spem magis ac magis excitemur, certaque illius fiducia in ea conquiescamus toti (fol. 114a) pacificatae prorsus conscientiae nostrae testimonio, et mentis eam nostrae atque affectuum innovatione contestemur.

Habemus ergo iam et in coena Dominica ad unum eundemque cum aliis Sacramentis modum comprobatam nostram de voce Sacramenti diffinitionem, commonstratasque partes illius omnes, quam fieri potuit planissime, sic ut ab piis (quod spero) omnibus res tota facile intelligi possit.

Reliquum est iam, ut aliorum quoque in verbis coenae interpretationes et, quae inde provenerunt dissidia, expendamus. Primumque a miraculosae illius, ne dicam magicae, transubstantiationis doctoribus ordiemur. Non quod refutandam suscipiamus transubstantiationem illam, quam alioqui a multis iam clarissime refutatam videmus, sed quod omnibus cognitum vellemus, quam inepte Papa hactenus et sui omnes suam hanc transubstantiationem verbis coenae superstruere voluerint.

Qui igitur transubstantiationem somniant, in ipsa verborum coenae pronunciatione ponunt vim transformandi panem in corpus Christi. Sed praeterquam quod certi ni-(fol. 114b)hil habent, quandonam Christus Dominus verba coenae illa protulerit, ne hoc quidem docere certo possunt, pronominis ne demonstrativi „hoc", an vero verbi „est", aut simul omnium verborum pronunciatione fiat, ut panis natura transmutetur in naturam corporis Christi. Non audent dicere, pronominis demonstrativi pronunciatione verti panem in corpus Christi; nam reliquis coenae verbis nihil virtutis relinquerent, si pronomen solum totam vim in se vertendi rerum species haberet. Rursum neque negare etiam audent. Nam, si pronomen demonstrativum ad panis adhuc substantiam referant, intelligunt, se non tantum iam contra usum Scripturae in argumento Sacramentario facere, sed etiam non posse vitare, quin eo adigantur, ut negare non possint, panis substantiam ipsam pro nobis crucifixam esse. Quatenus enim corporis Christi substantia ipsa pro nobis hauddubie crucifixa est, et panis substantia (siquidem pronomen demonstrativum in coenae verbis referri ad illam debeat) est substantia corporis Christi, si sub corporis nomine corporis substantiam in iisdem verbis coenae accipiamus, —

hactenus sane fatendum est, ipsam (fol. 115a) panis substantiam pro nobis crucifixam esse. Id quod alioqui iampridem etiam vir sanctae memoriae, Huldricus Zuinglius, prudenter et religiose observavit.

Utrumlibet igitur hic sibi deligant doctores isti transubstantiatorii transubstantiationem hinc suam propugnare nullo modo possunt, sive illam a pronomine demonstrativo mox statuant, sive eam a reliquis simul etiam solemnibus illis coenae verbis pendere velint.

At vero nos iam ostendimus, pronomine demonstrativo in Sacramentalibus omnibus istiusmodi loquutionibus designari signum ipsum Sacramentale, hoc est, formam ipsam seu ceremoniam externam Sacramenti, ut est a Domino instituta; non autem res quae eiusmodi actioni adhibentur, — et proinde neque panem aut vinum in verbis coenae.

Sed multo minus approbare adhuc possunt novi isti chymistae suam transmutationem, si verbi „est" naturam paulo modo diligentius intueamur. Dicunt verborum coenae pronunciatione effici, ut panis substantia in corporis (fol. 115b) Christi naturalis substantiam transformetur. Caeterum natura ipsa verbi „est" non patitur, ut eius pronunciatione aliquid efficiatur. *Fieri* dicitur, non *esse*, quod incipit esse, quod non erat, et desinit esse, quod erat. *Esse* autem dicitur id, quod iam erat, priusquam esse dicatur. Cum igitur dicat Christus Dominus: hoc *est* corpus meum, esse iam illud, non autem fieri docet; et proinde esse quoque, antequam verba coenae pronuncientur, nedum ut per verborum coenae pronunciationem metamorphosis ulla instituatur.

Neque vero usu Scripturae comprobari potest, ut verbum „est" pro verbo „fit" usurpetur, et proinde mirum videri non debet chymistis istis, si ipsorum in verbo „est" interpretationem non recipimus, cum ét a significationis suae proprietate prorsus sit aliena, ét naturae omnium Sacramentorum repugnet, ét sit etiam peregrina ab usu ipso Scripturae.

Quodsi neque in pronomine demonstrativo „hoc", neque in verbo „est" transmutatio illa commonstrari potest, iam sane illis adimetur etiam vis illa consecrationis, (fol. 116a) in qua novi isti chymistae ponunt omne pondus suae transubstantiationis.

Frustra vero sub corporis nomine in verbis coenae ipsam corporis substantiam intelligi volunt, cum id naturae omnium Sacramentorum, ut iam ostendimus, modis plane omnibus repugnet, et ipsa Pauli ac Lucae in verbis de poculo narratio, ipsaque Pauli item explicatio haudquaquam id omnino permittat.

In nulla igitur parte verborum coenae commonstrari vere potest vis illa transmutandi rerum species, quam Papa cum suis chymistis somniat in verborum coenae pronunciatione; nisi quod quaestuosa illa

propitiatoriae oblationis nundinatio induci non potuisset, ac ne nunc quidem retineri amplius posset, sine magica hac elementorum coenae transmutatione.

Possem autem multa hic dicere adversus eam transubstantiationem impietatemque et abominationem illius; sed, cum id iam magna cura et foelicissime factum sit a multis piis et sanctis viris, sic ut a me hic nihil amplius addi possit, non putamus hic nobis immorandum esse, satisque est indicasse, falso illam in verbo-(fol. 116ᵇ)rum coenae pronunciatione constitui, cum in nulla eorum parte ostendi possit.

Iam igitur ad eorum etiam interpretationem in verbis coenae veniamus, qui transubstantiationem et ipsi non amplius agnoscunt, adeoque et primi nostra memoria fuerunt, qui illi demoliendae (ingenti procuIdubio Dei beneficio) manus suas admoverunt, sed realem interim connexionem iuxta speciem ipsam constituunt cum coenae elementis substantiae ipsius corporis et sanguinis Christi naturalis, sic ut substantia ipsa iuxta speciem corporis Christi naturalis insit pani coenae, inque ipso pane coenae, aut per panem, manibus ministri distribuatur et ore carnali a sumentibus, sive sint pii, sive impii, percipiatur.

Qui igitur eiusmodi connexionem corporis Christi cum pane et sanguinis item cum vino in coenae Dominicae usu statuunt, candidius multo agunt. Simpliciter enim pronomen demonstrativum in coenae verbis ad panem ipsum referunt, quem etiam panem manere volunt. Sed interim variant tamen in ipsa verborum coenae expositione.

Ac primum dicunt, verba coenae simpliciter ac nude omnino exponi oportere, viola-(fol. 117ᵃ)rique veritatem verborum Christi, si quis ullum omnino iis schema aut tropum adhibere velit. Sed ipsimet interim nullam eiusmodi interpretationem adferunt, quae nullum in se schema aut tropum habere videatur, et metuo, ne unquam adferre possint.

Si enim nudo prorsus ac simpliciter verba coenae exponi debeant, et pronomen demonstrativum ad ipsam panis substantiam referendum sit, ad hunc sane modum verba coenae exponi oportebit: *Hoc*, id est, huius panis substantia, *est* in sua ipsius existentia *corpus meum*, id est, substantia corporis mei. Quis vero dicat, ipsam panis substantiam in naturali sua existentia esse substantiam ipsam corporis Christi naturalis? cum iuxta hanc interpretationem fateri nos oporteat, ipsam panis substantiam iuxta naturalem suam existentiam pro nobis crucifixam esse, quemadmodum iam antea dictum est.

Sed et doctrina ipsorum de corporis Christi naturalis cum pane unione ac distributione manifeste testatur, verba coe-(fol. 117ᵇ)nae ab illis magis multo peregrine exponi, quam a nobis exponantur.

Cum enim dicunt corpus pani inesse aut uniri in coena, iam negant panem esse corpus Christi. Aliud est enim inesse aut uniri alicui rei, aliud vero id ipsum esse, quod esse dicitur. Ut, si ex verbis coenae doceri debeat, corpus Christi iuxta speciem ipsam realiter pani in coena aut inesse aut uniri, rectum hauddubie pronominis casum dativo aut ablativo casu oporteat commutari, — et verbum „est" necessario exponendum sit, aut per verbum *unitur*, aut per verbum *inest*, sicque demum verba coenae exponantur: *Hoc*, id est, huic, *est*, id est, unitur aut inest, *corpus meum*, id est, substantia ipsa iuxta speciem corporis mei naturalis. An vero id sit nude ac simpliciter verba coenae exposuisse, id vero facile quivis iudicare potest.

Videmus ergo hanc talem corporis Christi cum pane in coena unionem sive connexionem ex verbis coenae colligi non posse sine casus in pronomine et significationis propriae in verbo „est" mutatione, quam (fol. 118ᵃ) equidem nobis usu scripturae approbari oporteret.

Sed multo minus colligi potest ex corporis aut sanguinis voce in verbis coenae haec talis connexio propter varietatem lectionis in Luca et Paulo in verbis de poculo coenae, ut iam antea quoque dictum est. Item propter eiusdem Pauli alio rursum loco explicationem, dum panem fractum, seu mensam Domini, communionem esse docet corporis Christi. Et propter unum atque idem mysterium omnium sacramentorum, quod non admittit ullam variationem, quatenus sane unus est atque idem ab aeterno et in aeternum Deus, una atque eadem semper fides, et unus atque idem Baptismus, sive in exhibitum Christum, sive in venturum.

Et visa est sane quibusdam durior paulo esse haec talis verborum coenae interpretatio propter casus in pronomine et significationis propriae in verbo „est" mutationem, a qua se liberare non poterant, si talis connexio in verbis coenae constituenda esset. Itaque aliam rursus interpretationem protulerunt, et in pronomine demonstrativo Elleipsim quandam statuebant, atque verba coenae ad hunc (fol. 118ᵇ) modum exponebant: *Hoc*, id est, in hac vel cum hoc, *est corpus meum;* putabantque hanc talem interpretationem molliorem videri posse, quod in solo duntaxat pronomine schema quoddam ponerent, servata interim et verbi „est" et „corporis" propria significatione.

Ceterum et haec talis interpretatio satisfacere omnibus non potuit. Primum, quod in aliorum Sacramentorum similibus verbis eiusmodi Elleipsis constitui non possit. Deinde, quod nullum talem huius schematis usum in Scripturis fere videamus. Praeterea, quod alium plane sensum verborum inducat, quam verba ipsa testentur et quam veritas ipsa historiae Euangelicae patiatur. Nam Christi corpus, dum panem ipse manibus suis distribueret, extra panem erat conspicuum Apostolis

omnibus, et sanguis Christi nondum effusus erat, ut extra illud ipsum corpus in poculo coenae statueretur. Imo vero, si Christi corpus ipsum in pane erat totum, et sanguinem quoque totum in pane esse oportebat. Non enim adhuc usquam sanguis Christi erat extra corpus ipsius. Et vinum igitur ipsum, in quo sanguis Christi erat, in pane ipso iam fuisse oporte-(fol. 119a)bat, quatenus corpus in pane totum erat, extra quod nullus usquam sanguis Christi potuit commonstrari. Postremo offendit in hac tali interpretatione id etiam, quod diversam plane sententiam a verbis ipsis secum adferre videatur. Aliud est enim hoc ipsum, de quo aliquid dicitur, esse in sua existentia, id quod esse dicitur, aliud vero est, si aliud in alio esse dicamus.

Proinde aliam adhuc interpretationem quaeri oportuit, quae plausibilior videri posset et propius ad verborum simplicitatem accedere videretur. Reperta est igitur Synecdocha, quae in corporis nomine ponebatur, sic ut sub corporis nomine non tantum corpus, quod accesserat, sed panis etiam, qui dudum erat, designaretur, ut hic esset sensus verborum Christi: Hoc est corpus meum, id est, hoc est simul et panis et corpus meum.

Atque sane recte adhiberetur Synecdocha verbis coenae istis, si de pronominis demonstrativi et corporis item significatione conveniret, hoc est, si sub pronomine »hoc« non equidem panis substantiam, sed formam coenae ipsam, totam inquam ex-(fol. 119b)ternam illam actionem, — sub corporis vero nomine non item corporis substantiam, sed communionem seu societatem aut ius nostrum in corpore Christi intelligeremus. Ita enim verissimum est, coenam Domini, seu panem fractum, sive mensam Domini, esse revera participationem simul et panis ipsius et etiam corporis Christi.

Sed, dum et pronomen »hoc« et corporis item nomen ad panis et corporis substantiam refertur praeter naturam omnium Sacramentorum, et praeter usum Scripturae etiam in Sacramentalibus istiusmodi loquutionibus, sic ut nos iuxta hanc interpretationem unam atque eandem et panis et corporis Christi existentiam in eadem hypostasi statuere oporteat adversus verae in Christo Domino humanitatis naturam, — perspicuum est, in coenae verbis ita expositis talem Synecdocham non posse constitui, propterea quod illam ratio ipsa humanae carnis ac naturae in Christo non admittat.

Et quidem hic multa sunt disputata de identitatibus, ut vocant, quae tamen ne ipsis quidem huius interpretationis autoribus satisfacere ad extremum potuerunt. Etenim, si ullo modo (fol. 120a) identitas hypostaseos panis et corporis Christi naturalis constitui ab illis ita potuisset, ut eis satisfaceret, non equidem amplius de eius-

modi unione Sacramentali cogitassent, qua id fieret, ut corpus Christi sit et distribuatur in pane, cum pane et per panem. Est enim longe aliud, ut antea paulo iam dictum est, esse id ipsum in sua existentia, de quo aliquid dicitur, et esse in illo aut cum illo, ut una distribuatur.

Cum igitur autores ipsi huius Synecdochicae interpretationis adacti sint ad unionem quandam Sacramentalem statuendam panis et corporis Christi in coena, facile apparet, ne ipsismet quidem satisfecisse hanc talem Synecdochicam verborum coenae ita explicatorum interpretationem. Imo vero et de ipsa unione varie inter eos postea disputatum est, atque alii statuebant, unionem illam in connexione corporis Christi cum pane non corporali neque locali, sed diffinitiva; alii vero non in connexione ulla cum pane ipso, sed in pacti illius efficacia: Ero vobiscum usque ad saeculi consummationem, hancque unionem pacti unionem vocabant et eam in ipso Ecclesiae ministerio sub ministri opere, non autem in (fol. 120ᵇ) connexione cum elementis ulla statuebant.

Ita vero satis demum videri coepit quibusdam, si, omissa connexionis illius cum pane corporis Christi controversia, exhiberi duntaxat nobis in coena crederemus realiter in specie ipsa per ministri manus corpus Christi, sive cum pane sive per panem, idque propter pacti unionem: Ero vobiscum etc., efficacem alioqui in Ecclesiae ministerio sub opere ministri.

Caeterum, ut de his primum dicamus, qui realem iuxta substantiam ipsam cum coenae elementis connexionem corporis et sanguinis Christi statuunt, primum in omnibus istis ipsorum interpretationibus simplicem illam ac nudam verborum coenae expositionem desideramus sine ullis tropis aut figuris orationis, quam tantopere alioqui urgent, ut eos non ferant, qui illa tropice dicta esse affirment, cum se ipsimet in suis tam variis insuetisque ac durioribus paulo etiam interpretationibus a tropis ac figuris liberare non queant.

Deinde, cum nostram interpretationem omnium pariter Sacramentorum naturae ad unum eundemque modum subservire, ac fidei (fol. 121ᵃ) Analogiae modis omnibus respondere, adeoque et scripturis in hoc ipso argumento Sacramentario familiarem esse videamus, — ac rursum videamus, omnes istorum interpretationes cum natura Sacramentorum pugnare, fidei Analogiam obscurare et aliis scripturae exemplis in eo ipso argumento comprobari non posse, ut iam ostendimus, — non temere nobis videmur facere, si nostram interpretationem aliis anteponamus illamque potissimum sequamur.

Postremo multa incommoda adeoque et absurda denique et pugnas in scripturis vitari non posse videmus, si hae interpretationes reci-

piantur et, quae ex illis demum colligitur, doctrina de praesentia et distributione reali iuxta ipsam speciem per manus ministri corporis Christi in coena, quemadmodum postea dicetur.

Argumenta, quae ad probandam hanc de tali connexione doctrinam adferuntur, non putavimus hic refellenda esse, quandoquidem id multis iam multorum libris factum esse videmus. Et, cum omnis doctrinae huius fontes constituantur in verbis coenae iuxta eas, quas recensuimus, interpretationes, nobis sane hic satis erit ostendisse, eas interpretationes verbis coenae adhiberi non posse: tantum abest, ut doctrina ex eiusmodi interpretationibus collec-(fol. 121ᵇ)ta consistere ullo modo possit.

Iam qui unionem sacramentalem non in connexione ulla reali cum elementis, sed in ipso ministri opere ministerii ecclesiastici nomine constituere conantur, ut propter ministerii efficaciam per manus ministri nobis exhiberi in coena cum pane aut per panem doceant ipsam nihilominus substantiam corporis et sanguinis Christi naturalis, ita rem tractant, ut ego illos, si verum fatear, intelligere non possim, etiamsi non raro cum illis et scriptis et verbis coram egerim. Sed hoc mihi tamen videor apud eos fuisse assequutus, quod a prioribus illis doctoribus non alia ulla in re dissentiant, nisi quod unionem illam sacramentalem non tam in connexione corporis Christi cum pane in coena, quam in ministerii potius ecclesiastici efficacia sub ministri interim opere constituere, unionemque illam promissione Christi Domini confirmare videntur: Ero vobiscum usque ad saeculi consummationem, ac rursum: Ego in medio vestri sum etc.

At vero nihilo magis faciunt verba coenae ad doctrinae huius confirmationem, quam faciant ad approbandam realem illam cum elementis coenae corporis et sanguinis connexionem, nisi perinde novam Scripturisque insuetam et a natura Sacramentorum (fol. 122ᵃ) prorsus alienam interpretationem verbis coenae adhibeamus, idque praeter omnem necessitatem, cum nos eam adferamus interpretationem, quae scripturis non tantum est consentanea, sed etiam familiaris in eo ipso Sacramentario argumento, petaturque ex aliorum locorum eius narrationis collatione, et explicet ad unum eundemque modum naturam Sacramentorum omnium ac fidei Analogiae omni ex parte respondeat omnino.

Etenim ut ex verbis coenae colligi possit, corporis Christi naturalis substantiam ministri manibus distribui aut exhiberi in coena ministerii ipsius nomine, primum ἔλλειψις in pronomine necessarie statuenda erit, aut casus rectus ablativo commutandus. Deinde mutanda etiam verbi *est* significatio, et verbum *est* reddendum erit per *exhibetur*. Postremo sub *corporis* nomine ipsam corporis sub-

stantiam intelligi oportebit, ut hic sit verborum coenae sensus: *Hoc*, id est, in hoc ministerio aut per hoc ministerium, sub ministri opere, *est*, id est, exhibetur ministri manibus, *corpus meum*, id est, substantia corporis mei.

Hanc sane interpretationem addi opor-(fol. 122ᵇ)tet verbis coenae, si unio Sacramentalis non in connexione illa corporis Christi cum pane, sed in ministri opere constitui debeat, ministerii sui nomine. Ex verbis coenae, ut sonant, nunquam haec doctrina constitui potest. Quorsum vero attinet ita operosas quaerere interpretationes, ne dicam coactas, cum res sit planissima, si iuxta aliorum locorum collationem in eadem ipsa coenae institutione verba haec coenae exponamus? nisi quod ita libet fortassis nodos in scirpo quaerere, ne alii aliis cessisse videamur.

Verissime autem dictum est, simplicem esse veritatis orationem, neque tanto verborum aut interpretationum apparatu egere. Proinde, cum videamus doctrinam utranque hanc de sacramentali unione (sive eam in connexione mysterii cum elementis, sive in ministri opere statuamus) approbari non posse, nisi adhibitis novis insuetis operosis adeoque et coactis interpretationibus, — cum videamus item dignitatem omnium Sacramentorum sartam tectam nihilominus retineri, etiamsi de istiusmodi unionibus nihil omnino imaginemur, — imo vero istiusmodi unionibus illam non leviter etiam obscurari adeoque et elevari, quemad-(fol. 123ᵃ)modum adhuc dicetur, — postremo, cum negari non possit imaginationem hanc de reali corporis Christi in pane coenae praesentia iuxta speciem ipsam parentem esse omnis papisticae idololatriae ac superstitionis, neque nos ab illa prorsus liberari posse, tantisper dum doctrina haec non prorsus aboletur, — iustam nos sane coram Deo rationem nostrae hac in parte doctrinae habere non dubitamus, quam alioqui et Scripturis ipsis omni prorsus ex parte consentaneam adeoque et familiarem in argumento hoc sacramentario, et claram ac perspicuam omnibus, denique plenam consolationis ac prorsus salutarem esse manifeste videmus.

Exposuimus vero in superioribus, qualem nos Sacramentalem unionem in usu Sacramentorum statuamus, nimirum in Spiritus sancti, non autem in ministri opere, quatenus videlicet ille est testis ac glorificator assiduus Christi Domini in qualibet sua ordinatione et proinde in ministerio quoque Sacramentorum, efficitque divina ipsemet virtute sua, non autem per ministri opus, ut usu legitimo Sacramentorum et obsignemur per incrementa fidei in nostra cum Christo Do-(fol. 123ᵇ)mino communione, corporis inquam et sanguinis ipsius, et ea fruamur vere ad vitam aeternam, inque spem certissimam erigamur expectandae olim adhuc illustrationis in nobis eius ipsius nostrae

cum Christo D. communionis. Sic enim ét ministerium ipsum Ecclesiae insigniter ornatur, dum in illo non tantum ministrum in suo opere, sed ipsum quoque spiritum Sanctum per se Christi Domini coöperarium facimus, ét Deo interim Spiritui Sancto ipsimet opus suum divinum relinquimus, quod in hominem et opus quodcunque ipsius transferri nullo modo neque potest neque debet.

Quodque ad dignitatem ministerii attinet, multo magis ornamus nostrum ministerium, si in illo ipsummet Deum spiritum sanctum nobis assistere, atque ipsummet per se suumque ipsius opus nobis cooperari virtute sua divina testemur, quam si illius efficaciam in nostro opere statuamus. Etenim, si virtus spiritus sancti in nostro ministerio per nostrum opus sese exerit; aut sane opus ipsum ministri semper et ubique efficax erit, aut unio illa pacti: Ego sum vobiscum etc. non semper certa erit.

Atque sane eam potissimum ob causam unio illa Sacramentalis non ab omnibus constituitur in (fol. 124ᵃ) reali illa mysteriorum cum elementis connexione circa usum Sacramentorum, quod alii illam ad pios simul atque impios pertinere docent, alii vero negant. Et, ut non temere id negare videantur, unionem illam non in connexione ulla cum elementis, sed in ministerii efficacia constituere malunt, quod connexio illa alligationem quandam secum adferre videatur, quam in unione pacti in ministerio requiri non posse putant. Sed, dum pacti hanc unionem in ipso ministri opere ponunt, ponere eam vere non possunt, nisi illam operi ipsi ministri alligent. Tolli enim unionem illam ab ipso ministri opere necesse est, dum opus ministri in ipso etiam ministerio efficax non est. Alioqui posita unione in ipso ministri opere ad omnes sane unio ipsa pertinebit, sive sint pii sive impii, ad quos modo opus ministri illud, in quo unio est posita, pertinere constat.

Nihil sublevat igitur eos haec unionis ab elementis Sacramentorum ad opus ministri in ministerio ipso transpositio, quominus ad pios iuxta ac impios pertineat, quod tamen illos omnium maxime quaesivisse in ea ipsa transpositione videmus.

Sed, etsi demus, hanc talem pacti unionem, (fol. 124ᵇ) ad impios non pertinere, sed tantum ad fideles, inque ipso ministri opere illam statuamus, — sane, si opus ministri est, ipsam substantiam iuxta speciem corporis Christi in coena exhibere propter pacti unionem, et ipsa interim corporis Christi naturalis substantia coenae elementis non est connexa aut coniuncta; — ubinam, obsecro, exhibendam illam ministri manibus corporis Christi naturalis substantiam agnoscemus aut percipiemus?

Equidem praeter panem et vinum nihil nobis exhiberi sentimus in

coenae Dominicae administratione, neque item aliud ministri opus videmus, quo nobis ipsa corporis Christi substantia debeat exhiberi, quam ipsam panis et poculi distributionem. Aut igitur fatendum est, substantiam corporis Christi pani coniunctam esse, ut una cum pane ministri manibus distribuatur, aut, si pani coniuncta non est, indicandum est, ubinam vel distribuatur ministri manibus, vel a sumentibus percipiatur.

Hoc vero velint nolint fateri coguntur, corpus Christi exhiberi per manus ministri pane ipso, vel per panem, vel in pane. At, dum hoc dicunt, iam rursum statuunt (quam agnoscere nolebant) ministerii cum elementis (fol. 125ª) connexionem, perindeque est atque si unionem illam in connexione positam nunquam transtulissent in opus ministri, cum opus ministri in ipsa elementorum distributione duntaxat versetur, quatenus a nobis videri potest; ut non tam nos ab illa unione in connexione posita liberari videamus per istam eius in opus ministri translationem, quam potius illi nos magis multo implicari ac rem denique ipsam magis multo, quam unquam antea, involvi et reddi obscuriorem simul ac difficiliorem. Qui dicunt corpus Christi in verbo seu per verbum exhiberi, docere non possunt, manibus id ministri exhiberi, nam manus verbum non exhibent, neque item per verbum, ut ministri opus, substantia corporis Christi exhiberi potest. Est enim verbum, quatenus ministri opus est, aliud nihil, quam vox transiens, quemadmodum Augustinus loquitur, et aliud est vox transiens, aliud vero substantia in sua specie corporis Christi, ut hic nihil aliud videre possimus, quam verborum argutias quasdam, quae fumos quosdam oculis simplicium offundant, ut patent aliquid dictum esse, cum revera nihil ad rem (fol. 125ᵇ) ipsum dici constet. Mirum est autem, eos, qui unionem Sacramentalem in opere ministri propter pactum constituunt, urgere realem iuxta ipsam speciem substantiae corporis Christi naturalis in coena per manus ministri exhibitionem, et interim affirmare, quod eam ipsam ita exhibitam corporis Christi naturalis substantiam sola fide percipiamus; cum fides, quae est rerum absentium iuxta speciem, non autem praesentium, ut iam antea dictum est, ne admittat quidem istiusmodi praesentiam aut exhibitionem corporis Christi, nedum ut illam requirat, et res alioqui corporeae in sua potissimum substantia fide percipi non possint.

Neque potest firmius argumentum ullam haberi ex ipsorummet confessione ad convellendam illam realem substantiae corporis Christi naturalis in coena distributionem per ministri manus —, sive illam in connexione cum elementis, sive in ministri opere statuamus, — quam si illam fide a nobis percipi doceant. Neque enim fides circa res corpo-

reas versatur, quod ad substantiam (fol. 126ᵃ) earum attinet; et substantiam ipsam corporis Christi in sua specie corpoream sane sensibilemque et visibilem adeo Scripturae testimonio esse constat. Ex his vero omnibus constare iam arbitror, verba coenae, iuxta usum scripturae exposita, sic ut unanimis scripturae consensus retineatur, magis pro nostra doctrina facere, quam pro illorum doctrina, qui sese illorum nomine tantopere alioqui venditabant, nedum ut iustam ullam causam habuerint nos ita graviter traducendi, quasi veritatis verborum fidem abrogare voluissemus.

Nos enim clare et perspicue interpretationem nostram in eiusdem generis loquutionibus per singula sacramenta ordine suo approbavimus iuxta scripturas. Ostendimus item, illam cum natura ac institutione omnium sacramentorum consentire, et respondere omni ex parte analogiae fidei, quam Paulus in omni interpretatione observari imprimis iubet. Quae interim omnia in istorum interpretationibus et variis et novis, denique et coactis cogimur desiderare.

Varias esse re ipsa ostendimus, et quas interim adhiberi necesse est, si doctrinam suam ex coenae verbis colligere velint. (fol. 126ᵇ)

Novas esse dicimus, quandoquidem earum exempla in scripturis nulla videmus.

Et coactas vocamus, quod longe absint a vera ac legitima vocum significatione, dum ét in pronomine demonstrativo, aut casus variant, aut ἔλλειψιν constituunt, et verbum „est" aliis verbis commutant.

Quod autem istae eorum interpretationes cum natura sacramentorum non consentiant, inde facile apparet, quia in aliis sacramentis commonstrari nulla ratione possunt.

Et quod fidei Analogiae non respondeant, inde sane perspicuum est, quod substantiam corporis Christi nobis ab illo donari docent sub corporis nomine, cum eam Christus Dominus a nobis acceperit, non autem nobis donarit, id quod iam in superioribus abunde demonstratum esse putamus.

Quodsi nos ad amplectendam eam de reali istiusmodi praesentia ac distributione corporis Christi doctrinam, vel necessitas gravis aliqua adigeret, vel utilitas ulla invitaret, esset utique cur pro illa nonnihil certaremus, neque protinus alii hic aliis cederemus. Sed, cum neque necessitas ulla doctrinae huius omnino, neque item utilitas, commonstrari in scripturis (fol. 127ᵃ) possit, — imo, cum facile doceri possit, doctrinam hanc non modo non esse utilem, ne dicam necessariam, sed multa praeterea secum adferre incommoda etiam, multa item absurda gignere et pugnas praeterea in scripturis inevitabiles serere, — res profecto mira prorsusque dolenda est, quod eam a quibusdam ita mordicus retineri tantaque pertinacia defendi videmus,

adeoque et tanti fieri, ut propter illius controversiam alii alios proscindant ac diris omnibus devoveant, mutuamque Ecclesiarum societatem, non sine gravissima offensione multorum Euangeliique adeo ipsius infamia, disrumpant.

Porro non esse necessariam hanc doctrinam in Ecclesia Christi, vel inde apparet, quod ex scripturis certo ac perspicue colligi non possit, id quod tantae alioqui et tanti temporis controversiae testantur. Neque enim cogitandum est, Deum ita nobis obscure aut ambigue literis sacris mandasse, quae ad salutem nostram essent necessaria, ut non clare ac dilucide ea prodiderit, utque non facile ea ab omnibus percipi possint.

Deinde, quo pacto dicamus, eam doctrinam esse necessariam in Ecclesia Christi, quam ad salutem necessariam non esse constat? Etenim si realis in specie ipsa substantiae corporis (fol. 127ᵇ) Christi perceptio ad salutem omnino necessaria esset, equidem Deus illa veterem quoque Ecclesiam Patriarcharum ac Mosi non fraudasset, imo vero Christum ipsummet exhibuisset in carne potius primis nostris progenitoribus, quam de venturo adhuc multo post tempore promissionem, dedisset, siquidem ad salutem illorum realis haec substantiae corporis Christi perceptio necessaria quoquomodo fuisset. At vero, cum primis nostris progenitoribus, deinde vero et Patriarchis omnibus, denique et toti Israëlis sub Mose Ecclesiae sola de venturo Christo promissio satis fuerit ad salutem aeternam, neque illis quidquam defuerit ad habendam eandem ipsam, quam et nos habemus, cum Christo D. communionem, quatenus sane eandem nobiscum escam edebant, quemadmodum Paulus docet, neque illis tum omnibus necessaria erat quoquomodo realis ista iuxta speciem ipsam substantiae corporis Christi participatio, — neque nobis sane necessariam esse, dicere possumus, nisi si unum atque eundem utriusque Ecclesiae Deum, unam item atque eandem etiam utranque hanc Ecclesiam, praeterea unam atque eandem utriusque Ecclesiae fidem, denique unum baptismum, unam atque eandem escam et unum atque idem poculum in virtute et mysterio fuisse, esse et fore semper negemus, (fol. 128ᵃ) quae tamen omnia scripturis nobis tradi affirmarique videmus.

Quare aut veteri quoque progenitorum nostrorum primorum, deinde Patriarcharum omnium, postremo vero toti etiam sub Mose Israëlis Ecclesiae necessariam esse ad salutem oportuit realem hanc iuxta speciem ipsam substantiae corporis et sanguinis Christi perceptionem, quatenus sane illi patres nostri sunt, nosque iam tum in lumbis ipsorum una atque eadem cum illis Ecclesia eramus, — aut, si illis necessariam fuisse doceri non possit omnino, quemadmodum doceri non potest, imo vero contrarium scriptura universa testatur, — equidem ne

nobis quidem illam necessariam quoquomodo esse statui ullo modo potest. Sed quemadmodum vetus Ecclesia plenam ac salutarem habebat cum Christo Domino communionem in corpore et sanguine ipsius, inque fide illius venturi adhuc usu Sacramentorum suorum obsignabatur, atque adeo communione sua cum Christo venturo vere fruebatur ad vitam aeternam per fidem, etiamsi Christi corpus in sua substantia nondum extaret, nedum ut per ministrorum manus distribui quoquomodo posset, — ita et nos (fol. 128b) plenam nunc et salutarem nostram cum exhibito nobis iam Christo Domino communionem habemus, illaque vere ad vitam aeternam fruimur per fidem, et in illius fide usu legitimo nostrorum Sacramentorum obsignamur, etiamsi illum in nostrae humanitatis corpore ad dexteram Dei Patris in caelesti gloria sua sedere, atque suo olim tempore, quemadmodum ascendit (corpore videlicet suo), ita rursus venturum et a nobis interea expectandum esse, non autem hic per manus ministri distribui dicamus.

Videmus igitur necessariam non esse omnino ad nostram salutem doctrinam hanc de reali ista iuxta speciem ipsam substantiae corporis et sanguinis Christi praesentia, ut manibus ministri in coena cum pane aut per panem distribuatur, aut a coenae convivis percipiatur.

Non esse autem utilem istiusmodi doctrinam, multis rationibus doceri potest. Quod enim non prodest cuiquam, id sane nullam secum utilitatem adferre potest. Iam vero Christus ipsemet Dominus carnem ipsam nihil prodesse diserte profitetur; igitur sane neque realem illius perceptionem in Christi (fol. 129a) corpore utilem quoquomodo esse, constitui potest. Utcunque autem sese hic torqueant quidam in loci huius interpretatione, negare interim non possunt, Christum Dominum eo loco reprehendere realem istam in specie sua corporis sui manducationem, atque ad eam reprehendendam his verbis usum esse. Esto igitur, in genere dixerit Christus: Caro non prodest quidquam, — non ideo efficitur interim, verba haec ad reprehendendam realem illam corporis sui manducationem non pertinere. Et, si pertinent ullo modo, certe utile dici non potest id, ad cuius reprehensionem verba illa, utcunque tandem exponantur, a Christo Domino prolata esse constat, tametsi magis multo sit apposita Augustini illa expositio eo loco, qua ipse Christum D. de sua ipsius carne in cibum proposita, si iuxta ipsam substantiam edenda esse intelligatur, loquutum esse interpretatur.

Deinde quo pacto id nos utile esse dicamus Ecclesiae Christi, cuius contrarium Christus ipsemet Dominus utilius esse verbis expressis testatur. Equidem negari non potest, contraria haec esse, abire velle

et velle esse praesentem: ita praesertim, ut manibus humanis teneri distribui ac percipi possit. Et sane nega-(fol. 129b)ri non potest etiam, de corporis illum sui abitu loqui, dum se abire velle ait. Dum igitur utiliorem nobis fore praedicit Christus abitum suum a nobis ad Patrem, quam perpetuam nobiscum corpore suo praesentiam, sane doctrina haec de reali, iuxta ipsam speciem, corporis sui apud nos praesentia, ne dicam de distributione per ministrum ac perceptione, utilis in Christi Ecclesia censeri nullo modo potest.

Sed, si aut incommoda, aut absurda, aut ipsas etiam in Scripturis pugnas observemus, fateri omnino cogemur, non modo non esse utilem doctrinam hanc in Christi Ecclesia, sed noxiam potius et dignam, quae prorsus aboleatur. Ac primum incommoda, quae haec doctrina secum adfert, intueamur.

Nos in doctrina nostra dicimus, perpetuam esse, neque interrumpi unquam nostram cum Christo D. communionem in corpore et sanguine ipsius, praeterquam si illam destinato contemptu nostro ipsimet violemus. Eam vero ita perpetuam communionem nostram cum Christo obsignari in nobis usu Sacramentorum legitimo, ut, quod iamdudum alioqui fidei nostrae testimonio possidemus, id magis ac magis impressum animis nostris in dies esse sentiamus. Haec vero istorum (fol. 130a) doctrina adfert nobis secum interruptionem quandam eius ipsius nostrae cum Christo communionis, quam nos perpetuam esse docemus, dum nos tum demum potissimum Christo Domino vere communicare docet, cum nobis realiter iuxta ipsam speciem corporis et sanguinis sui substantia, sive in signo Sacramentorum, sive in eius elementis exhibetur. Etenim, si tum demum potissimum vere Christo Domino communicamus, dum nobis ita substantia corporis sui exhibetur, — certe non tam vere communicamus, dum non exhibetur. Non semper autem exhibetur, quia non semper coena dominica administratur. Non semper igitur vere ac plene ad salutem nostram Christo Domino communicaremus, imo vero non alias plene ac vere communicaremus corpori et sanguini Christi, quam in solo duntaxat coenae usu. Quae res quantum nobis adimat verae consolationis, quantumque quieti conscientiarum nostrarum in Christo detrahat, illi omnium optime sentiunt, qui cum sua conscientia, ut illam Deo approbent, colluctantur. Quantum enim absumus a plena illa veraque ac salutari communione corporis et sanguinis Christi, tantum nos etiam proculdubio a (fol. 130b) spe vitae aeternae abesse oportebit, dum in coenae Dominicae usu non versamur.

Non igitur nostra nos doctrina consolationem eripimus Ecclesiae Christi, dum realem illam corporis Christi praesentiam a coenae elementis aut ministri in illa opere submovemus, sed qui nos hoc nomine

hactenus praeter nostrum meritum traduxerunt, illi ipsi hac culpa tenentur in sua doctrina de reali ista corporis Christi naturalis in coenae elementis praesentia et distributione, cuius nomine nos infamabant.

Alterum incommodum est, quod hac tali doctrina natura ac virtus fidei nostrae obscuratur. Paulus docet, fidem nostram versari circa ea, quae in spe posita expectantur, neque videri aut sentiri in vita hac possunt, et fidem nobis commendat, quae contra spem in spem nihilominus sublata omni diffidentia credit. In hac vero de reali corporis Christi in coenae elementis praesentia et distributione, non in spem rei absentis credere iubemur, sed fide iubemur apprehendere, quod re ipsa praesens esse adeoque et ministri manibus porrigi distribuique docetur, cum fides sit rerum in spe positarum, quae sane expectari, (fol. 131a) et proinde re ipsa quoque abesse adhuc oportet, ut fide sub spe apprehendi possint.

Sed et aliud adhuc et quidem multo gravius incommodum doctrina haec secum adferre videtur, quod, quemadmodum haec sola de reali corporis Christi in coenae elementis praesentia imaginatio maximam hauddubie omnis Papisticae idololatriae occasionem praebuit, ita haec doctrina etiam non prorsus nos adhuc ab ea idololatria liberare posse videtur. Etenim corpus Christi Domini ubi ubi est, adorandum plane est propter personalem atque identicam, ut vocant, Dei et hominis in illo unionem, iuxta quam in Christo Domino et eius corpore omnis plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat. Si igitur Christi corpus naturale cum inhabitante in se omni divinitatis plenitudine ita aut elementis coenae ipsis, aut ministri operi unitur, ut vel pani ipsi realiter insit, vel manibus ministri distribuatur omnino, — adorari illud certe oportebit, sive in pane ipso, sive in ministri nescio quo opere, si non Christum Dominum sua gloria fraudare velimus, sic ut ab impietate quidem illa propitiatoriae oblationis et eius nundinatio-(fol. 131b) nis liberemur doctrinae huius praesidio, quod sane plurimi faciendum est, sed ab omni tamen specie idololatriae non prorsus adhuc liberemur. Quae interim res, quantum in se incommodi adhuc habeat, pius quisque facile secum reputare potest.

Neque vero aut pauciora aut leviora sunt absurda, quae in hac doctrina vitari nullo plane modo possunt. Ac primum, si in omni coena ipsa corporis Christi naturalis substantia ita inest pani, ut in illo vel per illum ministri manibus distribuatur, — sanguinis item substantia insit vino, sic ut ministri manibus propinetur, — equidem, cum coena infinitis locis simul administrari possit toto orbe terrarum et Christi corpus interim in coelo etiam esse non dubitemus, fateri cogemur proculdubio, Christum Dominum ipsa corporis sui et sanguinis

naturalis praesentia et coelum et terram implere omnino, atque ita corpus Christi ipsum in sua specie iuxta substantiam ipsam ac sanguinem rursum ipsius ubique plane esse, id quod nonnulli etiam huius doctrinae Patroni, viri alioqui pientissimi, affirmare (fol. 132ª) non dubitarunt. Caeterum si et corpus ipsum et sanguis item Christi Domini sunt ubique, quorsum attinebat a Christo Domino separatim in coena institui ét corporis sui in pane ét sanguinis in poculo distributionem? Sciebat procaldubio Christus Dominus id ita fore, siquidem ita esse debeat, atque ita eiusmodi signum in coena sua non instituisset hauddubie, separatam inquam corporis et sanguinis sui naturalis distributionem, si et corpus suum et sanguinem item ubique semper iam deinceps fore scivisset. Haec enim simul non possunt consistere, ut ét corpus ipsum et sanguis rursum Christi sint ubique, ét ut separatim rursus et corpus in pane et sanguis in poculo esse ac distribui possint. Posteaquam vero separatim et panem edi in coena et poculum bibi voluit Christus Dominus, rem sane superfluam adeoque et veritati ipsi repugnantem instituisse videri posset, si et corpus suum et sanguinem etiam ubique semper esse et omnia implere constet. Imo vero videri posset coenam ipsam frustra instituisse, cum et in nobis ipsis semper, tam corporis, quam sanguinis sui naturalis substantiam esse iam realiter oporteret, quate- (fol. 132ᵇ)nus nusquam omnino amplius non esset; nisi si in coenae duntaxat usu, et non alias, πανταχουσίαν hanc corpori et sanguini Christi tribuamus. Non potest autem sine impietate cogitari, nedum ut absurdum non sit, Christum Dominum vel frustra coenam suam instituisse, vel signa ipsius coenae suae eiusmodi adhibuisse, quae futuram hanc corporis et sanguinis sui πανταχουσίαν obscurarent atque adeo illi etiam repugnarent.

Alterum vero in eadem ipsa ubiquitate corporis et sanguinis Christi absurdum est, quod Diaboli et angelorum eius omnium omnisque adeo impietatis condemnationem omnem tollere plane videatur, renovetque nobis errorem priscum, nusquam ullam cuiusquam omnino condemnationem fore; cuius contraria in Scripturis innumera testimonia habemus. Etenim, si corporis Christi naturalis substantia gloria sua coelesti amplius exui non potest et in ea ipsa gloria sua sit ubique, — sane et in Gehenna illum in eadem ipsa sua gloria corpore suo esse oportebit. Imo vero nostra quoque corpora olim, posteaquam corpori Christi conformia fuerint, in gehenna esse cum Christo Domino in eadem ipsa illius (fol. 133ª) gloria oportebit. Si vero nostrorum corporum gloria cum Christo Domino in gehenna praesens est futura, et quidem realiter in specie ipsa, quatenus quidem nostra et illic corpora esse oportebit, neque sane in gehenna condemnationi

locus esse ullus poterit, cum illam Christus Dominus et sui ipsius et nostrorum omnium corporum gloria iuxta hanc doctrinam impleturus esse credatur.

Sed esto, non admittatur πανταχουσία illa corporis et sanguinis Christi, quae tamen in doctrina hac realis istius praesentiae vitari non facile potest, adhuc sane nihilominus absurdum est atque a fidei analogia modis plano omnibus alienum, velle ita a Christi Domini corpore sanguinem ipsum abstrahere, ut separatim ipsa corporis sui substantia in pane, separatim vero sanguinis sui substantia in poculo habeatur distribuatur et percipiatur. Quod enim vivit, ita iam procuIdubio vivit Deo in coelesti gloria ipsius, ut nulli in eo amplius separationi locus reliquus esse possit.

Praeterea si ipsa corporis Christi naturalis iuxta speciem suam substan-(fol. 133ᵇ)tia ita unitur pani in coenae Dominicae usu, ut illi insit realiter, quemadmodum dicunt, et cum illo ministri manibus distribuatur, negari sane non potest, ipsam etiam corporis Christi naturalis substantiam ab impiis percipi in coena. Et quidem hoc ipsum affirmari ab illis non ignoramus, sed eos non satis observasse putamus, quam absurdae sententiae ex ea doctrina colligi possint. Primum enim, si ipsam corporis Christi substantiam ab impiis sumi dicamus, negare etiam non poterimus, gloriam corporis Christi ad impios necessario pertinere. Non enim gloria illa Christi Domini, ad quam post suam resurrectionem in corpore suo assumptus est, a corporis sui substantia separari amplius ullo unquam modo potest, ut intelligamus, non posse percipi corpus Christi iuxta substantiam ipsam, nisi una et gloria illius percipiatur, et proinde impios etiam gloria corporis Christi carere non posse; gloriamque illius adeo cum impiis condemnari oportere, si eos substantiam ipsam corporis Christi sumere dicamus.

Ad haec, si ipsa corporis Christi substantia in coenae elementis ab impiis percipitur ex ministri (fol. 134ᵃ) manibus, equidem aut haeret percepta in impiis, aut non haeret. Si haeret, condemnari illam sane cum impiis iam oportebit. Nulla enim pax impiis, ut Propheta testatur. Si non haeret, percipiturne, ut non haereat? aut quandonam et ad quem modum impios rursus semel percepta deserit? Equidem vitari hic non posse video, ut non rursum ad ineptas illas Sophistarum argutias et argutas ineptias redeamus, de subvolante in coelum substantia corporis Christi, quoties panis coenae a mure roditur, ut de aliis taceam, quae omitti alioqui praestat, etiamsi non pauca commemorari possent.

Hoc tantum addam adhuc, ne id quidem sine indignitate corporis Christi doceri posse, ut etiam fideles ipsos duntaxat substantiam ipsam

corporis Christi coenae elementis e ministri manibus percipere credamus. Aut enim in piis quoque semel percepta haeret, aut non haeret. Si haeret, quorsum attinet coenam toties repetere? nisi si corporis Christi substantiam, quo frequentius coena utimur, hoc etiam in nobis magis ac magis augeri, aut tempore evanescere et proinde renovari subinde oportere dicamus. Quod equidem sine indignitate corporis Christi cogitari non po-(fol. 134b)test. Si vero in nobis non haeret, num ideo Christus Dominus illam percipi instituisset, ut non haereat? aut quandonam et quomodo evanescit? Audio, Christus subinde coenam repeti voluit. At vero eo ipso mandato suo testatur, se de distribuenda percipiendaque cum pane coenae e ministri manibus corporis sui naturalis substantia nihil omnino cogitasse, sed sacramentum duntaxat nostrae secum communionis in corpore et sanguine suo instituisse. Alioqui nunquam repeti voluisset coenam suam, in corporis sui contumeliam, si de reali ista substantiae corporis sui in pane e ministri manibus perceptione cogitasset.

Neque vero nobis amplius est cogitandum, splendorem illum coelestis gloriae ab ipsa corporis Christi substantia separari, aut illum contegi deinceps ulla omnino ratione posse in aeternum. Aut igitur in pane coenae ipso, ut de nobis ipsis taceam, splendor ille coelestis gloriae commonstrandus est, dum pani illi corporis Christi gloriosi substantiam realiter iuxta speciem ipsam connectere volumus, — aut nobis imaginatio haec de istiusmodi connexione prorsus est reiicienda, ne corporis Christi substantiam individuo iam deinceps (fol. 135a) in aeternum coelestis gloriae suae splendore fraudare ullo modo voluisse videamur. Tantum abest, ut nos in nostra doctrina, aut de corpore ipso Christi Domini, aut de Sacramentali nostra cum illo communione parum reverenter sensisse unquam convinci ullo modo possimus.

Iam quod ad pugnas Scripturarum attinet, eas sane et multas et graves ex hac doctrina, de reali in pane coenae corporis Christi per manus ministri distributione, collectas proferre possemus. Sed praecipuas tantum quasdam paucis attingemus, quae praecipuorum religionis nostrae capitum fidem obscurare videntur, nempe, incarnationis et ascensionis Dominicae, ac naturae humanae in Christi corpore proprietate post illius glorificationem.

In capite de Christi Domini incarnatione oppugnantur loci omnes illi per hanc doctrinam, qui Christum Dominum ex matre virgine conceptum progenitum factumque esse, formam servi assumpsisse, carni et sanguini nostro participasse et ex Patribus iuxta carnem prodiisse testantur [1]. His enim locis omnibus do-(fol. 135b)cemur,

[1]) Luc. 1. Matth. 1. Galat. 4, Philip. 2. Hebr. 2. Rom. 1. 9.

Christum Dominum corporis sui substantiam a nobis ex matre sua virgine accepisse, non autem nobis donasse. Haec vero istorum doctrina habet, Christum Dominum sui nobis corporis substantiam in coenae usu donare. Sunt autem haec inter se contraria: accepisse de nostro corporis substantiam, quae nostra erat neque unquam nostra esse desiit, — et eandem ipsam nobis ab eo donatam esse, qui illam a nobis accepit.

Nusquam autem id clarius agnosci potest, quam in matris ipsiusmet virginis et Christi Domini exemplo, si inquiramus, ipse ne a matre sua virgine corporis sui naturalis substantiam acceperit, an vero eam matri suae in coenae suae usu donarit. Neque enim dubium est, matrem virginem aliquando etiam coenae Dominicae una cum Apostolis participasse. Et, si virgo mater substantiam corporis Christi prius adhuc in lumbis suis habebat, quam ipsum conciperet, adeoque et in Christum D. ipsam ex sese spiritu sancto autore transfudit, sic tamen, ut illam nihilominus etiam ipsamet perpetuo retineret, — equidem, quod matris virginis iam olim erat ante Christi D. incarnationem, quodque Christus Dominus (fol. 136a) ita ab illa accepit, ut utrique interim communa semper esset, frustra id proculdubio matri virgini a Christo Domino coenae suae usu donatum rursus esse cogitemus, cum eo nunquam alioqui virgo mater caruisset.

Aut igitur statuendum est, locos de Christi Domini incarnatione veros esse, quibus docemur, ut dictum est, Christum Dominum ex matre sua virgine substantiam corporis sui accepisse. Et tum subsistere hauddubie non potest doctrina haec de reali corporis Christi iuxta substantiam ipsius in pane coenae praesentia et per manus ministri distributione. Aut certe, si veram esse statuamus hanc talem in coenae pane distributionem, quam alioqui neque superfluam neque ociosam Christus Dominus instituisset, loci omnino praedicti de Christi Domini incarnatione subsistere haudquaquam possunt.

In capite porro de Christi Domini ascensione oppugnantur per hanc doctrinam realis istius praesentiae loci Scripturae omnes, qui Christum Dominum mundum hunc reliquisse, ad coelos ascendisse, assumptum esse a nobis in altum, expectarique adhuc ita, ut ascendit, testantur [1]). Sunt enim haec contraria neque (fol. 136b) simul possunt consistere cum reali iuxta substantiam ipsam in specie corporis sui praesentia nobiscum, ne dicam, per manus ministri cum pane aut per panem coenae distributione. Aut igitur loci illi omnes expungendi sunt de Christi Domini ascensione disserentes, si doctrina haec, de reali ista corporis sui praesentia perque manus ministri in pane

[1]) Io. 16. Io. 3. 20. Eph. 4. Act. 1. Philipp. 3. 1 Thess. 1. Tit. 2.

coenae distributione, debeat retineri, — aut certe doctrinam hanc aboleri necesse est, ut locorum illorum veritas immota inconcussaque servetur. Pugnant enim neque reconciliari ullo modo possunt: corpore reliquisse et non reliquisse mundum; corpore ascendisse, assumptum esse a nobis in altum, ut expectetur, donec redeat, et esse hic praesentem sublata expectatione, adeoque et corpus illius per manus ministri in pane coenae distribui, ut ore carnali percipiatur.

Scio autem pleroque conatos esse mitigare hanc pugnam locorum in Scripturis, dum coelum non loci, sed conditionis nomen esse volunt; dum item praesentiam corporis Christi in pane coenae eiusmodi statuunt, quae non sit mundi huius, non sit localis, non naturalis, sed quae fide sola sentiatur. Caeterum nos sub (fol. 137ᵃ) coeli nomine non conditionis tantum, sed et loci discrimen in scripturis diserte nobis constitui videmus sub ascensus et descensus nomine, potissimum autem in illa Dominicae ascensionis descriptione, ubi Christum ab Apostolis in sublime ad coelum subvectum, in sublimi, in nubibus, ab aspectu ipsorum subductum; illos eum in sublime ascendentem oculis in coelum defixis prosequutos esse legimus. Haec sane frustra ita descripta fuissent; si coelum conditionis duntaxat, non autem loci etiam discrimen in se complecteretur. Quare non videmus, quomodo haec talis coeli ad conditionem duntaxat astrictio incolumi scripturae veritate subsistere possit.

De genere illo novo eiusmodi in pane coenae corporis Christi praesentiae, quae non sit huius mundi, non localis, non naturalis etc., et tamen manibus ministri teneatur distribuatur et a sumentibus ore carnali percipiatur, multa quidem dici videmus, sed fontes illius in Scripturis nusquam nobis commonstrari videmus. Quin et hoc doceri cuperemus, quonammodo id, quod adest quidem, sed non iuxta mundi huius praesentiam, non localiter, non corporaliter, non naturaliter, quo-(fol. 137ᵇ)nammodo, inquam, id ministri manibus teneri distribui et percipi ore carnali possit? Quodsi fide tantum sentitur haec praesentia, iam sane fidei non offertur, quod ministri manibus distribuitur. Nam quae manibus distribuuntur, ad sensus magis, quam ad fidem pertinent, quae istiusmodi praesentiam aut distributionem ne admittit quidem, nedum ut requirat. Neque istiusmodi argutiis igitur pugnae in Scripturis mitigari possunt, si doctrina haec de reali ista corporis Christi in pane coenae praesentia distributione et participatione retineatur.

Iam quod ad locos de proprietatibus corporis Christi post eius etiam glorificationem attinet, et hos quoque doctrina haec de reali ista praesentia et distributione oppugnat. Docemur angelorum testimonio, Christum Dominum corpore suo certo loco contineri, non

autem ubique esse post eius resurrectionem. Non est hic, inquit angelus, praecedet vos in Galilaeam, ibi eum videbitis etc. Docemur item, Christum Dominum, dum praesens Apostolis corpore suo adesset, visum semper ac contrectatum etiam esse, atque adeo hanc imprimis gloriosi iam corporis sui notam (fol. 138ª) constituisse, qua ab omni spiritu discerneretur, quod carnem et ossa habeat, quae et videantur, dum adest, et palpentur. Aut igitur haec vana erunt, si vera est realis illa corporis Christi in pane coenae praesentia, aut vanam esse oportet doctrinam hanc de tali praesentia, si locorum illorum testimonia vera esse credere debeamus.

Atque audimus hic rursum Angelorum verba ad visibilem mundi huius praesentiam referri. At vero, unde haec nova verbi *est* expositio, ut *esse* idem sit quod *videri?* Sane non ait angelus: Non videtur hic, etiamsi hic sit; sed ait simpliciter: Non est hic. Et nullam videmus necessitatem, quae nos eo adigat, ut verbum *est* verbo *videtur* commutemus, praesertim cum de invisibili istiusmodi praesentia corporis Christi nullum usquam testimonium habeamus.

Audimus item, non ese nobis admittendas ullas mundi huius cogitationes de locorum discrimine aut corporum proprietatibus in consideratione huius talis coelestis et non mundanae praesentiae corporis Christi in pane coenae. Sed utinam, qui haec docent, id ipsimet praestitissent. Nam connecti pani, tene-(fol. 138ᵇ)ri ac distribui manibus humanis, haec vero non video, quomodo a mundi huius cogitationibus excludi atque ad coelestem illum nescio quem praesentiae modum referri possint. Nos nullas mundi huius cogitationes praesentiae Christi Domini in coena adhibemus, sed illum nobis semper et proinde in coena quoque adesse non dubitamus. Caeterum corpus eius pani connectere, aut in ministri manus concludere, id vero, quia humanum adeoque et mundanum est, amplecti non possumus, neque amplectendum esse putamus.

Quare, qui nos a mundi huius cogitationibus dehortantur, circa coelestis praesentiae Christi Domini in coena sua considerationem, submoveant prius ipsimet mundanas istas persuasiones, de connexione cum pane et demum per manus ministri distributione corporis Christi, easque coelesti praesentiae ne admisceant, — et protinus coelestem corporis Christi praesentiam in coena agnoscemus. Sed coelestem praesentiam statuere cum illius cum pane coenae connexione et per manus ministri distributione; de hac vero tali praesentia, cum nusquam quidquam in Scripturis proditum videamus, nihil etiam possu-(fol. 139ª)mus affirmare. Imo illam probare non possumus propter eas causas et multas et graves, quas iam copiose nobis exposuisse videmur.

Approbavimus igitur iam, ut spero, doctrinam nostram de coena iusta ac legitima verborum coenae, iuxta familiarem scripturae usum, explicatione et consentanea reliquorum eius generis omnium Sacramentorum collatione. Ostendimus item, qua in parte simplicitatem interpretationis apud eos requiramus, quod ad verba coenae attinet, qui se illius nomine hactenus venditarunt, sic ut aequiora nos deinceps piorum omnium iudicia per Dei gratiam habituros esse non dubitamus. Et ut finem iam tandem nostrae huius tractationis faciamus. Vidimus non usque adeo difficilem in se esse causam totam hanc sacramentariam, quae cum vulgaribus plane atque e media plebe petitis signis, citra controversiam, constet ex Dei ipsius ordinatione. Certum est, eam nihil in se difficultatis habere, nisi quatenus in illam inimicus ille homo sua zizania insevit, qui non alibi maiore conatu fere doctrinae puritatem infecit, eo quod non alibi nobis etiam omnem salutis nostrae rationem clarius patefactam ac, velut sub imagine (fol. 139ᵇ) quadam signorum visibilium, ob oculos nobis clarissime positam esse videret. Vidimus item, unde primum orta sint haec de re Sacramentaria dissidia. Nempe ex varia vocis Sacramenti ante omnia usurpatione, qua factum est postea, ut alii plus aequo, alii vero minus, tribuerent signis Sacramentorum. Aucta vero esse vidimus haec dissidia ex non satis diligenter observatis Sacramenti partibus, dum alii sub signi voce res actionibus sacris adhiberi solitas, alii vero actionem ipsam externam seu ceremoniam, alii rursum sine discrimine utrunque intelligi voluerunt, — et dum mysterii Sacramentalis etiam ratio ipsa varie explicaretur, nec satis communio nostra cum Christo Domino partesque illius observarentur. Ita enim, dum sua quisque tueri ac propugnare vellet, creverunt dissidia atque ad pugnas demum ventum est. Ad medendum igitur hisce malis, fontes illorum excutere voluimus, ut videremus, ubinam et quomodo aberratum sit a scopo. Ostendimus in variatis illis vocibus, ex quibus dissidia omnia orta sunt, veram propriam ac legitimam earum significationem. Partes Sacramentorum iuxta unanimem totius Scripturae consensum (fol. 140ᵃ) explicuimus et singulas in singulis etiam Sacramentis ad unum eundemque modum commonstravimus. Ostendimus, quatenus inter omnes de mysterio Sacramentorum conveniat, qui doctrinam Euangelii amplectuntur, (de Papa enim et suo grege hic nihil agimus, cum quo nullam alioqui in sacris communionem propter blasphemiarum et idololatriae ipsius abominationes habemus) et exposuimus, quod omnia nostra dissidia circa signa potissimum et elementa Sacramentorum versentur. Quae sane cum sint vilissima in sacramentorum consideratione, nobis etiam tanti facienda non essent, ut propter illa animis quoque nostris invicem

contra leges charitatis et societatis Christianae dissideremus. Haec ita inquam egimus omnia, et egimus bona fide pro nostra infirmitate, id novit Dominus.

Quod superest, Deum supplex oro, ut omnia doctrinae dissidia per spiritum sanctum suum componat, omnesque nos, qui illius filium unigenitum unicum verum summum atque aeternum nostrum Regem Doctorem, ac Pontificem esse, ex animo credimus et docemus, proque nominis sui adorandi confessione certam in mundo hoc lanienam, velut oves mactationi destina-(fol. 140[b])tae, per gratiam Dei expectamus, ut nos omnes, inquam, spiritus sui vinculo ita consociet, ut, omissis nostris affectibus posthabitaque nostra, quae nulla est, gloria, illum solum unanimiter coniunctis simul votis nostris omnibus collaudemus, testemurque nostra ipsorum coniunctione, Deum vere esse Deum nostrum et nos populum illius, sanguine filii sui acquisitum. Cui una cum Patre suo aeterno et sancto adorandoque spiritu sit honor laus et gloria in aeternum. Amen. (141[a])

[à Lasco libello suo adjunxerat „*Consensionem mutuam in re Sacramentaria Ministrorum Tigurinae Ecclesiae, et D. Joannis Calvini ministri Genevensis Ecclesiae*", ut suam quoque cum Helveticis doctoribus consensionem palam attestaretur. Nos eam omittendam duximus, quippe quae et alibi legi queat, et ad Lasci opera prorsus non pertinet.]

CONFESSIO

JOANNIS A LASCO, DE

nostra cum Christo Domino communione, et corporis sui item in Coena sua exhibitione: *ad Ministros Ecclesiarum Frisiae Orientalis.*

PSALMUS 116.

Credidi: propterea et loquor.

[sine anno, loco et typographo.]

AD MINISTROS ECCLESIARUM FRISIAE ORIENTALIS.

Quoniam passim indignissime traducimur, viri fratres! quasi nunc Coenae Dominicae dignitatem doctrina nostra nimium elevemus, quod potissimum attinet ad mysterium nostrae cum Christo Domino communionis, et corporis item sui in Coena exhibitionem; neque desunt etiam, qui nos priorem ea de re sententiam, nescio qua parte, mutasse putant, — visum est paucis ad praesens istorum calumniis occurrere, publicoque hoc scripto meo testari, quod neque Coenae Dominicae dignitatem nostra doctrina elevemus quoquo modo, sed per alios labefactatam illi potius restituamus, neque a priore nostra item hac in parte sententia, quam in nostro hic ministerio vobiscum una consentienter professi sumus, vel latum, quod aiunt, unguem recesserimus. Non dubito autem vos memoria adhuc tenere doctrinae nostrae moderationem, per me postea sub forma epistolae cujusdam in Anglia editam, quam Dominus Hermannus Brassius, collega hic noster, in publi-(A. 2ª)ca concione Nordae ante annos ferme octo aut amplius professus est, et plerique vestrum exscriptam demum etiam retinuerunt. Haec ipsa igitur doctrinae nostrae a me hic relicta moderatio, et epistola praeterea ad Bremenses Ministros a me paulo post unanimi interim collegarum hic meorum consensu scripta, facile ostendent, siquidem cum hac mea nunc confessione conferantur, me in eadem ipsa, quam hic sum professus, doctrina ac sententia modis omnibus perstare. Meam vero hanc confessionem vobis potissimum ideo nuncupare volui, quod nemo alius de mea hic innocentia, aut plenius, aut etiam fidelius testimonium perhibere possit, quam vos, qui in eodem una mecum ministerio pariter versati estis. Deus Opt. Max. regat vos spiritu sancto suo et efficax reddat ministerium vestrum ad gloriam sui adorandi nominis, salutem vestram et Ecclesiae aedificationem. Amen. (A. 2ᵇ)

SUMMA DOCTRINAE

MEAE DE NOSTRA CUM CHRISTO DOMINO COMMUNIONE.

Docui semper et doceo, nostram cum Christo Domino communionem in corpore ipsius duabus partibus constare, nempe substantia et conditionibus illius. Ita autem a Christo Domino, pro gratuita illius bonitate ac misericordia, institutam esse, ut in ea ineunda partem de nostro ipse proprio in se assumpserit per participationem, partem vero nobis de suo etiam proprio detulerit in commune, sic ut in ejus, quod nobis proprium erat, neque nostrum esse unquam desiit, communionem ipse venerit, et nos in eorum vicissim, quae ipsi soli propria alioqui erant, communionem gratuito vocarit. Esse igitur in hac nostra cum Christo Domino communione, quod ipse in se de nostro proprio assumptum, (A. 3ᵃ) non equidem sibi deinceps proprium, ut nos ab eo excluderet; sed nobiscum una commune jam semper esse voluit, — et esse rursum, quod nobis secum, de suo vicissim collatum, commune fecerit, sic ut in utroque eo, et quod ipse, de nostro proprio assumptum, commune sibi jam nobiscum pariter esse voluit, et quod de suo item proprio secum nobis commune fecit, veram nos plenamque ac salutarem cum ipso communionem habeamus. Porro id, quod Christus Dominus in instituenda nostra hac secum communione de nostro proprio in se per participationem assumptum, nobiscum sibi commune jam deinceps esse voluit, docui semper et doceo, esse ipsam substantiam corporis sui naturalem, quemadmodum id universa scriptura testatur. Quod vero ipse de suo proprio ad eam ipsam nostram secum communionem vicissim detulit, docui semper et doceo, esse dotes omnes meritumque omne et omnem (A. 3ᵇ) gloriam sacrosancti sui corporis, quae sane omnia ad nos nihil poterant pertinere omnino, si non ea ipse de suo proprio ad nostram secum com-

munionem attulisset. Assumpsisse igitur Christum Dominum, docui semper et doceo, in instituenda nostra secum communione de nostro proprio, ex matre virgine Spiritu sancto autore, ipsam corporis sui naturalis substantiam, ut frater noster fieret, sic ut caro, quae nostra alioqui propria ante fuerat, ipsius deinceps sit caro etiam, — ac rursum ipsius caro sit nostra pariter vicissim caro per naturalem ipsius nobiscum, peccato duntaxat excepto, communionem in sua incarnatione, sitque jam et ipse caro ex carne nostra, et nos vicissim omnes caro ex carne ejus etiam per naturalem ipsius nobiscum in una atque eadem carne nostra, peccato ut dixi excepto, societatem sive communionem institutam in sua incarnatione. (A. 4a).

Donasse autem nobis de suo proprio Christum Dominum, docui semper et doceo, in eadem ipsa secum communione id totum, quod ei ullo omnino modo in accepta a nobis corporis sui substantia proprium alioqui erat, ut id totum omnino, quod ad illum proprie quoquo modo pertinet, excepta sola personali illa Dei et hominis in ipso conjunctione, id totum, inquam, sit jam prorsus nostrum etiam cum ipso per gratuitam ipsius in commune donationem, sitque jam et Christus ipse Dominus noster omnino, quatenus nobis a Deo patre in carnis nostrae communionem ad salutem nostram gratuito datus est, — et sua iterum omnia nostra sint etiam, quatenus ab ipso in carnis nostrae corpore praestita ac promerita, ad nostram secum communionem per ipsum sunt de suo gratuito collata.

Haec ita ego de nostra cum Christo Domino communione et docui semper et doceo, ac proinde mysterium hoc institutae in hunc mo-(A. 4b)dum nostrae cum Christo Domino communionis obscurari adeoque violari per illos dico, qui Christum Dominum ideo nostrum esse dicunt, quod nobis ille de suo proprio non merita modo sua suamque gloriam, sed ipsam etiam corporis sui naturalis substantiam in Coena sua donat; non autem quod in carnem ipse nostram venerit, nosterque in illa frater jam factus, in suo illam demum corpore sanctificarit et ad Patris sui dexteram in sese collocarit. (A. 5a)

SUMMA DOCTRINAE

MEAE DE CORPORIS CHRISTI IN COENA DOMINI EXHIBITIONE.

Docui semper et doceo, corpus et sanguinem Christi Domini in Coenae sacramento nobis non tantum significari, sed vere etiam exhiberi; caeterum longe alia ratione, quam a multis nunc doceri video. Etenim sub corporis nomine non equidem ipsam corporis substantiam, nempe carnem ipsam atque ossa Christi Domini, sed potius communionem corporis ipsius intelligo, juxta Pauli interpretationem, 1 Co. 10, ut coenae mysterium non sane sit caro ipsa et ossa Christi, sed nostra potius cum Christo Domino communio ac societas in corpore ipsius. Rursum coenae sacramentum esse dico non externam illius tantum, institutam a Christo Domino, caeremoniam, multo minus ejus elementa, nempe panem et vinum, sed externam quidem caeremoniam (A. 5[b]) externum etiam coenae ipsius signum esse fateor. Caeterum aliam praeterea quoque in coenae sacramento actionem huic signo externo adjungo, nempe internam Spiritus sancti sub ipsa caeremonia in nostris cordibus operationem, qua alioqui sublata, coenam Domini esse nego, etiamsi externa illius caeremonia speciosissime peragatur. Postremo verbum exhibendi in coenae argumento longe aliter, quam plerique faciunt, accipio. Exhiberi enim hic idem esse dico, quod in conspectu ipso constitui ac sisti, non autem donari tradi transferri seu transfundi, quemadmodum nonnulli docent. Et cibum esse interpretor fidei nostrae ad vitam aeternam in nostris animis confirmationem et obsignationem. Ad hunc modum, inquam, ego voces istas semper usurpavi et nunc etiam usurpo, atque juxta hanc talem vocum istarum usurpationem docui semper et doceo, in coenae sacramento, hoc est, in tota plena ac legitima coenae Dominicae institutione, (A. 6[a]) non autem in ex-

terno duntaxat signo ipsius, nempe in coenae caeremonia, multo minus autem in coenae elementis, exhiberi nobis, hoc est, in prospectu ipso fidei nostrae poni, subvectis videlicet Spiritu sancto autore nostris in coelum animis, corpus et sanguinem Christi, hoc est, communionem corporis et sanguinis Christi, quemadmodum Paulus exponit, in cibum vitae aeternae, hoc est, in confirmationem atque obsignationem fidei in nostris animis ad vitam aeternam. Et, quemadmodum quisque nostrum duos in se complectitur homines, alterum qui ea duntaxat novit atque apprehendit, quae sensibus nostris sunt exposita, alterum vero qui coelestia potissimum per fidem intuetur, (quo quidem alioqui nomine ille sane in terris, hic vero in coelis jam locum suae habitationis habere dicitur) ita ei quidem in nobis homini, qui in terris hic versans ea tantum percipit, quae in sensus incurrunt, panem ipsum ac poculum coenae, symbola inquam (A. 6b) corporis et sanguinis Christi, in cibum ac potum tradi; — ei vero in nobis homini, qui in coelis jam versans coelestia duntaxat etiam intuetur, ipsum sane corpus Christi cum donis meritisque suis omnibus ac nostram in iis cum Christo Domino communionem fide intuendam exhiberi, hoc est, in prospectu ipso poni, docui semper et doceo, ad illius de obtinenda ita demum vita aeterna confirmationem atque obsignationem.

Utramque autem doctrinam hanc nostram, ét de nostra cum Christo Domino communione, ét de corporis item sui in coena exhibitione, totius alioqui scripturae menti consentaneam esse et alias jam ostendimus, et, quoties res postulabit, per Dei gratiam ostendemus.

FINIS.

PURGATIO MINI-
STRORUM

IN ECCLESIIS PE-
REGRIN. FRANCOFURTI,

aduersus eorum calumnias, qui ipsorum doctrinam, de CHRISTI Domini in Coena sua praesentia, dissensionis accusant ab AUGUSTANA confessione.

AUTORE *D. JOANNE à LASCO*, BARONE POLONO.

BASILEAE, PER JOANnem *Oporinum*.

[Anno MDLVI.]

EPISTOLA DEDICATORIA.

Ampliss. Ornatiss. et Magnificis Dominis Coss. et Senatui inclytae atque Imperialis civitatis Francofordiae, DD. suis clementiss. Salutem.

QUAE principio illustrem virum atque eximium Christi servum, D. Ioannem à Lasco, ad hanc scribendam nostrarum Ecclesiarum nomine Apologiam impulerunt causae, haudquaquam sane vulgares fuerunt. Ad quas accessere etiam nobiliss. atque graviss. virorum, nobis omni honore colendiss. cohortationes, quibus omnino fuit obtemperandum, nisi causae iustissimae desertor ipse videri mallet. Cum porro illis studiose urgentibus, ut etiam ante nundinas proxime iam elapsas aliquid praestaretur, et D. a Lasco posthabitis omnibus suis negotiis, ad Calend. Septemb. absolvisset, aut saltem exarasset, deinceps aliquibus amicis et dominis atque etiam nostrarum Ecclesiarum patronis fidelissimis eam, ut erat plane extemporanea (3) tantumque exarata, communicavit, atque illi nostri patroni tertio post die, pro sua erga nos Ecclesiasque nostras benevolentia, vobis Dominis nostris Clementissimis exhibuerunt. Postea vero cum intellexissemus, eam Vestro Amplissimo Consessui non ingratam fuisse, atque adeo traditam Concionatoribus Germ., per quos non dubitamus eam ad aliorum quoque manus perventuram, — ne quis forte locus detur calumniis, visum est consultissimum atque utilissimum fore, ut illa prorsus publica fieret. Ac proinde, postquam ipse D. à Lasco relectam in paucis quibusdam locis correxisset, nonnullaque addidisset, nos illam edi curavimus. Cuius quidem editionis brevibus Vestrae Amplitud. reddendam esse rationem duximus.

Nos etenim certe non arbitramur, homini Christiano famam omnino negligendam esse, etiamsi Paulus affirmet, Dei ministros sese in omnibus commendare, sive per gloriam et ignominiam, sive per infamiam et bonam famam. Verum id quidem est et certissimum

Spiritus sancti oraculum, Christi servos ita ob-(4)firmatos esse oportere in vera pietate, ut a sana doctrina vel recta religione nulla prorsus dimoveantur infamia; et nos sane per Dei gratiam hactenus Papistarum et mundi probra et contumelias satis fortiter contempsimus,— interea tamen bonam famam, quoad fieri potest, non arbitramur negligendam, etiam apud Papistas ipsos et alios mundi huius homines, ne videlicet habeant, in quo de nobis iuste possint male loqui. Quod si deinde faciant, suo iam id vitio, non ulla nostra culpa fiat. Deinde etiam famae rationem habendam propter fratrum aedificationem putamus. Quapropter, quum a quibusdam (qui tamen eundem nobiscum Christum atque idem Euangelium profitentur) linguis et calamis nos, propter Christum et eius Euangelium extorres, proscindamur, idque ob unicam dogma, quod ipsis tueri placuit sine ulla verbi divini autoritate, nos certe, tametsi poteramus, si tantum nostri habenda esset ratio, istorum hominum convicia et calumnias contemnere, non potuimus tamen fratrum aedificationem ita negli-(5)gere, neque adeo iniuriam, quam Vestrae Amplitudini sub nostro nomine faciunt isti, dissimulare. Etenim illi non solum erga nos se produnt omnis pietatis et charitatis Christianae expertes, sed erga Vos quoque, Dominos nostros Clementiss., omnis reverentiae atque observantiae vel prorsus ignaros, vel saltem immemores, dum Vestrum nomen una cum nostro passim apud omnes temere infamant.

Non ignorat Europa pene tota, quantum Vestrae pietati nos, imo vero pii ubique omnes debeant, ob praestitum hic nostris afflictis Ecclesiis benignum hospitium. Nimium certe ingrati essemus, si per nos, aut nobis etiam dissimulantibus, vel tantillum Vestrae dignitati detraheretur. Isti vero, cum non habeant ullam in ipsa causa rationem idoneam ex verbo Dei, iam alia aggrediuntur, ut Vobis potius quam nobis invidiam et odium apud omnes Imperii Ordines concilient.

Et callide illi quidem novam calumniam adinvenerunt, nos, puta, cum Confessione Augustana pugnare. In quo (6) Vestrae Amplitudini notam hanc inurere conantur, quasi Vos, violato Imperii foedere, hostes illius in vestrum sinum recepissetis. Proinde visum est nobis perquam necessarium, brevi aliquo scripto istis hominibus ora obturare, aut, si id non potest, quia praefractiores sunt, saltem apud omnes bonos et pios Principes testatum faciemus, putidissimas esse illorum hominum calumnias, quibus nos primum, suos fratres, deinde etiam Vestrum Amplitudinem, Dominos nostros Clementiss., conantur apud omnes Imperii Ordines invidia gravare.

Nolumus hic in illos regerere, quam confidenter, dum ipsis lubet, Confessionem Augustanam contemnant. Neque etiam illis obtendimus (id quod tamen iure nostro optimo possemus), quod hominum

potius scriptum, quam verbum Dei, nunc obiiciant ad suam tuendam causam. Nos id piis omnibus cogitandum permittimus, quo scilicet illis res redierint, dum sic ad humana praesidia confugiunt, quove illi spiritu ducantur, dum nos ita, fraternae charitatis obliti, nimium atrociter insectan-(7)tur. Satis erit, hac brevi Apologia testatum apud omnes Imperii Ordines fecisse, nos primum non pugnare in doctrina Sacramentaria cum Augustana confessione, quemadmodum isti nos accusant. Deinde, quamvis id faceremus, non ideo tamen damnandos esse nos, si possemus nostram dissensionem ab illa verbo Dei approbare.

Quod ergo extemporanee exaratum vobis fuit a nostris patronis semel oblatum, uti supra exposuimus, id nunc paucis quibusdam in locis ab ipso D. à Lasco elimatum in lucem sub Vestrao Amplitudinis nomine edimus. Ac ne nostri accusatores rursum inde novam calumniarum messem sibi ponant, perinde ac si a reliquis nostris Fratrib. et Symmystis discessionem fecissemus, nos id quoque testatum omnibus volumus, eam D. Calvino, Ecclesiae Genevensis pastori, per D. à Lasco fuisse communicatam, eumque modis omnibus assensisse. Nec dubitamus de D. Bullingero, Ecclesiae Tigurinae pastore, nec de reliquis aliis omnibus, quin huic Apologiae sint assensuri. (8)

Rogamus V. Amplit., ut hoc nostrum obsequium aequi boni consulatis, et, qua pietate nostras hic Ecclesias excepistis, eadem pergatis fovere ac tueri in perpetuum, ut Vos iuxta Esaiae vaticinium vere nutricios Ecclesiae Christi exhibeatis, qui hanc pietatem Vestram erga suas Ecclesias abunde sua benedictione compensaturus est, ut nulli dubitandum sit, aliquando duriter, nisi poeniteant, in illos animadversurum, qui exemplo Aedomaeorum fugientes fratres conantur tyrannorum gladiis rursus obiicere. D. Iesus Vestram Amplitudinem modis omnibus augeat semperque suo spiritu regat et moderetur, ad sui nominis gloriam et Ecclesiae suae incolumitatem.

In urbe Vestra, 21 Octob. 1556.

V. Amplitud. observantiss. subditi Ministri
Ecclesiarum peregrin. (9)

PURGATIO MINISTRORUM

IN ECCLESIIS PEREGRIN. FRANCOFURTI,

adversus eorum calumnias, qui ipsorum doctrinam de CHRISTI Domini in coena sua praesentia dissensionis accusant ab AUGUSTANA Confessione.

Autore D. IOANNE à LASCO, Barone Polono.

PUTAVIMUS esse nostri officii, opt. Lector, ut suspicionem atque invidiam, qua nostri quidam adversarii nos doctrinamque nostram, nobis alioqui cum Catholica Christi Ecclesia communem, odiose passim et praeter omne nostrum meritum gravare conantur, paucis et quam simplicissime a nobis depelleremus. Accusamur autem, quod de Christi D. in coena sua praesentia ab Augustana confessione dissentiamus, et tamen fuco quodam (10) nostram cum illa consensionem obtendamus. Hic igitur, etsi gaudemus humanae iam nobis doctrinae potius, quam verbi divini, autoritatem opponi (quam alioqui a nobis stare non dubitamus), tamen, cum ne hac quidem in parte, qua accusamur, nobis ullo modo [1] conscii simus, nostram et hic, atque eorum omnium, qui nobiscum sentiunt, innocentiam piis omnibus approbandam esse duximus.

Et quamquam neque ad Confessionis Augustanae, neque ad ullius alterius eius generis scripti, regulam astringi ita volumus, ut non libere ab illa nos dissentire adeoque et reprehendere illud posse existimemus in mansuetudine et modestia Christiana, sicubi verbi D. autoritate convicti dissentire nos ab illis oportere conscientiae nostrae testimonio intelligamus, — multo minus autem illos probamus [2],

---

[1]) Cod. Francof.: *ullo nobis modo.* [2]) Ib. *probamus etiam.*

qui Christianam fraternitatem Confessionis August. finibus, veluti cancellis (11) quibusdam, ita circumscribere conantur, ut, qui non protinus in verba illius iurent, eos non Ecclesiastica modo, sed politica quoque societate excludant. Hoc enim non alio spectare videtur, quam ut Papisticam tyrannidem, non tam equidem sublatam, quam sub Euangelii titulo potius mutatam habeamus. Libenter tamen eum honorem eamque autoritatem detulimus semper atque etiamnum deferimus, denique et deferri ab omnibus [1]) optamus, August. confessioni, ut eam reverenter agnoscant omnes, aliique aliis invicem commendent et adversus ipsius adversarios unanimiter omnes propugnent, ut cuiusque vocatio id [2]) postulat, — praeterquam, sicubi quis verbi alioqui D. autoritate compulsus, ad dissentiendum ab illa, aut ad eam quoque reprehendendam conscientiae suae testimonio in lenitate interim ac modestia Christiana cogatur.

Neque enim ita aut immemores su-(12)mus, aut etiam ingrati, ingentis illius beneficii Dei, quod ille in propellenda a nobis Papismi tyrannide per eius Confessionis autores ac patronos, non insigniter modo, sed plane mirabiliter etiam, mundo universo reclamante, operatus est; ut non hic perpetuae nostrae gratitudinis ac observantiae debitum cum erga doctrinam ipsam, tum erga autores ac patronos August. confessionis libenter agnoscamus agnoscendumque a piis omnibus esse censeamus. Ac proinde eam quoque dissensionis ab illa nostrae suspicionem minime nobis alendam esse silentio nostro putavimus, qua parte a nostris adversariis accusamur. Testati autem iam pluries sumus privatis scriptis nostris, nos de Christi D. praesentia in sua coena August. confessioni assentiri. Sed cum scripta illa partim non satisfecerint omnibus, partim vero sint etiam depravata, ut audio, visum est de-(13)nuo hoc ipsum adhuc facere, nostramque hic innocentiam publico hoc scripto piis omnibus approbare, perinde atque si nihil omnino huius hactenus egissemus.

Ut autem et adversariorum nostrorum vanitas, et nostra item innocentia omnibus conspicua fiat, exponemus primum, quo nomine potissimum 1. ab Augustana Confessione de Christi D. in coena sua praesentia dissentire dicamur. 2. Deinde vero recitabimus ipsius Confessionis verba in eo ipso argumento. 3. Postea autem nostrae eadem de re doctrinae confessionem subiungemus, ut ita demum appareat, num Augustanae confessioni hac in parte assentiamur aut repugnemus. 4. Ad extremum autem proferemus, quae adversus nostram hanc, quam profitemur, cum August. confessione consensionem adhuc adduci [3]) audimus, cum brevi illorum refutatione. (14)

[1]) Cod. Francof.: *ab omnibus deferri.* [2]) Ib.: *cuiusque id vocatio.*
[3]) Ib.: *adduci adhuc.*

Ab August. igitur confessione ideo potissimum dicimur dissentire, quod Christi D. corpus iuxta naturalem ipsius substantiam neque in pane coenae re ipsa διὰ εἴδους, ut Pauli verbis utamur, delitescere, neque item in immensum expandi et ubique esse; praeterea neque ore carnali ab impiis perinde atque a piis in coena Domini sumi, agnoscere velimus.

Nos vero, haec omnia a nobis agnosci haudquaquam posse, ingenue et sine dissimulatione ulla fatemur, eo quod et a mente totius Scripturae, et a Catholicae Ecclesiae consensu aliena omnino esse videmus; sed non ideo nos tamen a Confessione August. dissentire, cum nihil horum illic doceatur, imo cum horum contraria doceantur, quemadmodum postea dicetur [1]).

Hic igitur est totius nostrae cum nostris adversariis controversiae status, quod illi praedicta dogmata in Confessione August. tradi affirmant, — (15) nos vero negamus; denique etiam dicimus, illa cum doctrina Confessionis August., nostro quidem iudicio, consistere non posse. [2]) Iam ut omnibus appareat, quae nos dicimus [3]), vera esse, recitabimus verba ipsa Confessionis August., quae de Christi D. in sua coena praesentia loquuntur; ac demum doctrinam illorum in quaedam capita partiemur, quae tandem omnem controversiae summam facile ob oculos omnium ponent. Igitur verbi decimi Art. in ipsa Confessione sic habent, loquiturque Confessio ipsa de suae doctrinae ministris:

De coena Domini docent, quod cum pane et vino vere exhibeantur corpus et sanguis Christi vescentibus in coena Domini.

Rursum Art. 13, ubi de sacramentorum usu agitur, sic habet:

De usu sacramentorum docent: Sacramenta instituta esse, non modo ut sint notae professionis inter homines, sed multo magis, ut sint signa et testimonia voluntatis Dei erga nos, proposi-(16)ta ad excitandam et confirmandam fidem in his, qui utuntur eis. Itaque utendum est sacramentis ita, ut accedat fides, quae credat promissionibus, quae per sacramenta exhibentur et ostenduntur. Hac fide accipimus promissam gratiam, quam sacramenta significant, et spiritum sanctum. Damnant igitur pharisaicam opinionem, quae obruit doctrinam de fide, nec docet fidem in usu sacramentorum requiri, quae credat propter Christum nobis

[1]) In Cod. Francof. contextus incisus hic non est. [2]) Nova hic linea in Cod. Freft.
[3]) Cod. Francof. legit: *affirmamus*.

gratiam dari, sed homines iustos esse fingit propter usum sacramentorum ex opere operato, et quidem sine bono motu utentium.

Haec ita in Confessione August. habentur, neque quicquam aliud habetur, in nostro praesertim argumento, quod iam citatis duobus Articulis non contineatur. De Apologia Confessionis nihil nunc loquimur. Hanc enim a Confessione ipsa discernimus, quemadmodum postea dicetur, etiamsi neque Apologiam ipsam nobis opponi posse ostendemus, nisi eadem simul (17) opera ipsi etiam Confessioni opponatur.

Quod igitur ad August. ipsam Confessionem attinet, aut nobis praedictis hisce locis commonstranda sunt, quae cum nostra doctrina pugnent (siquidem ab illa vere dissentimus), aut, si nihil istiusmodi neque praedictis locis, neque usquam alibi in tota Confessione commonstrari queat, quemadmodum neque hactenus potuit, neque adhuc per Dei gratiam poterit commonstrari, res ipsa loquetur, etiamsi nos taceamus, vanissimos esse eorum omnium clamores, qui, cum aliter nostra refutare non possint, ab August. nos Confessione dissentire vociferantur. Non quod ipsi illam tanti [1]) eiusve autores praecipuos faciant — nam ipsemet nova quaedam dogmata fingunt cum ipsa Confessione pugnantia, id quod postea ostendemus, et quoties ipsis lubitum [2]) est, illius autores fortiter contemnunt — sed quod, dum omnes, qui (18) cum Aug. Confessione non faciant, a foedere Imperii excludi audiunt, laniènae nos tyrannorum exponi cupiant, praetextu eius dissensionis, cuius nomine nos accusant. At vero Domini est terra et plenitudo eius, nosque hic nobis in conspectu D. Dei nostri bene conscii, illius benignitati ac potentiae nostra omnia permittimus, certi, ne pilum quidem e capite nostro posse defluere sine optima alioqui et omnipotenti etiam ipsius voluntate [3]).

Sed ad rem. Quoniam dissensionis ab August. Confessione accusamur, nos ad ipsammet Confessionem provocamus, et productis illius integris, non autem detruncatis, testimoniis, nostram innocentiam approbamus. Ut autem facilius perspici ab omnibus possit, num Augustanae Confessioni, qua parte accusamur, vel assentiamur, vel [4]) repugnemus, in pauca quaedam capita eius doctrinae summam redigemus, quae citatis iam locis conti-(19)netur. Haec igitur nobis illic contineri in primis videntur:

I. Quod in coena Domini cum pane et vino exhibeantur corpus et sanguis Christi Domini, idque vere, convivis ipsius.

---

[1]) Cod. Francof.: *ipsi tanti illam.*
[2]) Ib.: *libitum.*
[3]) Cod. Francof. hic non incidit.
[4]) Cod Francof. legit *aut* pro *vel.*

II. Quod, quemadmodum reliqua sacramenta omnia, ita et coena D. sit instituta, non modo ut sit signum professionis nostrae invicem, sed multo magis, ut sit signum et testimonium voluntatis divinae erga nos in Christo.

III. Quod coena D., quemadmodum alia quoque sacramenta, ideo sit instituta, ut excitet et confirmet fidem in his, qui illa utuntur. Itaque in usu coenae debere accedere fidem omnino.

IV. Fide, ut in aliis sacramentis, ita et in coena D. accipi gratiam, quae illic significatur, et spiritum sanctum.

V. Quod doctrina eorum pro Pharisaica sit habenda, qui fidem in usu sacramentorum non requiri do-(20)cent. Id quod in Papistis damnatur.

Haec nobis, inquam, doctrinae capita praedictis locis contineri videntur, quae sane tantum abest ut improbaverimus unquam, ut semper illa in omnibus scriptis nostris apertissime professi simus atque etiamnum profiteamur. Etsi autem id scripta nostra luculentissime testentur, tamen et nunc denuo nobis hic repetendum hoc esse putavimus. Sed quoniam primum doctrinae caput varie exponi potest, ultimo loco de illo agemus, atque a secundo capite dicendi hic initium faciemus.

Ad secundum [1]). Agnoscimus igitur et semper agnovimus, omnia sacramenta et veteris et nostrae Ecclesiae, ac proinde coenam quoque D., instituta fuisse Deo ipso autore, non modo ut essent sintque etiamnum notae professionis nostrae invicem in Ecclesia, sed multo magis, ut sint signa et te-(21)stimonia bonae Dei erga nos voluntatis in Christo. Imo vero hoc addimus: esse etiam obsignacula nostrae iustitiae, quae fide apprehenditur, efficacia alioqui ad salutem nostram per spiritum sanctum in legitimo usu sacramentorum.

Ad tertium [2]). Agnoscimus item et semper agnovimus, omnia utrinsque Ecclesiae sacramenta hoc [3]) fine instituta esse, ut fidei nostrae infirmitati legitimo illorum usu succurratur. Nempe ut erigant seu excitent languescentem in nobis fidem nostram, eamque autore spiritu sancto confirment, dum illis utimur; ac proinde in coenae quoque usu requiri necessario fidem, ut fini suo respondeat.

Ad quartum [4]). Deinde agnoscimus etiam semperque agnovimus, fide apprehendi oportere in Ecclesia mysteria omnia divinae erga nos voluntatis ac gratiae in Christo, quae et verbi sui testimonio nobis revelantur, (22) et signis sacramentorum adumbrantur, oculisque nostrae fidei ostenduntur atque exhibentur, quemadmodum Confessio

---

[1]) Verba: *Ad secundum* in Cod. Frcft. desunt.

[2]) Deest in Cod. Francof.

[3]) Cod. Francof. legit: *hac fine*.

[4]) Deest in Cod. Francof.

ipsa loquitur. Ac proinde cum ipsa corporis et sanguinis Christi participatio in coena sit opus bonae ergã nos voluntatis ac gratiae Dei in Christo, fide illam inprimis apprehendi oportere, non autem ore carnali sine fide, quemadmodum nostri adversarii clamant, qui tamen assertores Confessionis August. videri volunt.

Ad quintum. [1]) Praeterea agnoscimus atque agnovimus semper, doctrinam eorum omnium esse doctrinae Pharisaicae similem, qui, ut fidei proprietatem obscurent atque obruant, in usu illam coenae Domini non requirunt ad corporis et sanguinis Christi participationem, sed operi operato illam ascribunt sine bono motu utentium, hoc est, sine fide. Ac proinde una cum August. Confessione (23) eorum doctrinam semper improbavimus, qui ab impiis perinde atque a piis corpus Christi Domini edi in coena sua et sanguinem eius bibi docent. Quatenus enim corpus Christi Domini ab impiis in coena sine fide editur, ex opere illud operato procul dubio ab illis edi oportebit, quicquid hic omnino doctrinae suae praetexant, quam sane doctrinam hic ab Augustana Confessione diserte damnari videmus.

Ad primum. [2]) Postremo agnoscimus et agnovimus semper iuxta hanc capitum istorum doctrinam, quod in coena Domini una cum pane et vino, hoc est, dum pani et vino coenae participamus, vere exhibeantur corpus et sanguis Christi, fide percipienda in alimoniam nostram ad vitam aeternam.

Haec ita semper agnovimus atque etiamnum agnoscimus de corporis et sanguinis Christi in coena sua praesentia [3]) exhibitione et participa-(24)tione. In quibus ostendi nobis cupimus repugnantiam ullam cum August. Confessione, aut quidnam a nobis hic sit praetermissum, quod in ipsa alioqui August. Confessione in eo ipso argumento habeatur. Caeterum, si neque praetermissum quicquam a nobis esse ex August. Confessione (quod quidem ad causam hanc faciat), neque item pugnans cum illa quicquam in nostra doctrina ostendi hic potest; denique si nos in adversariorum nostrorum doctrina, qui nos ab ipsa August. Confessione dissentire clamant illiusque se propugnatores esse somniant, pugnantia cum ipsa Confessione commonstramus, — facile pii omnes iudicare possunt, quo merito nostro dissensionis nescio cuius ab August. Confessione in causa hac sacramentaria accusemur, cum ipsimet alioqui accusatores nostri in ea ipsa culpa haereant, cuius nos insimulare conantur. (25)

Possent autem commemorari multa alia in doctrina accusatorum nostrorum, quae neque cum August. Confessionis, neque cum Catholi-

---

[1]) Deest in Cod. Francof. [2]) Deest in Cod. Francof.

[3]) Vocabulum *praesentia* in Cod. Francof. desideratur.

cae adeo Ecclesiae doctrina, ac ne cum Scripturae quidem unanimi consensu subsistere omnino posse videntur. Sed nos hic nostri duntaxat purgationem, non autem aliorum accusationem instituimus, nisi sicubi eos ipsos accusatores nostros ea ipsa culpa teneri videamus in proposita iam controversia, cuius ab illis praeter meritum nostrum accusamur, hoc est, dissensionis ab August. Confessione, quam interim nos tanti non facimus, neque in Christi Ecclesia tanti fieri debere aut etiam posse arbitramur, ut cum dissensione a Catholicae Ecclesiae, in primis vero a Scripturae sacrae, consensu aequari debeat, ac proinde scindat etiam fraternitatem Christianam [1]) atque Ecclesiasticam societatem. Atque utinam is honos [2]) haberetur a no-(26) bis omnibus, quicunque Christum profitemur, Propheticae et Apostolicae confessioni, quam solam alioqui Christus ipsemet Dominus unicum Ecclesiae suae fundamentum et stabilimentum esse voluit, ut, omissis aliis omnibus titulis, hanc solam Papisticae tyrannidi opponeremus, hac sola omnem Christianam societatem nostram invicem metiremur ac circumscriberemus, et hanc solam omnibus nostris foederibus praefigeremus. Nimirum longe augustiora essent foedera nostra omnia et solidiore haud dubie [3]) nexu constarent. Si quid hic datum est temporum iniquitati, praestaret sane id, dum licet, corrigi, quam per necessitatem quandam semel inductum perpetuo defendi. Semper enim voces illae in Christi Ecclesia sunt vitandae, „Ego sum Pauli", „Ego Cephae", etiamsi et a Paulo et a Cepha verissima doceri constet, ac proinde corrigendae etiam, quocun-(27)que tandem modo, quacunque item occasione sive necessitate invaluerunt. Sed haec extra causam nunc. Ad institutum igitur nostrum redeamus.

Iam vero ostendimus, de quibus nobis sit controversia cum nostris adversariis, qui nos a Confessione August. dissentire clamant. Recitavimus Confessionis ipsius verba, quae de nostra quidem controversia loquuntur. Redegimus in certa quaedam capita summam ipsam doctrinae, quae productis ex ipsa Confessione locis traditur, et putamus nihil a nobis praetermissum esse, quod illic continetur. Subiunximus mox illis ipsis capitibus nostrae quoque doctrinae confessionem, ut facta collatione conspici ab omnibus possit, nos non modo non dissentire, qua parte accusamur, ab Augustana confessione, sed illam ipsam Confessionem etiam in nostra doctrina a nostris accusatoribus oppugnari. Diximus postremo, si a nostris (28) accusatoribus convinci debeamus, alterum illis horum faciendum esse, nempe ut aut nobis in confessione ipsa commonstrent, quod a nobis in illa (quod

[1]) Verbis transpositis Cod. Francof. habet: *Christianam fraternitatem.*
[2]) Cod. Francof.: *honor.* [3]) Cod. Francof. pro *hauddubie* legit *multo.*

quidem ad causam nostram attinet) praetermissum esse putant [1], aut in facta hic doctrinae [2] nostrae confessione ostendant, aliquid pugnans, praesertim cum praedictis capitibus, collectis ex ipsa August. Confessione. Alioqui frustra nos accusari ab illis, de iis quae commonstrari non possint.

Porro nostri accusatores nihil horum faciunt, ac ne colloqui quidem nobiscum volunt, sed perstant interim in nostri accusatione. Quominus vero nobiscum colloquantur, leges quasdam sui nescio cuius foederis obstare dicunt. Iam de foederibus nihil hic attinet dicere. Sed si ullae sunt eiusmodi leges, quibus vetentur pastores ac doctores Ecclesiarum rationem doctrinae ac fidei suae reddere his, qui (29) illam in mansuetudine et modestia Christiana postularent, tantine fieri hae leges debebunt a verbi divini ministris, ut eas legi Apostolicae anteponant, qua iubentur, omni poscenti fidei ac spei suae reddere rationem, iubentur esse parati atque expediti ad docendum, et iubentur instaurare eos, quos aliquo errore teneri vident? Tametsi verisimile non est, istiusmodi leges in ullis omnino Christianis foederibus contineri, nisi si ipsimet nostri accusatores simul quoque et nomothetae foederum esse volunt, et eo ad extremum rem deducere, ut non tam Christo ipsi foedera, quam Christus potius foederibus servire cogatur. [3])

Quanquam autem omnia detrectent colloquia, spargunt tamen multa, in quibus nescio quas victorias suas somniant, quae nobis etiam attingenda paucis erunt simulque etiam refutanda. Atque hic quidem locus (30) esset dicendi aliquid de instituto nuper per Principem Wirtenbergensem inter me et D. Ioan. Brentium colloquio, quandoquidem scriptum de illo quoddam autoris mihi incogniti per multorum manus sparsum vidimus, in quo multa alioqui habentur, quae neque ego dixi, neque audivi unquam; et multa item non habentur, quae me ego et dixisse et etiam audivisse certo scio, atque ipsummet D. Brentium agniturum esse confido. Sed ego nihil mihi agendum hic, nisi admonito D. Brentio, esse putavi, ne quam fidem ipse in incognito illo scripti eius autore desidero, eandem in me rursum alii requirere possint, et videri forte queam egisse aliquid praeter amici officium. Etsi enim mihi cum illo in doctrina Sacramentaria non usque adeo conveniat, mutuae tamen amicitiae officia per me violari nolim. Quare omisso nunc nostro cum illo colloquio, quae ab aliis adversus consensio-(31)nem nostram cum Augustana Confessione dicuntur, recensebimus et per Dei gratiam refellemus.

---

[1]) Cod. Francof.: *patent*. [2]) Ib.: *facta jam doctrinae hic*.

[3]) In Cod. Francof. nova linea incipit a sequentibus: *Atque hic quidem*.

Primum igitur accusamur, quod verba 10 Art. in Confessione [1]) nostra interpretatione depravemus. Confessionis enim eam esse mentem, ut, dum corpus et sanguinem Christi Domini cum pane et vino in coena sua vere exhiberi dicit, simul quoque illa in pane ipso ac poculo seu sub pane ac poculo esse, intelligi velit; — nos vero praepositionem illam *Cum* [2]) ita exponamus, ut nullam corporis aut sanguinis Christi cum pane ipso ac vino coenae realem connexionem, multo minus autem illorum inclusionem, imaginemur, sed ut in sacra Christi Domini institutione ipsam corporis et sanguinis Christi participationem cum suo symbolo complectamur, atque ita mysterium a suo signo in coenae Dominicae administratione separemus. (32)

Ad hoc ergo respondemus. Agnoscimus, nos praepositionem illam in verbis decimi Articuli ad tempus ipsum mysticae actionis potius in coena, quam ad panis aut poculi substantiam ipsam locumve in illa ullum referre; sed nihil nos hic a mente Confessionis alienum facere, nihilominus affirmamus. Eam enim Confessionis mentem esse in tota Confessione nusquam videmus, ut pro eodem accipi velit, sive cum pane ac poculo exhiberi, sive in aut sub ipso pane ac poculo in coena corpus et sanguinem Christi delitescere dicat; sed potius videmus, ab adversariis nostris eam ipsorum interpretationem verbis illis decimi Articuli adhiberi, quae cum doctrina Articuli decimi tertii [3]) ejusdem ipsius Confessionis consistere non possit. Commonstrent igitur accusatores nostri, quocunque tandem loco Confessionis ipsius, fontes aliquos suae istius interpretationis, si illam ap-(33)probare volunt, aut, si id non possunt, desinant nos eorum accusare, quae comprobare nequeunt. [4]) Nos porro ostendemus ex doctrina decimi tertii Articuli, hanc accusatorum nostrorum interpretationem cum mente Confessionis ipsius consistere haudquaquam posse. Cum enim illic doceatur, fidem in usu Sacramentorum requiri omnino, damneturque eorum doctrina diserte, qui illam non requirunt, et doceatur praeterea fide ipsa percipi gratiam, quae sacramentis significatur ostenditur et exhibetur; fides autem nostra nihil hic in terris intueatur, sed, ad suae conversationis locum autore spiritu sancto subvecta, illic salutarem illum corporis et sanguinis Christi cibum ac potum quaerat intueatur et apprehendat in vitae aeternae alimoniam sub ipso coenae

[1]) Cod. Francof.: *in ipsa Conf.*

[2]) Cod. Francof. sequentia ita legit: *non tam ad panem ipsum ac poculum in coena, sed ad mysticam potius a Christo Domino institutam panis ac poculi participationem, referamus.* Desunt *ita* . . . *separemus.*

[3]) Cod. Francof. ubique pro *decimi tertii* habet *tertii decimi*, quod semel annotavisse sufficiat.

[4]) Ib.: *non queunt.*

usu, — perspicuum est, iuxta ipsam August. Confessionis doctrinam, corporis et sanguinis Christi pabulum in (34) coenae usu ibi nobis exhiberi, ubi Christum ipsum animis nostris per fidem spiritu sancto autore subvectis quaerimus intuemur et apprehendimus. Non autem haerendum esse in terrenis coenae elementis, pane scilicet et vino, ubi mens nostra sursum evecta, nihil, quod ad coeleste alioqui pabulum pertineat, quaerit intuetur aut apprehendit. [1])

Fallantur ergo accusatores nostri, dum eam esse dicunt mentem August. Confessionis, ut perinde sit, sive cum pane ac poculo, sive in ipso pane ac poculo, corpus nobis et sanguinem Christi vere exhiberi dicat. Sed doctrina ipsa decimi tertii Articuli eiusdem ipsius Confessionis manifeste testatur, nostram interpretationem verbis decimi Articuli recte adhiberi. Nempe, ut non in terrenis ipsis coenae elementis (pane inquam et vino, quae fides non intuetur), sed in mystica potius a Christo instituta (35) actione, subvectis sursum animis nostris, Christum ipsum eiusque corporis et sanguinis pabulum ad vitam aeternam quaeramus intueamur et apprehendamus, ut in ipso conquiescamus per fidem.

Excipiunt hic accusatores nostri et dicunt, August. Confessionis mentem, non tam e verbis ipsis Confessionis, quam potius ex autorum illius doctrina petendam esse, quos in ea sententia omnes fuisse affirmant, cum ederetur [2]) Confessio ipsa, ut omnes unanimiter affirmarent, ipsam corporis et sanguinis Christi naturalis substantiam esse revera διὰ εἴδους et ministri ipsius manibus realiter ac substantialiter porrigi in pane ipso et vino omnibus coenae convivis, sive sint fideles, sive infideles.

Et hic igitur dicimus: Nos non accusari, quod ab autoribus ipsis August. Confessionis, sed quod a doctrina potius, quae in August. Con-(36)fessione habetur, dissentiamus, quam nos iam a nobis stare ostendimus adeoque et in nostra doctrina illam a nostris accusatoribus oppugnari. Quare si accusamur dissensionis ab ipsis autoribus Confessionis duntaxat, alius iam erit controversiae status. Aliud enim est Confessio ipsa, aliud vero autores ipsius, siquidem illi aliud senserunt, aliud vero literis in ipsa Confessione mandarunt.

Nos porro neque [3]) quot numero fuerint autores Confessionis August. scimus, nisi quod eam, una cum illius Apologia, autore D. Philippo Melanthone editam esse putamus. Et meliora profecto nobis [4]) de tanto viro pollicemur atque etiam persuademus, quam ut in tali po-

[1]) Cod. Francof.: *Non autem ibi (nempe in ipso panis aut poculi alimento), ubi mens nostra, alio jam alioqui subvecta per fidem, nihil neque quaerit, intuetur aut apprehendit.* [2]) Ib.: *aederetur.* [3]) Ib.: *neque quinam neque quo numero.*
[4]) Id. legit: *nobis profecto.*

tissimum scripto aliud scripserit, aliud vero senserit, cum verba ipsa Confessionis perspicua esse constet, et vir ille hoc in primis dono aliis antecellat, quod omnia clare perspicue ac simpliciter tractet. Quodsi reli-(37)qui autores Confessionis diversum aliquid senserunt ab ea doctrina, quae in ipsa Confessione edita habetur, atque eius rei tanto iam tempore nullam omnino publice [1]) significationem dederunt, — equidem eorum silentium nobis fraudi esse non debet, ut, si ab illis dissentiamus, [2]) eadem simul opera ab ipsa quoque August. Confessione dissentire censeamur. Esto autem, dederint qualemcunque significationem reliqui autores, sive privatam, sive publicam, se aliquid in Confessione ipsa desiderare. Posteaquam Confessio ipsa, ab ipso alioqui autore recognita, omnium Imperii Ordinum autoritate, ut iam edita habetur, approbata, ac pub. etiam foedere sancita est, — non equidem illam ex reliquorum autorum sententia ac interpretatione (cuius alioqui fontes in ipsa Confessione nusquam extent), sed autorum potius illorum omnium sententiam atque interpretationem ex Confessione ipsa eiusque doctrina (38) metiri atque aestimare oportebit. Quid! si ne inter autores quidem ipsos Confessionis per omnia satis conveniat, aut aliqui illorum suam etiam deinceps, ut non raro fit, sententiam forte mutarint, [3]) pendebitne adhuc doctrina ipsa Confessionis ex ipsorum interpretatione? ac non potius doctrinam illorum omnem ad comprobatam Imperii autoritate Confessionis doctrinam referri oportebit? Ac nos quidem hic nihil nobis pronunciandum sumimus, qui de autorum numero nihil compertum habemus. Sed, si tot autores Confessionis illius fuerunt, quot fuisse audimus, scripta ipsorum testantur, eos inter sese non prorsus consentire; quae facile, si res id postulet, produci possunt. Non efficient igitur accusatores nostri, ut ab August. Confessione dissentiamus, etiamsi nos a quibusdam illius autoribus dissentire fateamur, nisi si nobis doctrinae ipsorum fontes in ipsa (39) Confessione commonstrent, quod equidem a nemine hactenus potuimus impetrare.

Sed pergunt adhuc accusatores nostri et dicunt, in scribenda Confessione ipsa quaesitum modis omnibus fuisse compendium, ne liber nimium excresceret, ac proinde quaedam illic paucis obscuris ac dubiis verbis conscripta esse, quae varie exponi possint. Caeterum adiunctam esse Confessioni Apologiam eodem ipso autore. In hac igitur mentem ipsam atque explicationem Confessionis quaerendam esse, et, qui ab Apologia dissentirent, iudicandos esse ab ipsa etiam Confessione dissentire.

[1]) Cod. Francof.: *publicam.* [2]) Ib.: *dissentimus.*
[3]) Ib.: *mutarunt.*

Ad haec igitur etiam respondemus: Non eodem loco habendam esse Apologiam cum ipsa August. Confessione, etiamsi ab uno eodemque autore sit utraque conscripta. Cum enim August. Confessio hactenus sit recepta ab omnibus Imperii Ordinibus, ut (40) publ. Imperii foederi includatur; de Apologia vero nihil huiusmodi doceri possit, quam alioqui oblatam esse, sed non receptam (pari praesertim autoritate), constat equidem, quod [1]) non tam Confessionem ipsam ab Apologia, quam potius Apologiam ab ipsa Confessione pendere atque aestimari necesse erit, ut, qua parte nos cum Augustana Confessione sentire ostendimus, ea sane parte nobis Apologia opponi non possit, nisi si ipsam Confessionis doctrinam in nostra quis doctrina oppugnari [2]) velit.

Sed, etsi Apologiam non eodem loco cum Augustana Confessione ipsa habendam esse iudicemus, non ideo tamen doctrinam Apologiae suspicione aut invidia ulla gravari volumus, sed hoc tantum agimus, ut non esse parem ostendamus Apologiae autoritatem cum ipsa August. Confessione. Alioqui, quod ad doctrinam attinet, nos nullum discrimen facimus (41) inter Apologiam, si recte intelligatur, et ipsam August. Confessionem, cuius alioqui propugnandae, non autem violandae, causa Apologiam institutam esse non dubitamus. Quare, cum nos iam ostenderimus, nostram doctrinam, qua parte accusati sumus, eandem omnino esse cum doctrina August. Confessionis, — praepostere faciunt adversarii nostri, dum doctrinae nostrae, quam eandem esse ostendimus cum August. Confessione, Apologiam ipsius opponere conantur. Alioqui, etiamsi quid esset dissensionis in doctrina nostra et Apologia, id sane non Apologiae, sed Confessionis ipsius, autoritate dirimi oporteret.

Praeclari sunt autem Confessionis August. propugnatores accusatores nostri, dum illam paucis obscuris et dubiis verbis constare dicunt. Et quidem, an eam laudem mereatur autor ipse Confessionis, qui alioqui in (42) facilitate ac perspicuitate orationis alios omnes superare videtur, an item obscurum dubiumve scriptum illud esse existimandum sit, quod tot tantique principes fortunarum capitumque suorum periculo Papisticae tyrannidi opponere non dubitarunt, id nos aliis iudicandum relinquimus.

Sed ut appareat, ne Apologiam quidem ipsam doctrinae nostrae in causa hac nostra repugnare, primum recitabimus locum ipsum Apologiae, quem accusatores quidam nostri adversum nos magnis clamoribus torquent. Deinde illius doctrinam etiam in quaedam capita partiemur.

---

[1]) Cod. Francof.: *constat equidem, non tam* cet., omisso in fine *necesse erit.*
[2]) Ib.: *oppugnare.*

Atque ita demum etiam singulis capitibus addemus doctrinae nostrae Confessionem; praesertim vero, qua parte in Apologia aliquid dicitur, quod in ipsa Confessione expressum non habetur. Locus porro is in Apologia extat in capite de Ecclesia, in decimi Articuli Confessionis [1]) explicatione, in quo haec leguntur: (43)

„Decimus Articulus approbatus est, in quo confitemur, nos sentire: Quod in coena Domini vere et substantialiter adsint corpus et sanguis Christi, et vere exhibeantur cum illis rebus, quae videntur, pane et vino, his qui sacramentum accipiunt. Hanc sententiam constanter defenderunt nostri concionatores. Et comperimus, non tantum Rom. Ecclesiam affirmare corporalem praesentiam Christi, sed idem et nunc sentire, et olim sensisse Graecam Eccles., ut testatur Canon Missae apud Graecos et extant quorundam scriptorum testimonia. Nam Cyrillus in Ioan. cap. 15 inquit, Christum corporaliter nobis exhiberi in coena; sic enim ait: Non tamen negamus, recta nos fide charitateque sincera Christo spiritualiter coniungi, sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idque a divinis scripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitavit, Christum etiam sic vitem esse, nos vero palmites, qui vitam nobis inde acquirimus? Audi Paulum dicentem: Quia omnes unum corpus sumus in Christo, quia, etsi (44) multi sumus, unum tamen in eo sumus, omnes enim uno pane participamus. An fortasse putat, ignotam nobis mysticae benedictionis virtutem esse, quae, cum in nobis fit, nonne corporaliter quoque facit, communicatione carnis Christi, Christum in nobis inhabitare? Et paulo post: Unde considerandum est, non habitudine solum, quae per charitatem intelligitur, Christum in uobis esse; verum etiam naturali participatione, etc. Haec recitavimus, non ut hic disputationem de hac re institueremus (non enim improbat hunc Art. Caes. Maiestas), sed ut clarius etiam perspicerent, quicunque ista legent, nos defendere receptam in tota Ecclesia sententiam: Quod in coena Domini vere et substantialiter adsint corpus et sanguis Christi, et vere exhibeantur cum his rebus,

[1]) Cod. Francof.: *in decimi Confessionis articulo.*

»quae videntur, pane et vino. Et loquuntur de praesen»tia vivi Christi: Scimus enim, quod mors ei ultra non »dominabitur."

Hactenus Apologia, nec putamus amplius illic haberi quicquam, quod recitato iam loco hoc non continea-(45)tur, quod in nostra et accusatorum nostrorum controversia nobis obiici possit. Hic vero triumphum sibi nescio quem decernunt accusatores nostri, dum hic doceri affirmant, doctrinam ipsorum esse doctrinam totius Ecclesiae, tum Romanae, tum Graecae, et quidem testimonio Canonis missae apud Graecos et ipsius Cyrilli. Caeterum hic unus locus eorum gloriationem eis praeripit omnino, dum Apologia ipsa eandem se doctrinam de corporis et sanguinis Christi in coena sua praesentia et exhibitione tradere fatetur, quae in tota Ecclesia est recepta et a Cyrillo etiam docetur. Cum enim neque Cyrillus, neque ullus veterum omnino statuat controversam illam nostrorum accusatorum delitescentiam ubiquitatem ac oris carnalis manducationem sine fide, tam procul sane abest doctrina Apologiae a controversis hisce accusatorum nostrorum dogmatibus, quam procul ea ab-(46)sunt a mente [1]) Cyrilli et catholicae Ecclesiae Christi. Sed praestat totius loci huius doctrinam in certa partiri capita, ut res omnibus magis perspicua fiat. Haec igitur nobis praecipua hic contineri videntur:

I. Praeterquam quod in Confessione ipsa dictum est, corpus Christi et sanguinem vere adesse et exhiberi in coena Domini cum pane et vino convivis coenae, hic etiam additur: Substantialiter.

II. Quod in Confessione dictum est: Vescentibus in coena Domini, hic dicitur: His qui sacramentum accipiunt.

III. Corporalem Christi in coena sua praesentiam agnosci a Romana et Graeca Ecclesia, testimonio Graeci Canonis et Cyrilli, cuius verba recitantur.

IV. Quod vivi Christi et corporis et sanguinis sui praesentia atque exhibitio in coena D. statuatur. Mors enim non amplius illi dominatur.

Haec fere sunt praecipua loci recita-(47)ti capita. Nam in fine id tantum repetitur, quod in primo iam capite continetur, nempe de vera ac substantiali in coena corporis et sanguinis Christi praesentia atque exhibitione. Iam ergo singulis hisce capitibus nostrae quoque doctrinae hac in parte sententiam adiungemus, ad hunc modum:

Ad primum. [2]) Agnoscimus et agnovimus semper, Christum D. vere ac substantialiter corpore etiam suo coenae suae adesse, modo

---

[1]) Cod. Francof.: *a mente et Cyrilli et Catholicae.*

[2]) Id. omisit: *ad primum, ad secundum* cet.

ne usus coenae terrae duntaxat, eiusve elementis alligetur, — exhiberique nobis vere fide percipiendum veri etiam corporis et sanguinis ipsius pabulum, cum pane et vino, in alimoniam spiritualem, ad vitam aeternam. Dicimus autem non esse terrae eiusve elementis alligandum coenae usum, quod ad eius mysteria potiss. attinet; iuxta Catholicae Ecclesiae doctrinam, quae nos in coenae usu corda nostra, non equidem in terram einsve elementa defigere, ut illic ali-(48)quid quaerant, sed sursum in coelum usque spiritu sancto autore tollere [1]) iubet. Qua de re infinita extant veterum testimonia, adeoque et ipsius eius Canonis, [2]) qui hic in Apologia citatur, et cuius doctrinam Apologia ipsa pro sua agnoscit. Nihil igitur et hoc loco facit Apologia ad approbandam controversam nobis illam cum nostris accusatoribus delitescentiam in terrenis elementis, deinde etiam ubiqueitatem ac oris carnalis sine fide manducationem corporis et sanguinis Christi naturalis.

Ad secundum. Agnoscimus item et semper agnovimus, eos duntaxat esse coenae Dominicae convivas, et vesci in coena Domini, qui sacramentum accipiunt. Sacramenti autem voce designari intelligimus, tam signum externum ac visibile, quam etiam invisibile mysterium sacramenti, ad quem modum Irenaeus Eucharistiam duabus rebus, terrena et coelesti, constare (49) docet. Hic vero dicimus, doctrinam nostrorum accusatorum cum hac Apologiae doctrina non posse consistere ullo modo. Quatenus enim in coenae usu his duntaxat verum corpus et sanguis Christi exhibentur cum pane et vino, qui sacramentum accipiunt, quod re et terrena pariter et coelesti constat, et quod coeleste est, non nisi spiritu sancto autore per fidem percipi potest, — perspicuum est, non magis ab impiis ac infidelibus mysteriorum contemptoribus sacramentum ipsum percipi, quam percipiatur fides ipsa et spiritus sanctus; nedum ut ore carnali id, quod est coeleste, sine fide, ac proinde corpus ipsum Christi percipi possit, nisi si accusatores nostri corpus et sanguinem Christi rem adhuc coelestem esse negant.

Ad tertium. Corporalem etiam Christi in coena sua praesentiam nunquam negavimus, siquidem coenae usus terrae duntaxat eiusque ele-(50)mentis non alligetur, quemadmodum supra diximus. Sed ab hac loquendi formula libenter abstinuimus, ne controversam illam in terrenis elementis corporis et sanguinis Christi delitescentiam agnoscere ullo modo videri possemus, a qua modis plane omnibus abhorremus, et cuius nullos alioqui fontes neque in Confessione ipsa Augustana, neque in eius Apologia (ne quid hic de scripturarum

[1]) Cod. Francof.: *attollere jubet.* [2]) Ib.: *ipsius Graeci Canonis.*

Catholicaeve Ecclesiae consensu atque autoritate dicam) extare usquam omnino videmus. Et quoniam hoc loco in Apologia Canon Graecus et Cyrillus producuntur veluti testes eius doctrinae, quae hoc loco in Apologia traditur, excutiemus postea et Canonis producti et Cyrilli doctrinam hac in parte, ubi de quarto doctrinae capite, ex hoc Apologiae loco collectae, nostram quoque sententiam subiunxerimus, quod iam alioqui faciemus. (51)

Ad quartum. Agnoscimus igitur semperque agnovimus, non equidem aliud ullum, quam vivum illud, semperque deinceps in caelesti gloria adorandum, vivi etiam Christi D. corpus in coena sua vere exhiberi, fide percipiendum (ut iam pluries dictum est) non sane in terris terrenisve elementis, sed in loco nostrae per fidem conversationis, quem nobis a Paulo apostolo multis locis descriptum habemus. Atque ideo doctrinam accusatorum nostrorum iuxta hanc huius loci in Apologia doctrinam improbavimus semper atque etiamnum improbamus, quam illi de oris carnalis, sine fide, corporis Christi manducatione propugnandam sibi sumpserunt. Quatenus enim mors non amplius Christo Domino in eius corpore dominatur, sed, quod vivit, iam Deo in aeternum, sine ulla interruptione vivit, quemadmodum Apologia ex Paulo (52) docet, atque in ea iam coelesti vita nunquam a spiritu suo gloriaque coelesti sua destitui amplius potest, — hactenus certe vivens iam ad hunc modum Deo, Christus Dominus non amplius etiam in suo, vivo etiam procul dubio, corpore ab impiis sine spiritu ac gloria coelesti ipsius percipi omnino potest. Nam spiritum Christi Domini ac coelestem praeterea gloriam, in qua est assumptus, a corpore ipsius divellere, aliud nihil est, quam morti rursus Christum ipsum subiicere velle. Quod equidem accusatores nostri faciunt, quatenus Christi Domini corpus ab impiis omni gloria coelesti spirituque suo vivifico destitutum sine fide edi docent. Videant igitur accusatores nostri, quam illis pulchre conveniat cum August. Confessione et eius Apologia, cuius se propugnatores esse iactant; ne quid hic gravius dicamus. (53)

Veniamus iam ad citatum Graecum Canonem et Cyrilli testimonium. Quodque ad Canonem attinet, Nicenae Synodi Canonem designari putamus, in quo quidem nihil habetur, quod accusatores nostri ad causae suae patrocinium possint rapere, praeterquam quod in divina mensa coenae Dominicae, considerari vult Canon ille, situm esse agnum illum Dei, qui tollit peccatum mundi. Vultque, ut, vere sumentes preciosum corpus et sanguinem ipsius, credamus, haec ipsa esse symbola nostrae resurrectionis. Et addit, non multum nos illic sumere sed parum, nimirum non ad satietatem sed ad sanctificationem. Haec fere habet Canon ille. At vero si quis et titulum et

verba ipsa Canonis illius diligentius paulo observet, facile deprehendet, non solum nihil invari accusatores nostros eius Canonis autoritate, sed nostram etiam doctrinam per illam commendari. Et titulum igi-(54)tur et verba citati Canonis audiamus:

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΘΕΙΑΣ ΤΡΑΠΕΖΗΣ

καὶ τοῦ ἐπ' αὐτῆς μυστηρίου τιμίου σώματος καὶ αἵματος χριστοῦ.

Ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης πάλιν κἀνταῦθα, μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχωμεν, ἀλλ' ὑψώσαντες τὴν διάνοιαν πίστει νοήσωμεν, κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον, καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντας, ἡμᾶς πιστεύειν ταῦτα εἶναι τὰ τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα· διὰ τοῦτο γὰρ οὔτε πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ' ὀλίγον, ἵνα γνῶμεν, ὅτι οὐκ εἰς πλησμονὴν, ἀλλ' εἰς ἁγιασμόν.

Haec porro latine reddita, sic habent:

De Divina mensa et in illa mysterio preciosi corporis et sanguinis Christi.

»In divina hic rursum mensa etiam, ne humiliter proposito pani ac poculo adhaereamus, sed (55), sublata in altum mente per fidem, consideremus propositum esse in sancta mensa illa agnum Dei, tollentem peccatum mundi, qui, secus quam aliae victimae, a sacerdotibus sacrificatur. Et nos, preciosum illius corpus et sanguinem vere sumentes, credamus haec esse nostrae resurrectionis symbola. Ideo enim non multum quoque sumimus sed parum, ut agnoscamus, non ad satietatem ea, sed ad sanctificationem pertinere."

Hactenus Canon. In quo id primum est observandum, quidnam vocet mensam, cum illam vocet divinam et sanctam; cum item in titulo illius esse mysterium [1]), dicat, venerandum seu preciosum corpus et sanguinem Christi. Certum est enim, [2]) Canonem hic non

---

[1]) Cod. Francof.: *mysterium esse.*

[2]) In Cod. Francof. verba hujus paragraphi ita fluunt: *Certum est enim, Canonem hic loqui de mensa illa, quae ex lignea lapideave materia constat; haec enim neque divina neque sancta in se est, neque illius mysterium est corpus ipsum aut sanguis Christi, communione ipsius. Sed, quemadmodum sub mensae nomine Paulus Coenae ipsius Dominicae sacramentum totum intelligit, dum societatem pariter et Dominicae et Daemoniorum mensae haberi posse negat, ita et hic in hac canone sub*

loqui de manufacta mensa per se ulla, quacunque materia constet, ut in illa terrenis coenae elementis, pani inquam et vino, corpus ipsum et sanguinem Christi realiter corporaliterque connectat aut includat, sed respicere potius mysterium ipsum ve-(56)re [1] divinum ac sanctum Dominicae institutionis, nempe veram ac salutarem, quae fide sola apprehenditur, corporis et sanguinis Christi communionem. Cuius equidem mysterii solius respectu, mensa quaevis, sacrae illi actioni adhibita, divina et sancta non immerito vocatur; haudquaquam alioqui vocanda, nisi huius solius mysterii respectu. Quid! quod sub mensae quoque Dominicae seu Divinae nomine plenum ac solidum coenae sacramentum ipsum intelligi potest? ad quem sane modum et a patribus orthodoxis pluries, et ab ipso etiam Paulo, mensae Dominicae vox diserte usurpatur, dum et Dominicae simul et daemoniorum mensae communionem sive societatem haberi posse negat. Ut et nos in Canonis istius verbis sub Divinae ac sanctae mensae nomine, patres orthodoxos et Paulum ipsum secuti, plenam ac solidam Christi Domini (57) institutionem, hoc est, et signum pariter et mysterium coenae intelligamus. Ita nimirum verissimum est, in sancta ac divina mensa illa, hoc est, in mystica coenae Dominicae convivio, proponi nostrae fidei intuendum, adeoque et edendum, innocentiss. agnum illum, Christum Dominum, tollentem peccatum mundi, quemadmodum Canon docet.

Deinde id quoque observandum est, quod nos Canon hic proposito in mensa hac, hoc est, in coena Domini, pani et poculo adhaerere nolit, nedum ut quicquam de controversa accusatorum nostrorum delitescentia aut ubiqueitate seu oris carnalis sine fide manducatione cogitet, sed adhaerere propositis coenae elementis rem vocat humilem atque abiectam, quam Augustinus etiam servilem infirmitatem esse docet. Vult autem hic Canon, ut, sublata in altum ab elementis videlicet mente nostra per fidem, (58) consideremus, proponi nobis in sancta mensa illa, hoc est, in coena ipsa, Agnum illum tollentem peccatum mundi, cuius venerando corpore et sanguine per fidem, per quam mens nostra in altum subvecta est, pascamur vere ad nostri sanctificationem, non autem ad corporis nostri famem explendam. Quid vero, obsecro, clarius dici potuit, ad approbandam nostram doctrinam et refutanda controversa accusatorum nostrorum dogmata? nisi quod illi sub mensae illius sanctae divinaeque no-

---

divinae et sanctae mensae nomine totum procul dubio coenae Dominicae sacramentum designatur, h. e. plena institutio Christi. Quibus verbis statim subiungitur: *Deinde id quoque observandum est.*

[1]) In exemplari editionis Basilaeensis, quo usus sum, desiderantur p. 56—61. Igitur pro reliquorum foliorum ratione suam cuique pagellae portionem tribui.

mine elementa coenae ipsa, panem inquam et vinum, intelligi volunt, quasi vero mensa, aut coenae ipsa Domini, aliud nihil sit, quam panis ipse aut vinum; cum Canon ipsemet mentem nostram ab elementis illis in altum subvehi per fidem et ad sanctam interim ac divinam mensam illam prorsus intentam esse velit. Eant iam igitur accusatores nostri et se (59) Apologiae autoritate tueantur, quae sane, dum se huius Canonis doctrinam sequi diserte testatur, tam procul abest haud dubie ab accusatorum nostrorum dogmatibus controversis, quam procul doctrinam huius Canonis ab illis abesse constat.

De Cyrilli testimonio frustra etiam sibi hic accusatores nostri multa pollicentur. Agit illic Cyrillus adversus eos, qui nostram cum Christo Domino et illius nobiscum communionem sola spiritus sui ac donorum ipsius participatione, non autem naturali etiam, iuxta naturam humanitatis nostrae, societate constare docent. Et quoniam ex prolata illa de vite et palmitibus similitudine suae doctrinae fulcrum illi petebant, primum ostendit Cyrillus, ea ipsa similitudine vitis et palmitum, doceri nostram cum Christo Domino, et illius nobiscum communionem, non spiritus sui tantum donorumque illius, sed unius atque eiusdem naturae etiam nostrae humanae participatione constare. (60) Deinde coenae quoque Dominicae testimonio id doceri ait.

Atque quod ad vitis et palmitum similitudinem attinet, ipsemet sese paulo post explicat eodem ipso capite. Nempe identitate naturae nostrae, quam a nobis alioqui accepit, id fieri, ut Christus Dominus vitis nostra nosque illius palmites simus, non spirituali tantum, sed etiam naturali coniunctione. Quid vero haec ad causam nostrorum accusatorum, cum ea de re nulla sit controversia? Sed praestat Cyrilli ipsius verba subscribere, quae sic habent:

„Cur igitur secundum carnem palmites nos dici per„negat? An non convenienter dici potest, vitem huma„nitatem eius esse et nos palmites propter identitatem „naturae? Eiusdem enim naturae vitis et palmites sunt. „Ita et spiritualiter et corporaliter nos palmites et „Christus vitis est."

Haec Cyrillus. Ubi vero ostendere vult, coenae nos etiam testimonio (61) doceri, nos Christo Domino et illum nobis vicissim, non spiritus tantum, sed naturae etiam humanae participatione, coniunctum esse, virtutem ipsam mysticae benedictionis urget, quae virtus, dum se in nobis autore spiritu sancto ita exerit, ut illam in cordibus per fidem sentiamus, facit procul dubio, ut Christum in nobis carnis etiam suae societate communione ac participatione corporaliter habitare non dubitemus. Quid vero et hoc ad causam accusatorum nostrorum? praeterquam si ita ratiocinari volunt:

Virtus mysticae benedictionis, dum sese in nobis exerit, facit, ut Christum in nobis et nos in illo carnis etiam suae societate ac communione corporaliter habitare non dubitemus.

Ergo corpus et sanguis Christi reipsa, διὰ εἴδους ac corporaliter in pane et vino coenae Dominicae delitescunt, sunt ubique et etiam ab im-(62)piis sine fide sumuntur. Sic nimirum facile probaverint omnia.

Sed illis sola externa illa benedictio satis est, quae ministri ore profertur, etiamsi in corda nostra non penetret, quam alioqui una cum Papistis, quanquam alio quodam modo, operativam esse fingunt. Nos porro fatemur, externam illam ministri benedictionem huc pertinere ex Christi Domini institutione, ut nobis in coenae usu una cum pane et vino corpus et sanguis Christi in escam spiritualem, fide percipiendam, offeratur. Sed negamus, quemquam dono huic participare, nisi in cuius anima seu corde spiritus sanctus divino afflatu suo benedictionem illam insculpsit.

Frustra igitur accusatores nostri operativam vim, nescio quam, externae soli ministri benedictioni in coenae usu ex Cyrilli autoritate ita tribuunt, ut post eam ore ministri recitatam et corpus ipsum Christi pani, et (63) sanguis item vino protinus realiter ac corporaliter connectantur includanturque atque illic delitescant, et ita demum, pane ac poculo distributo, sive piis sive impiis, Christus etiam in illis corporaliter habitet, propter sumptum videlicet in pane ac vino coenae realiter διὰ εἴδους corpus et sanguinem ipsius. [1]) Nihil enim huius habet Cyrillus, qui non tam equidem de externa per ministrum benedictionis recitatione, quam de interna potius mysticae illius benedictionis virtute in nobis, loquitur, quam spiritus alioqui sanctus cordibus nostris divino afflatu suo insculpsit. Cuius nimirum vi divina fit, ut de iis non dubitemus, quae nobis in usu sacramentorum et voce ministri publice annunciari audimus, [2]) et institutis a Domino signis visibilibus ob oculos

---

[1]) In Cod. Francof. praecedens pericopa inde ab: *Sed illis sola . . . . Nihil enim hujus habet Cyrillus,* in hunc modum exaratur: *Sed illi ad benedictionis opus ipsum externum id totum referunt, cuius virtute id fieri putant, ut et corpus Christi in pane et sanguis in vino protinus delitescant, post recitatam benedictionem, quam illi in verbis alioqui coenae solemnibus, ut vocant, constituunt, et ita demum, pane ac poculo distributo, sive piis, sive impiis, Christus etiam in illis corporaliter habitet propter sumptum videlicet in pane ac vino Coenae realiter διὰ εἴδους corpus et sanguinem ipsius. At vero nihil huius habet Cyrillus.*

[2]) Quae praecedunt usque ad *audimus,* in Cod. Francof. ita fluunt: *neque enim de externo benedictionis opere, sed de interna sacramentalis benedictionis virtute, se loqui indicat, cujus videlicet autor sit Spiritus Sanctus, cum externa benedictionis (per ministrum opus) per se alioqui nihil intra nos in corde nostro operetur, sed interna mysticae benedictionis virtus corda nostra Spiritu Sancto autore percellat, ut de eo non dubitemus, quod externa ministri voce nobis in ipso benedictionis opere annunciari audimus.*

nostros sub mysterio poni atque exhiberi videmus. Quatenus igitur id coenae Dominicae tribuit Cyrillus, quod id in nobis effi-(64)ciat, ut Christus Dominus corporaliter in nobis habitet, — hactenus sane manifestum est, illum non de externa [1]) ministri benedictione, quae ad corda per se nostra, ut dictum est, non pertingit, sed de interna potius [2]) mysticae benedictionis virtute loqui, quae se per spiritum sanctum intra nos in corde nostro exerit, et facit, ut de nostra cum Christo Domino, non tantum spirituali, sed etiam naturali communione, coenae testimonio nihil omnino dubitemus. Ad quem modum [3]) alioqui alii etiam ante Cyrillum patres orthodoxi de coenà Domini loquuntur.

Ergo neque citatus iste in Apologia locus Cyrilli dogmatibus accusatorum nostrorum patrocinatur ullo modo. Sed quemadmodum Cyrillus illis hoc loco nihil omnino suffragatur, aliis vero locis infinitis manifeste repugnat, ad eundem sane modum etiam Apologia ipsa, quatenus se cum (65) Cyrillo sentire hac in parte fatetur, nihil illis suffragari potest.

Habemus itaque, doctrinam nostram de Christi Domini in coena sua praesentia, non modo non esse alienam ab Augustana Confessione eiusque Apologia, quo quidem nomine accusamur, sed ipsosmet nostros accusatores in eo, in quo nos accusant, cum ea ipsa August. Confessione et eius Apologia consistere non posse. Utinam vero finem accusationum ac praeiudiciorum istiusmodi semel aliquando tandem habeamus, et quicquid est dissidiorum in Ecclesia, id totum amicis et Christianis colloquiis in lenitate et modestia Christiana consopiatur ad gloriam D. nominis et Ecclesiae suae pacificationem. Amen, Amen, Amen. [4]). (66)

Subscripsimus:

IOANNES à LASCO, manu propria.
Valerandus Pollanus.
Gu(i)lielmus Houbraque.
Robertus Hornus.
Petrus Dathenus.

FINIS.

---

[1]) Cod. Francof.: *externa tam.* [2]) Ib.: *potius etiam.* [3]) Ib.: *quemadmodum.*
[4]) In Cod. Francof. *Amen* nonnisi semel scribitur.

BASILEAE, APUD IOANNEM
OPORINUM, Anno salutis humanae M. D.
LVI. Mense Decembri. (67)

RESPONSIO
ad uirulentam, calum-
NIISQUE AC MENDACIIS CONsarcinatam hominis furiosi IOACHIMI WESTPHALI Epistolam quandam, qua Purgationem Ecclesiarum Peregrinarum Francoforti conuellere conatur: per IOANNEM à LASCO, eius ipsius Purgationis autorem, sic ut Paragraphi Paragraphis e regione respondeant: quo magis faciliusque appareat, utrinam causam aequiorem habeant in hac controuersia, de AUGUSTANA Confessione.

Accessit rerum, quae praecipue toto libello tractantur, INDEX.

BASILEAE.
per IOANNEM OPORINUM.
MDLX.

RESPONSIO AD

VIRULENTAM, CALUMNIIS-

que ac mendaciis cousarcinatam hominis furiosi IOACHIMI WESTPHALI Epistolam quandam, qua Purgationem Ecclesiarum Peregrinarum Francoforti convellere conatur: per IOANNEM à LASCO, eius ipsius Purgationis autorem, sic ut Paragraphi Paragraphis e regione respondeant, quo magis faciliusque appareat, utrinam causam aequiorem habeant in hac controversia, de AUGUSTANA Confessione.

ETSI invitus facio, facere tamen cogor, ut ad effrenatas furiosi hominis debacchationes respondeam. Video enim fieri non posse, ut illis sine dente rursus respondeam, haud aliter quam rabidi canis morsus sine plagis abigi repellique non possunt. Itaque velim nolim rabidi canis istius morsus quamlibet invitus repellere cogor, posteaquam me nihil minus expectantem ita malitiose impetiit. Ego sane in scribenda Peregrinarum Francoforti Ecclesiarum Purgatione de Westphalo nihil cogitabam, sed illorum calumniis respondebam, qui rejectis omnibus colloquiis Ecclesias illas, in quibus tum et ego versabar, et in templis et in foro et in conviviis iniquissime traducebant. Et feci (fol. 4) id quidem volente, ne dicam postulante, inclitae urbis illius Magistratu, ut nostrae innocentiae, qua parte accusabamur, publicum testimonium extaret. Hic vero illi quidem nihil responderunt, quos nostra petebat Purgatio. Sed Westphalus rabidi canis instar in nos prosiliit, cum procul ab ipso jam essemus, vel quia male sibi conscius in se, ut fit, dici putavit omnia, vel quod se alterum nescio quem Ajacem esse putat, qui scuto suo Syncretistas suos tegere a telis omnium possit. Eius morsus igitur nobis repel-

lendi erant, praesertim cum illis non ego solum, sed ipsae etiam Peregrinorum Ecclesiae Francoforti, denique et alii pii ac docti viri impeterentur, ne nostrum silentium et mihi et illis etiam, qui eandem meeum causam sustinent, fraudi quoquomodo esse posset. Quia vero Westphalus hoc inprimis facere conatur, ut persuadeat, nos a Confessione Augustana in Coenae Dominicae argumento dissentire, etiamsi in nostra Purgatione consensionem cum illo callide simulemus, nostrum nunc non erit, vel refutare doctrinam adversariorum, vel nostram approbare, sed in hoc duntaxat insistendum erit, ut ostendamus, nos (qua parte accusati fuimus) non equidem fuco hypocrisive ulla, quemadmodum Westphalus calumniatur, sed revera cum Confessione Augustana consentire, — ac proinde meras esse calumnias, quas Westphalus nobis furiis suis agitatus in (fol. 5) tendit; neque tam nos a Westphalo impeti, quam ipsam potius Augustanam Confessionem, in qua nos alioqui, non mutatis usquam illius verbis, clarissimos doctrinae nostrae fontes commonstramus, non autem Confessionem ipsam transformamus, nisi si Westphalo transformasse est, verbis ipsius Confessionis loqui et eorum interpretationem petere ex mutua atque unanimi locorum illius collatione, et non magis multo elevatur dignitas atque auctoritas ipsius Confessionis, dum a verbis ac sententia ipsius ad nescio quos ejus autores, neque usque adeo inter se concordes, provocatur. Nos sane nulla ejusmodi diverticula aut suffugia quaerimus, sed ad ipsam Confessionem, ut edita habetur, provocamus. Verbis ejus stamus, et eorum interpretationem non aliunde petimus, quam ex collatis mutuo inter sese locis in controverso hoc argumento ipsius Confessionis. Quod equidem in ipsa causae tractatione facile conspicietur, ad quam jam demum progediamur:

Ioan. à Lasco. — **1.** — **Westphalus.**

Legi scriptum Polonici Baronis, de quo quid rectius et verius in summa quis dixerit, quam illud Hilarii ex libro septimo de Trinitate: Incredibilibus (fol. 6) *ingenii artibus se haeretica subtilitas circumagit.*

Verba Hilarii verissima esse fatemur, sed a Westphali in nos inique detorqueri dicimus. Nos enim nullius unquam haereseos legitime accusati, nedum condemnati sumus ac ne auditi quidem unquam, sed omnis nostrae doctrinae fontes et in Scripturis sanctis et in primaevis atque Orthodoxis Ecclesiae Christi post Apostolos Patribus commonstramus, parati alioqui semper nostra approbare omnia, si quando ad Christianum aliquod colloquium admittamur, quod equidem hactenus

nunquam potuimus impetrare. Atque utinam illud semel aliquando in mansuetudine et libertate Christiana, sine conviciis ac praejudiciis institui videamus.

2.

Westphalus.

Versute contorquet sese in modum sinuosi serpentis, ut transformet in haereticum sensum verba Confessionis Augustanae et Apologiae.

Ioan. à Lasco.

Cum nusquam ostendat Westphalus ac ne ostendere quidem vere possit, me a verbis ipsis Confessionis discedere, neque illis ad causae nostrae commodum vel addere vel adimere quicquam, aut sensum alioqui ullum iis alium inferre, quam qui mutua locorum in Confessione ipsa collatione approbetur, id quod in nostra Purgatione facile quivis videre potest, ubinam Confessionem ipsam in sensum haereticum transformo meque in modum sinuosi serpentis contorqueo, nisi quia Westphalo, cum tacere non possit, ita garrire libet?

3.

Westphalus.

Magno contemptu conatur elevare utriusque scripti autoritatem. Infamat enim humanae doctrinae titulo scribens se gaudere, illius potius quam verbi Divini auctoritatem sibi opponi. Et tamen magnopere ad sudorem usque laborat et defatigatur, ut fucum faciat, Cinglianam suam opinionem cum doctrina Augustanae Confessionis in Articulo de Coena Domini convenire.

Ioan. à Lasco.

Quisquis Pur-(fol. 7)gationem nostram legit (modo ne cum Westphalo, furiis agitatus, videns videre nolit) is sane videt facile, quanti nos Augustanam Confessionem Patronosque et autores illius et ipsimet faciamus et fieri ab omnibus velimus. Neque aliter certe Confessionem ipsam inter hominum scripta ac doctrinam numero, nisi quod eam a Verbi Divini in Scripturis sanctis auctoritate ac doctrina ita discerno, ut eam verbo ipsi Divino aequari nolim, et proinde gaudeam, illam nobis potius (quatenus ex verbo Dei reprehendi adhuc queat), quam ipsius Verbi Divini auctoritatem opponi. Quodsi hic Westphalo magnus ille contemptus est, Paulum apostolum ipsum ejusdem mecum contemptus accuset, qui omnia, priusquam recipiantur, examinari jubet, accuset denique ipsosmet, tum autores, tum propugnatores eius ipsius Confessionis, qui illam Caes. Majestati et reliquis imperii Ordinibus examinandam ob-

tulerunt, non facturi procul dubio, si eam pari loco cum Scripturis ipsis habuissent. Porro cum nostra Purgatio verbis ipsiusmet (fol. 8) Confessionis loquitur, neque ullam omnino adferat interpretationem, quae non ex collatis mutuo locis illius petatur, unde mihi, quaeso, labores sudoresque illi et nescio quae defatigationes, de quibus Westphalus somniat? Ego illi sudo ac defatigor scilicet, dum verbis ipsius Confessionis loquor et ex eius locis eam interpretor, ipse vero (si Deo placet) syncerus illius propugnator erit, qui, cum pugnantia cum illa doceat, ab eius se nihilominus partibus stare clamat. Quanto vero magis sudandum est Westphalo, ut ostendat, ab impiis aeque atque a piis edi in Coena ore carnali sub pane, seu in pane ipso, ipsam substantiam corporis Christi naturalis, cum ipsa alioqui Confessio verbis expressis testetur, fide, non autem ore carnali sine fide, percipi gratiam, quam Sacramenta significant? Et testatur praeterea etiam ipsius Apologia, vivum sane, non autem vita gloriaque sua spirituque item suo vivifico destitutum, vivi utique Christi Domini corpus edi, quale certe impii, etiamsi hic rumpatur Westphalus, edere nunquam possunt. Hic igitur sudores suos prius abstergat Westphalus, quam nos sudasse fingat. Cur autem nunc doctrinam meam Cinglianam vocat, qui me alias ab omnibus dissentire jactabat? De Cinglio vero aliud hic non dicam, quam quod Augustana ipsa Confessio non tam illi reclamat, quam Westphalus cum suis vellet, dum gratiam Sacramentis significari docet, nisi si ipsam corporis Christi in Coena participationem a gratia Dei excludere velimus.

Ioan. à Lasco.

4.

Westphalus.

Non videt acutus iste Argus in tenebras se id convertere, quod intendit persuadere aliis clarissimam esse lucem, dum suam doctrinam, quam venditat pro divinis oraculis, traducit pro humano commento. Nam si humana doctrina est (ut scribit), quam habet Augustana Confessio, et eius sententia cum eo per omnia congruit, ut gloriatur, quo alio nomine haec censenda est, quove habenda alio, quam doctrinae humanae, loco?

Patiar hic Westphalum suis indulgere furiis, ut me (facete scilicet) acutum pariter ac caecum Argum faciat, quem antea paulo instar sinuosi serpentis versutum et ita praeterea ingeniosum esse volebat, ut verba Hilarii in me torquere non dubitaret. Quidquid autem de me nugetur, me sane (fol. 9) adeo nihil pudet, omnem meam doctrinam pro humana agnoscere,

(quatenus equidem me hominem, qui et falli et labi possim, esse libenter profiteor) ut illam alio loco nullo plane haberi velim. Idem vero et de Augustana Confessione et de omnibus in universum scriptis praeter sacras literas sentio, fateorque humanum esse, quidquid ab hominibus ullo modo, non autem immediate ab ipso Spiritu Dei, proficiscitur. Nimirum et Scripturae sanctae et Catholicae Christi Ecclesiae testimonio docemur, omnium quamlibet praestantium hominum scripta a Propheticis et Apostolicis Scripturis ita discerni oportere, ut hae solae pro Divinis oraculis proque Canone ipso ac fundamento Ecclesiae immutabili, adeoque et pro ipso Dei (fol. 10) verbo, proque vera ac pura Dei doctrina habeantur, quibus sine omni examine omnique disquisitione simpliciter obedire debeamus, — alia vero quorumcunque tandem hominum scripta, quandoquidem et ligna et foenum et stipulas auro argento ac gemmis suis permixta plerumque habere solent, examinentur prius, quam recipiantur, ac proinde non iam pro Divinis oraculis ipsoque Dei verbo aut vera alioqui ac pura Divina doctrina reputentur illive ullo modo aequentur. Hoc, si ad magnum illum nescio quem contemptum refert Westphalus, gaudeo mihi cum doctrina Apostolica et Catholica Christi Ecclesia commune esse. Vanum est igitur, quod mea me pro Divinis oraculis habere velle fingit Westphalus, etiamsi nihil dubitem de doctrinae nostrae, ut Verbo Dei consentaneae veritati, donec aliud ex Verbo Dei doceamur. Interim vero quivis facile videre potest, quo loco sua Westphalus haberi cupiat, dum nos ideo traducit, quod nostra nonnisi pro humanis haberi velimus.

5.

Westphalus.

Si ex verbo Dei Confessio doctrinam suam proponit, et suam eiusmodi esse videri affectat, sique credendum est, utramque nihil inter se dissentire, cur taxat alteram, quod sit humana doctrina?

Ioan. à Lasco.

Quae juxta verbum Dei tradit Confessio, ea ut aurum argentum ac gemmas libenter amplectimur, etiamsi Confessionem ipsam pro scripto doctrinaque hominum, eo quo dictum est sensu, habeamus. Rursus dum nostram doc-(fol. 11)trinam et verbi Divini et Catholicae Ecclesiae testimoniis comprobari (utcunque hic frendat Westphalus) et ab Augustana etiam Confessione non dissentire videmus, veram procul dubio esse non dubitamus, etiamsi humanam esse libenter agnoscimus. Interim vero illam, ut reliqua nostra omnia, subiicimus legitimis ex Verbo Dei Ecclesiae iudiciis, ut aut error nobis commonstretur, quem nos videre non possumus, aut, quod magis speramus, omnis de illa dubitatio tollatur.

6.

Westphalus.

Religiose optat, ab omnibus deferri cum honorem Profeticae et Apostolicae confessioni, ut, omissis aliis omnibus titulis, solam hanc opponeremus haereticis. Quasi vero confessio, Augustae exhibita, Apostolica non sit, iamque ille evicerit eam ab Apostolica doctrina discrepare, aut quasi non sit habendum Apostolicum, quod in piorum interpretum scriptis continetur, et cum regula Apostolica et Profetica convenit.

Ioan. à Lasco.

Neque hic scommatibus cum Westphalo certabo, sed si me serio accusat, quod Augustanae Confessioni Apostolicam antepono, eadem sane culpa tenebitur Paulus Apostolus ipseque adeo Christus Dominus, qui solam Apostolorum Confessionem Catholicae suae Ecclesiae fundamentum esse voluit, ad quod referre semper alioqui oporteat quidquid ullo unquam tempore modo aut loco per quos cunque tandem homines vel scribatur vel doceatur. Sed (fol. 12) Westphalus pro suo candore colligit, dum Apostolicam Confessionem ab Augustana ita duntaxat discerno, ut hanc pro fundamento Ecclesiae perinde atque illam habendam non esse dicam, damnari iam a nobis quiritatur Augustanam Confessionem. At vero hoc Westphalicum est, non nostrum. Nos enim nusquam Augustanae Confessioni assentiremus, si illam ab Apostolica confessione, ut Westphalus garrit, discrepare sciremus. Cum igitur in Coenae argumento consensionem profiteor cum Augustana Confessione, quisque videt jam, maliciosam esse Westphali calumniam, qua ille Augustanam Confessionem per me dissensionis ab Apostolica Confessiono accusari fingit. Quis autem negavit unquam, pro Apostolico habendum esse, quod cum doctrina Apostolorum consentit, aut ex illa desumptum est? Sed Westphalo judice non licebit scilicet discrimen statuere nter ea, quae ab ipsis Apostolis ipsomet Spiritu sancto autore ita esse prodita constat, ut nullam cuiusquam disquisitionem dubitationemve admittant, et inter reliqua omnia, quae ad ea, quae ab ipsis Apostolis sunt prodita, examinari probarique oportet, priusquam ullo modo recipiantur. Hoc nimirum Westphali calumnia postulat, quam hic in nos intendit.

7.

Westphalus.

Quid olim Sancti Patres opposuerunt Arrianis, qui opposuerunt iis Nicenum symbolum? Nunquid aliud quam Confessionem Apostolicam?

Ioan. à Lasco.

An ad eundem nunc modum a Westphalo nobis opponatur Augustana Confessio,

Si furoribus Arrii hodie adhuc esset opponenda aliqua confessio, an Nicenam illam non liceret opponere? An potius similibus clamoribus, quales sunt Sacramentariorum, pateremur nos abduci, ne audiremus obiurgationem duram, nos hominum scripta opponere Arrianis?

ad quem modum olim Arria-(fol. 13)nis Nicenum symbolum a sanctis Patribus opponebatur, id ego piis omnibus judicandum relinquo. Exempla enim Westphali et suorum in nos nostrosque edita non obscure testantur, quo consilio nobis a Westphalo Augustana Confessio opponatur. Deinde ostendat Westphalus, et se cum suis syncretistis patrum illorum, et nos Arrianorum loco esse, cum patres plerique omnes doctrinae Westphalicae, quae nobis cum ipso controversa est, unanimiter et manifeste repugnent nostramque doctrinam propugnent. Postremo libri ipsi Patrum testantur, num sola Nicena Confessio, eiusque autoritas opposita tum fuerit Arrianis, et quidem eo consilio, ut tyrannorum lanienae objiceretur. Ut interim taceam, nobis Augustanam Confessionem opponi, cui nos subscribimus, qua parte nobis opponitur, et ab ipsomet Westphalo ac suis doctrinam illius depravari ostendimus, etiamsi illius se propugnatores esse jactent. Utinam vero semel aliquando id fiat, ut seria modesta et Christiana tractatio sacramentariae hujus controversiae ex verbo Dei instituatur in lenitate et libertate Christiana, inque illa non tam equidem hominum, quam potius Dei solius, gloria quaeratur. (fol. 14)

8.

Westphalus.

Reprehendat nunc Momus iste Episcopos veteris Ecclesiae, qui eam fidem, quae in Synodo Niceae collecta, docuerunt eos, qui ad Ecclesiam assumi cupiebant, et suspectos de Arrii haeresi urserunt ad fidem. Neque susceperunt eos, nisi confiterentur, se juxta verba Niceni symboli, et juxta intellectum, qui per verba illa significatur, credere.

Ioan. à Lasco.

Imo vero bilem hic suam cohibeat Aristarchus iste, qui neque se cum sanctis illis Patribus, neque nos cum Arrianis, simile quidquam habere, docere potest, sed cavillis sannis et conviciis agit omnia, ut ne mutus videatur, etiamsi nihil habeat, quod in nos doctrinamque nostram dicere merito possit. Non igitur nos Pa-

trum exemplum reprehendimus, cum quibus nihil est commune Westphalo, sed hominis insaniam ridemus, qui quod ei Erinnys ipsius persuasit, omnibus id etiam persuasum esse putat. Quod autem addit de verbis Niceni symboli et de ejus intellectu, qui per verba symboli ipsa significatur, id nos libenter amplectimur inque causae nostrae adjumentum nobis sumimus. Cum enim nos, neque aliis quam Augustanae Confessionis verbis in controversia nostra loquamur, neque aliam ei interpretationem adhibeamus, quam quae facta locorum collatione verbis ejusdem ipsius Confessionis significatur, ostendamus item doctrinam Westphali consistere haudquaquam posse cum verbis pariter ac sententia, ex verbis (fol. 15) ipsis petita, Augustanae Confessionis, perspicuum est, recipiendam non in Augustana Confessione Westphali interpretationem, multo minus autem suscipiendum esse in eius societatem Westphalum ipsum, tantum abest ut pro illius propugnatore haberi debeat, tantisper dum suam doctrinam et a verbis et a mente ipsius Confessionis prorsus alienam tueri pergit.

Ioan. à Lasco.

9.

Westphalus.

Male habet diabolum, patrem haereticorum, in magna opinionum confusione de Eucharistia extare certam formam doctrinae, eaque phanaticos arceri, ne contaminent sanctas Ecclesias suis contagiis. Ideo vibrat sua venenata jacula contra Augustanam Confessionem, declamitans per suum Malacologum, non tanti eam faciendam esse, ut aequari debeat cum sacra Scriptura, et Christianam societatem scindat.

Cajapham hic mihi in Westphalo audire videor, qui, ignarus quid dicat, vera interim dicit, si modo re bene excussa opus diaboli ad ipsum diabolum, opus vero Dei ad Deum ipsum vere referatur. Male enim habet procuIdubio diabolum, omnium turbarum ac dissidiorum in Christi Ecclesia autorem, quod post adulteratam Papismi tyrannide doctrinam sacramentorum, profanatumque illorum usum, Deus suos demum excitaverit, qui pro donorum hac in parte suorum mensura et doctrinam ipsam et usum item sacramentorum ad Aposto-(fol. 16)licam rursus puritatem, abjectis omnibus figmentis humanis, revocare paulatim ac veluti per gradus quosdam conantur. Ideoque ut huic Dei operi remoras atque impedimenta struat, movet omnem lapidem et se vertit in omnia, si quo saltem modo Apostolicam puritatem et in doctrina et in usu sacramentorum impedire ac remorari queat. Et quoniam

sibi vehementer placebat in figmento illo Papisticae elementorum in coena Domini transubstantiationis, illamque ullo modo attingi gravissime semper ferebat, nunc vero illam Dei beneficio non modo defendi iam, sed ne excusari quidem posse videt, — nihil equidem non molitur ac tentat, ut loco transubstantiationis quidpiam aliud comminiscatur ac propugnet, quod non sit quidem simile transubstantiationi, sed tamen natam ex transubstantiatione ἀρτολατρείαν magna ex parte foveat atque alat: nempe realem substantiae corporis et sanguinis Christi διὰ εἴδους in coenae elementis delitescentiam sive inclusionem, quae demum peperit etiam et immensitatem nescio quam corporis Christi, pugnantem cum vera humanitate ipsius, et communem piis simul atque impiis illius in coena participationem, quae cum dignitate et gloria Christi Domini consistere nullo modo potest, de quibus sane omnibus, neque Christus ipse Dominus, neque eius item Apostoli ac ne primaevae quidem Ecclesiae Patres quidquam omnino cogitarunt. Opus igitur Dei perturbat Diabolus, excitato Propheta suo Westphalo, qui nova dogmata in Ecclesia sibi tuenda sumit ad perturbandam ejus tranquillitatem et impediendam puritatem (fol. 17) Apostolicam in doctrina et legitimo usu sacramentorum. Per eundem vero ipsum Westphalum vibrat etiam venenata sua jacula adversus humanitatem veram Christi Domini et adversus gloriam ac dignitatem sacramenti corporis ipsius; et quidem praetextu Augustanae Confessionis, cujus interim doctrinam contra verba et mentem illius impudenter depravat et detorquet, inventis suffugiis suis ad nescio quos autores atque Ecclesias quasdam eius scilicet ipsius Confessionis, quemadmodum id et Purgatio nostra et nunc item responsio ad tertium eius Paragraphum expresse testatur. Libenter autem agnosco, quemadmodum antea quoque dixi, me non aequare cum Scripturis sanctis Augustanam Confessionem; nam id mihi cum Catholica Christi Ecclesia commune esse scio. Ac proinde malim hac in parte Westphalo Mataeologus esse et si quo praeterea titulo me pro sua modestia ornare volet, quam inter istiusmodi profetas censeri, qualem Westphalum esse videmus. Quatenus autem aequandam non esse judico cum sanctis Scripturis Augustanam Confessionem, neque ullorum post Apostolos hominum scripta, solas autem Propheticas et Apostolicas scripturas unicum atque aeternum hic Ecclesiae Christi fundamentum esse cum Paulo agnosco, cui dum quis insistit, a corpore sane Ecclesiae avelli non potest, etiamsi illi foenum ligna ac stipulas superstruat, — hactenus certe, neque Augustana Confessio ipsa eo loco est habenda, ut scindat societatem Christianam in Ecclesia, si quis in sua conscientia verbi Divini auctoritate convictus, non modo dissentiat ab Augustana Con-(fol. 18)fessione, sed illam

etiam (ordine interim justo et modesto ac sine publica perturbatione ulla) ex verbo Dei reprehendat. Id vero adeo intolerabile esse censet Westphalus, ut pro venenatis satanae jaculis scilicet haberi illud velit, cum tamen magnanimus hic Profeta in eodem ipse crimine mecum haereat, cujus me hic tantopere accusat, quemadmodum suo loco dicetur.

10.

Westphalus.

Mendax calumniator, Confessioni imputat, quod facit perniciosa secta Cinglianorum, quam specioso nomine fraternitatis exornat, et inter sanctos fratres, quos illa dividit, collocat.

Ioan. à Lasco.

Pascat hic Erinnym suam Westphalus conviciis et maledictis, quibus volet, — ego, quo illi magis displiceo, hoc mihi magis placeo, nedum ut Sannionis verbis movear. Quod igitur ad causam ipsam attinet, ostendat Westphalus, quosnam fratres dividat Cinglii secta, quam ille perniciosam vult videri. De Zwinglio porro nihil nunc aliud dicemus, quam quod, ut multa ab illo pie et praeclare scripta esse libenter agnosco, meque per virum illum ad Euangelii lectionem primum omnium inductum esse ante annos quatuor et triginta aut eo amplius, perque illum magna ex parte etiam Divino beneficio profecisse fateor, — ita mihi non sumo interim probanda tuendaque illius omnia. Sed quoniam nos sub Cinglianorum nomine designat Westphalus, quo nos majore invidia gravet, sanctos vero fratres eos, opinor, vocat, quos in sacramentaria hac controversia a suis partibus stare (fol. 19) putat, vellem ostenderet Westphalus, quosnam fratres sanctos doctrina nos nostra dividamus ac non potius ab illis praeter omne nostrum meritum praeterque omnem omnino aequitatem dividamur. Si falsum est igitur, nos doctrina a nobis nostra fratres ullos dividere, sed Westphalum ipsummet in ea ipsa culpa haerere, cujus nos accusat, — equidem magis multo falsum erit, Confessioni id a nobis imputari, cuius culpam nobis ille irrogare conatur. Neque nos sane ullam dissidiorum culpam Confessioni ipsi imputavimus unquam, sed illorum improbitatem atque impudentiam accusamus, qui nos in doctrina de Coena Domini ab illa dissentire clamant, cum ne verbum quidem ex ea ullum contra nos proferre possint. In ipsummet Westphalum igitur recidunt omnia, quorum nomine hic nos accusat.

11.

Westphalus.

Ex eiusdem artificis officina venit calumnia,

Ioan. à Lasco.

Nondum conquiescit bilis Westphali et mendacia menda-

quae interpretatur, Papisticam esse tyrannidem, sacramentarios insanabiles excludere ab Ecclesiastica ac Politica societate, ne in animas suam tyrannidem exerceant. Et seditiose accusat tyrannidis Principes, Magistratus, ministros Ecclesiarum, omnesque adeo fideles, quotquot ab Ecclesia lupos graves repellunt.

ciis accumulare pergit. Si Sacramentarios vocat, qui sacramenta, aut res nudas ociosas atque inanes faciunt, neque nisi conversationis nostrae invicem signa esse docent, (fol. 20) aut qui illa inter res adiaphoras ita numerant, ut perinde esse dicant, sive illis utamur, sive non utamur, — eos sane nos in Ecclesia ferendos non esse, multo quam Westphalus antea docuimus atque etiamnum docemus, siquidem pertinaciter errorem tueri velint. Si vero Sacramentarios e suo tripode esse pronunciat, qui nuperam illam corporis et sanguinis Christi in Coenae elementis delitescentiam, eorumque πανταχοπαρουσίαν et communem praeterea illorum piis pariter atque impiis participationem in Coena agnoscere nolunt, — tum nos hic Westphalicas istiusmodi censuras nihil moramur, certi, nostram hic doctrinam nobis cum Christo Domino eiusque Apostolis et Catholica adeo ipsius Ecclesia communem esse, vereque dicimus, non equidem a nobis in quenquam, sed a Westphalo et suis in nos ac nostros, Papisticam tyrannidem exerceri, dum, quam in Papismo accusamus novos fidei Articulos condendi atque illorum nomine demum omnes condemnandi licentiam, eam ipsi iam sibi arrogare conantur. Sed hic artificem agit Westphalus et, quod nos in ipso syncretistisque suis accusamus, id ipse in Principes ac Magistratus derivare conatur, quo sibi causam cum illis communem faciat et nos invidia gravet. Hoc ei nimirum adflavit Profeticus ipsius spiritus, qui a calumnia nomen habet. At vero scripta nostra palam testantur, quam nos fidem subjectionem atque obedientiam a subditis Magistratui cuique deberi doceamus, ut multis hic ad retorquendam mendacem hominis effrenati calumniam nobis hic non magnopere opus esse puteraus, et, dum de Papistica tyrannide diserte loquimur, nihil illam ad Politicos Ma-(fol. 21)gistratus quoquo modo pertinere testamur, sed ad eos duntaxat, qui tripodes et ipsi suos in loco sancto Papae instar constituere atque novos ita demum fidei Articulos formare, et censuram eorum tandem sibi ipsi, neglectis legitimis Ecclesiae iudiciis, arrogare conantur, nisi si Westphali spiritus (cui videlicet licent omnia) Papam affirmat esse politicam Dei ordinationem, ut, quae de Papistica dicuntur tyrannide, ad Magistratum etiam detorquere possit. Sed est permittendus Propheta hic suo spiritui, qui sursum denuo ac deorsum miscere omnia conatur.

12.

Westphalus.

Satis somnolenter inquirit Lascus de authoribus confessionis, pulchre dissimulans se scire quinam fuerint. Unus ex omnibus solus placet, et unus nominatur, de quo meliora sibi promittit, quam ut in tali praesertim confessione aliud senserit quam scripserit. Laudat in eius verbis perspicuitatem, at filii Dei verba non sunt illi perspicua, nisi tenebrae lucem inferant suis tropis.

Ioan. à Lasco.

Si somnolenter inquiro de Confessionis autoribus, quo pacto pulchre me scire dissimulo, quinam illi fuerint? Hic admirabilis iste Profeta conjungit, quae secum ipsa invicem pugnant. Deinde scire nos oportet etiam, quae nescimus, in Westphali gratiam, ne tantus alioqui veritatis assertor in mendacio haereat. Illi vero integrum erit, et nescire, nisi quae ad causae suae commodum sci-(fol. 22)re velet, etiamsi notissima sint omnibus, et rursum scire omnia ad intendendas aliis calumnias, quae neque dicta, neque scripta ac ne cogitata quidem sunt unquam. Certe unus ille, quem nobis solum placere dicit, rogatus a me de Confessionis autoribus, respondit, se solum et quidem invitum coactum fuisse (aliis omnibus hanc provinciam detrectantibus) scribere eam ipsam Confessionem. Quid autem offendit Westphalum, dum unum illum, quem solum novi, nomino? Iam scilicet ne nominari quidem amplius fas erit quenquam, nisi ex praescripto Westphali? Sed iudice Westphalo unus hic nominatur a nobis, quia solus placet. Quantò magis igitur ego Westphalo placeo, qui et toties ab ipso nominor et tam splendidis multisque titulis (quae est hominis efferati impotentia) ornor? Porro D. Philippum Melanthonem ego iam olim, etiam ante scriptam Confessionem, amo et veneror propter multa et eximia Dei in illo dona, adeoque et debere me illi multum fateor, ut qui per eum profecerim in sacrorum cognitione, sive id Westphalus credat, sive non credat, neque temere mihi persuadeo, virum illum in tali potissimum scripto non aliud scripsisse quam senserit. Hoc si Westphalum offendit, cur non diserte aut me, aut Philippum, qua parte offenditur, accusat? Sed suo hic genio indulgere maluit, nempe ut adunco suo naso suspenderet omnia et veluti Davus in Comoedia omnia perturbaret. Graviter admodum illi pecco, dum Philippo perspicuitatem tribuo, quam in illo docti alioqui omnes agnoscunt, cum mihi satis perspicua non sint scilicet verba filii Dei. Ita quidem blaterat Erin-(fol. 23)nys Westphalica, quae nullum videlicet mentiendi calumniandique modum aut finem novit. Sed hoc facit e bilis suae redundantia, non autem ex

verbis meis, quae sane in scriptis meis eiusmodi nusquam legit. Imo vero scripta mea luculentissime testantur, me in Coenae verbis nihil omnino desiderare neque lucis neque veritatis neque autoritatis, si iuxta familiarem scripturae in Sacramentario argumento usum, quem et veteres alioqui omnes sunt sequuti, exponantur. Nimirum sic lux in luce quaeritur et videtur, quemadmodum Profeta docet, et exemplo tentationis Dominicae docemur, Diabolicum esse, unius duntaxat loci verba ad inducendam novam aliquam doctrinam pertinaciter urgere, contra vero certissimam esse doctrinae veritatem, quae legitima locorum collatione in scripturis approbatur. Non igitur tenebrae verbo Dei lucem inferunt tropis suis, e locorum collatione in eodem argumento productis, ut hic nugatur Westphalus, sed lucem potius perspicuitatemque verborum Christi et totam adeo causam Sacramentariam obscurat atque involvit Westphalus cum suis (et quidem non non sine Christi Domini contumelia) novis quibusdam interpretationum suarum figmentis, nusquam sane in hoc argumento usurpatis et pugnas alioqui in Scripturis serentibus, ad haec et a prioris Ecclesiae doctoribus dissentaneis et a fidei Analogia prorsus alienis.

Ioan. à Lasco.

18.

Westphalus.

Fortasse in uno illo reponit victoriam, ut Calvinus, frater eius, fecit. Adeo (fol. 24) *respuit hominum authoritatem et solius scripturae stat authoritate.*

Imo vero Westphalus, quia nihil habet quod in nos serio possit scribere et tacere interim non vult in Erinnys suae gratiam nugacibus istiusmodi sannis miseras suas chartas explere cogitur. Atque de D. Calvino suo loco postea, quem sane non solum pro fratre agnosco multo libentissime, sed de illo mihi etiam totique adeo Christi Ecclesiae majorem in modum gratulor. Nunc Westphalicum acumen intueamur. Unus mihi Philippus placet, si Westphalo credimus, quia in uno illo spem victoriae repono. Unde vero colligit argutator iste, me in Philippo reponere spem victoriae? Prudenter igitur addit vocem dubitantis „fortasse", ne Propheticum suum spiritum per certam asseverationem impudenti ac manifesto mendacio infamet. Ego enim, etsi D. Philippum ex animo veneror et magni, ut debeo, facio, tantum abest tamen, ut in ullo unquam spem victoriae ullam in Sacramentaria hac controversia reposuerim omnino, aut etiamnum reponam, ut ne Apologiae quidem, nedum ullis aliis ipsius scriptis, standum esse, in Purgatione nostra diserte profitear, etiamsi Caesareae Majestati publice oblata esset, nisi certo constaret, esse consentaneam primum verbo Dei, deinde vero ipsi etiam Augustanae Confessioni, publico alioqui totius Imperii

consensu receptae, ut edita habetur, et comprobatae. Ita videlicet ego victoriae spem repono in Philippo aliove quocunque ejus Confessionis sive autore, sive interprete, sive patrono. Sed evomere in nos oportuit Westphalum, quae commota semel tanti Pro-(fol. 25) phetae bilis non poterat continere, etiamsi omnia sibi rursum relinquenda resorbendaque adeo esse non ignoraret. Tantundem vero ponderis habet, quod de Scripturae et hominum autoritate addit. Controversia est non de Scripturis hoc loco, sed de Augustana duntaxat Confessione. Cum igitur suffugia quaerant adversarii, ut nos ab ipsa Confessione revocent ad nescio quos illius autores, nosque, quod res est, dicamus, unum duntaxat nobis esse notum, quem alioqui non putaremus in tali praesertim scripto aliud quam senserit scribere voluisse, Aristarchus ecce noster a scripturae nos autoritate ad humana praesidia recurrere fingit, et furiis suis agitatus facere non potest, quin calumniis suis pervertat omnia, quaecunque a nobis in utramvis partem quocunque etiam modo dicuntur.

Ioan. à Lasco. 14.

Westphalus.

Quae sit Westphali simplicitas, etsi iam aliunde plus satis nota sit piis omnibus, tamen hic unus Paragraphus facile illam etiam indicabit. Quaestio est, num autor Confessionis aliud scripserit, quam sensit, in ipsa Confessione.

Credimus sane et nos simpliciter, meliorem esse unum, quam qui aliud occultaverit multo tempore, aliud prae se tulerit, et non Principum ac Theologorum abhorrentiam a dogmate Sacramentario, sed Cinglii errorem inseruerit confessioni, ita denique se attemperaverit, ut et Papistas et Protestantes eluderet ambiguis verbis.

Hic igitur, dum nos nihil huius de autore suspi-(fol. 26)cari posse dicimus, et Westphalus nostrum hoc iudicium unaque et autorem ipsum naso suo adunco suspendit, corrigere id iam, si Diis placet, et melius de autore ipso sentire se profitetur. Sed hoc tanta simplicitate facit, ut eum et hypocritam et perfidum adeo impostorem oblique facere conetur. Primum enim fingit, ipsum a suis alias partibus fuisse, ut illi hypocriseos calumniam intendat, quasi aliud vero prae se tulerit, aliud vero multo iam tempore occultarit, nisi et nunc Westphalus syncretismo subscribat. Deinde Principum ac Theologorum sententiam in re Sacramentaria ita obtendit, quasi jam evicerit, et principes ipsos qui Caes. Majestati Confessionem exhibuerunt, quique eo illis postea etiam adjunxerunt, et Theologos denique omnes, qui tum aderant, autori ipsi in os velut praemansum quoddam ingessisse omnia, quae in ipsa Confessione habentur, ut, si quid in illa praeter praemansum illud reperiatur, per-

fidiae a Westphalo autor ipse scilicet accusari posse videatur. Postremo huc spectat, ut, si autor in scribenda Confessione ita sit moderatus verba sua, quod in ipso quidem erat, ut, non prodita alioqui doctrinae synceritate, amputare nihilominus studuerit omnes dissidiorum parum necessariorum occasiones, imposturae eum quoque insimulet, quod Cinglii errore inserto scilicet et Papistas et Protestantes verbis ambiguis eluserit. Praeclara profecto Westphali simplicitas, tali haud dubie Propheta digna, quasi non iam abunde constet, Martpurgensis etiam colloquii testimonio, Zwinglio tum adscripta fuisse multa, de quibus vir ille nunquam omnino cogitavit. Ut interim ta-(fol. 27)ceam, a Westphalo, dum Philippo notas istiusmodi inurere conatur, eadem simul opera etiam et Principes illos, qui Confessionem exhibuerunt quique se eis alii postea adjunxerunt, et eorum Theologos omnes, eiusmodi vel stuporis vel indiligentiae accusari, ut autoris hypocrisim, a Westphalo scilicet observatam, agnoscere non possent, aut si agnoverunt, occurrere protinus non curarent. Ita sane isti omnes a Westphalo una cum Philippo accusantur, aut Philippus una cum illis omni, hac in parte, accusatione liberatur. Sed autor ipse, si sit opus, nebulas istas Westphalicas facile dispellet. Nobis satis est indicasse specimen egregium Westphalicae simplicitatis, quam iactat.

15.

Westphalus.

Constat autem, confessionem illam non unius esse, qui scripsit, sed Principum, qui eam exhibuerunt Imperatori et eorum, qui illi confessioni se adiunxerunt; ac proinde interpretationem veram atque indubitatam ab ipsis omnibus, non ab uno atque altero esse petendam eamque sententiam vere defendi, tanquam consentaneam illi confessioni, quam Ecclesiae, quae illam receperunt, per aliquot annos publice (fol. 28) *docuerunt et defenderunt.*

Ioan. à Lasco.

Pergit adhuc Westphalus ostentare simplicitatem suam, non solum ut autori fidem in Confessiona omnem abroget, sed ut furiis denuo suis concutiat omnia, hoc est, ut et Principes et Doctos, et Ecclesias denuo invicem committat, novisque rursum tumultibus omnia impleat. Dicit igitur, Confessionem non esse unius illius, qui eam scripsit, sed Principum, qui eam Caes. Majestati exhibuerunt, et qui se ei demum etiam adjunxerunt. Inde autem duo mox colligit Profeticae suae Dialectices artificio. Alterum, veram atque indubitatam Confessionis interpretationem non ab uno illo eius autore, sed ab omnibus simul et Prin-

cipibus et doctis et Ecclesiis, illius nomine conjunctis, petendam esse. Alterum autem, eam solam interpretationem defendendam esse, quam Ecclesiae, quae illam receperunt, non quidem semper postea (hoc enim non ita facile probaverit), sed per aliquot duntaxat annos docuerunt et defenderunt. Quodque ad prius illud attinet, quis non videat fucum Westphali, dum Confessionem negat autoris esse, quod non per ipsum, sed per Principes sit exhibita? Quid! si enim Principes, qui Confessionem Caes. Majestati exhibuerunt, non equidem illam veluti praemansum quoddam in os autoris ingesserunt, sed, de fide potius pietateque et eruditione hominis optime alioqui persuasi, provinciam scribendae Confessionis totam uni illi prae aliis omnibus concrediderunt, scriptamque, ut extat, juxta autoris unius illius proculdubio explicationem receperunt, receptam comprobarunt, comprobatam Caes. Majestati ac reliquis totius Imperii Ordinibus exhibuerunt, atque omnes illam demum totius Imperii Ordines, ut est exhibita, confirmarunt et publico ad extremum foedere sanxerunt. Quid, inquam, etiamne adhuc negabit Westphalus, Confessionem ipsam unius illius (fol. 29) autoris esse, ut ab eo non petatur illius explicatio? Ac non potius vera ac legitima Confessionis interpretatio, invitis etiam omnibus Westphali furiis, petenda erit ex publico ipso Confessionis scripto, ut extat, aut unius alioqui illius autoris explicatione, cui illam uni omnes tunc Principes et scribendam commiserant et scriptam approbarunt et approbatam publico Imperii foedere sanxerunt, quam ut novos ejus interpretes, et quidem incognitos, quaeramus? Sed aliud agit Westphalus Profetica simplicitate sua. Ad Principes provocat, non quod Principum ipsorum interpretatione stare velit, quam nullam alioqui expectat, sed quod putet hoc praetextu non Confessionis modo interpretationem, verum causae etiam totius summam, ad se et suos syncretistas pertrahi posse. Id sane facile est videre, dum altera protinus collectione addit, eam potissimum sententiam defendendam esse, non quam Principes alioqui ipsi allaturi essent, sed quam Ecclesiae annis aliquot docuerunt et defenderunt. Ecclesiae autem Westphalo non sunt, nisi Ecclesiarum Pastores, quos secum conspirasse novit. Quisquis enim ab ipso dissentiat, protinus illi est Fanaticus, Sacramentarius et Swermerus. Caeterum demus hoc Westphalo, ut Confessionis interpretationem ab Ecclesiis, quae eam receperunt, petamus, numerabunturne duntaxat, ac non etiam ponderabuntur illarum sententiae? Quodsi hactenus sunt ponderandae, quatenus Confessionem ipsam, ut est exhibita, receperunt, — equidem, quatenus eam non ita, ut est Caes. Majestati exhibita, receptam esse ab illis constat, hactenus etiam (fol. 30) interpretatio, quam adferent, neque locum neque pondus ullum in exponenda Confessionis mente obtinere

ullo modo debebit. Certum est autem non aliter unquam receptam fuisse Confessionem aut recipi etiam potuisse, quam est ab autore ipso scripta ac Caes. demum Majestati oblata, omniumque Imperii ordinum autoritate ad extremum comprobata et sancita. Quicunque igitur aliter intelligi volunt ipsam Confessionem, quam aut verba ipsa, aut mens alioqui Confessionis, ex locis illius consentienter collecta, aut denique autoris ipsius explicatio permittat, — quicunque id faciunt, inquam, sive Theologi, sive Ecclesiae, ab iis sane apparet aut nunquam vere receptam esse, ut est exhibita, ipsam Confessionem, aut si unquam est recepta, desertam rursus violatamque esse, ac proinde nullo etiam loco habendam esse talium interpretationem. Frustra ergo obtendit Westphalus et Theologorum et Ecclesiarum interpretationem, a quibus Confessionem ipsam, ut extat et ab autore explicatur, aut non vere receptam, aut violatam esse constat. At vero obscurum non est, quid hic moliatur Erinnys Westphali: nempe ut, si nos a foedere Imperii excludere atque ita demum lanienae hostium Euangelii (quod solum cupit) obiicere non queat propter declaratam alioqui consensionem nostram cum Augustana Confessione, Principes nihilominus cum Principibus, Doctosque item cum Doctis et Ecclesias cum Ecclesiis committat potius, quam ullam procurandae in Sacramentaria hac controversia conciliationis patiatur inire rationem. Bona mens, bonus animus scilicet. Quid enim, si ne inter Principes quidem ipsos, Augustanae Confessio-(fol. 31)nis primarios propugnatores, nedum inter adjunctos illis postea, multo minus autem inter Doctos et Ecclesias, omni prorsus ex parte conveniat, non dico de Christi Domini in Coena sua praesentia corporisque ac sanguinis sui participatione (de istis namque nulla est dubitatio), sed de eo duntaxat praesentiae et participationis modo, qui nunc a Westphalo et eius syncretistis urgetur, — constetque alios ab aliis calore contentionis, ut fere semper fieri solet, falso hac in parte accusatos esse? Quid, inquam, si ita sit, an ab illis simul omnibus, obsecro, petetur Confessionis interpretatio? ac non potius mens ipsa Confessionis eius, tum verbis, tum locis inter sese collatis, colligetur? Imo vero quo pacto ab illis simul omnibus petetur, ut non invicem committantur? Sed huc spectat Erinnys Westphalica inque hoc conatibus suis omnibus incumbit, ut aditus omnes pacificandi excitata doctrinae dissidia quoquo potest modo praecludat, quasi vero non satis adhuc turbarum fuerit in Imperio, nisi denuo redintegrentur.

Ioan. à Lasco.

16.

Westphalus.

Mirifice autem et plane novo modo Polonus ni-

Si Westphalus mirificum istum nescio quem et no-

vnm adeo quemdam modum, si item commenta nostra et violentas ac contortas, ut jactat, vocum interpretationes in medium protulisset, utcunque ei respondissemus, quemadmodum id etiam, quatenus aliquid profert, suis locis faciemus. Sed tanto Profetae

titur persuadere, quod non dissentiat a doctrina Augustanae Confessionis. Proferens sua commenta affingit violentas et contortas interpretationes vocum et per eas suum commentum, (fol. 32) *id est, conceptum animo errorem vult probare et fidem facere, se consentire cum Augustana Confessione. Interim hoc solum probat, se non dissentire a se ipso, sed idolum, formatum in suo corde, suis venustis cogitationibus expolire.*

scilicet pronunciasse satis est, etiamsi, quae adfert, vanissima esse non ignoret. Indulgeat ipse igitur bili suae, ut volet: nos rem ipsam prosequemur. Si mirificum illum et novum modum persuasionis nostrae in hoc constituit, quod particulam „cum" in decimo Augustanae Confessionis articulo non equidem ad ipsum Panem locumve in illo ullum, sed ad tempus referam potius Mysticae in Coena a Domino institutae actionis, id mihi sane cum ipsomet Westphalo commune est, qui alioqui aut semetipsum una mecum mirificae huius et novae persuasionis culpa teneri intelliget, aut me secum una omni haud-dubie culpa liberabit, id quod in nostra ad Paragraphum 23 responsione plane apparebit. Libenter autem amplector Westphali testimonium, quo me a meipso in doctrina mea non dissentire testatur. Quocunque enim id modo facit, semetipsum mendacii convincit, et palam ostendit, se non ab aliis solum, sed a semetipso etiam in Erinnys suae gratiam dissentire, cum me alias a meipso dissentire affirmet, nunc vero neget, quam nos sane laudem tanto Prophetae non in-(fol. 33)videmus. Quod doctrinam meam idolum nescio quod in corde meo conflatum vocat, more suo id facit, ut artificiose scilicet, ne dicam scurriliter, suam ipsius culpam in me transferat. At vero posteaquam certos ego planeque indubitatos doctrinae nostrae fontes, tam in Scripturis sanctis, quam in orthodoxis Catholicae Christi Ecclesiae Doctoribus et video ipse et commonstro, nihil moror istas spiritus Westphalici calumnias, facile alioqui ostensurus, si contendere liberet, non a nobis, sed ab ipsomet Westphalo, horribile formari idolum, non solum in corde ipsius, sed in mutis etiam atque egenis elementis, et quidem non sine gravissima contumelia Christi, ne dicam, ejus abnegatione. Palam est, nos jampridem expetere legitima ex Verbo Dei Ecclesiae iudicia, quae si impetrare non possumus,

Christum Dominum judicem inevitabilem habemus, ad cuius tribunal cum nos omnes sisti tandem oporteat, illuc iam certa doctrinae nostrae fiducia provocamus. Nec dubitamus, nos doctrinam nostram multo facilius tum esse approbaturos per gratiam Dei, quam novus hic Atlas Saxonicus reales corporalesque suas *In Sub Cum* pane Coenae delitescentias connexiones ac distributiones per manus Ministri Corporis Christi, suas item ubiquecitates et suas illas piis pariter atque impiis communes prostitutiones approbare unquam possit: parati interea ferre omnia, quaecunque in nos Dominus eo ipso potissimum nomine permittere unquam volet ad gloriam nominis sui Divini et veritatis in hac controversia illustrationem. (fol. 84)

Ioan. à Lasco.

17.

Westphalus.

Misere torserunt alii vocabula: *h o c e s t c o r p u s m e u m.* *Baro Polonicus, posthabitis istis torturis, arripit ex Confessione vocabulam* *c u m,* *quae quantumcunque reluctetur, debet ei tamen significare tempus mysticae actionis, non praesentiam corporis et sanguinis.*

Non est nostri nunc instituti pro aliis respondere et est jam abunde refutata haec Westphali calumnia, si aures ad audiendum haberet. Videat autem Westphalus, ne ipsum multo magis olim torqueat Propheticus ipsius spiritus, quam ipse Verba Christi Domini a nobis torqueri fingit.

Quod ad me attinet, mihi perinde est, sive me Baronem Polonicum, sive ursum Sarmaticum vocet. Haec enim atque hujus generis omnia furiosi hominis genio permitto, et, quo illi magis displiceo, hoc mihi magis ipse placeo, deque eius conviciis mihi gratulor. Quas autem torturas a me posthabitas esse putat? Equidem et nunc figuratam loquutionem in Christi verbis: h o c e s t c o r p u s m e u m, agnosco, ad quem modum sunt figuratae omnes sacramentales istiusmodi loquutiones, id quod omnes alioqui etiam prisci purioris Ecclesiae Patres nobiscum fatentur. Sed cum de Augustana duntaxat Confessione nobis controversia esset, illius mihi duntaxat verba etiam explicanda erant. Porro Westphalus et sui conantur modis omnibus dissimulare torturas suas in verbis Christi Domini, sed eas silentio suo produnt, dum nullam illorum nudam alioqui ac (fol. 85) simplicem juxta singularum vocum ordinem, ut alias dictum est, adferunt interpretationem. Tantum clamant, verba esse clara dilucida ac perspicua. At vero, quo sunt magis clara ac perspicua Westphalo, hoc sane facilius illa iuxta vocum singularum, ut dictum est, ordinem explicare posset, nisi sibi a prodendis torturis suis usque adeo timeret. Quae vero est haec hominis malevoli vafricies, dum negat, particulam c u m mihi

significare praesentiam corporis et sanguinis, nec dicit, in Coena ne, an vero in pane Coenae et poculo praesentiam intelligat, ut si alterum vel agnoscam vel negem, utrumque me aut agnovisse aut negasse calumniari possit. Sed, dum particula cum ne ad tempus quidem Coenae referri possit, nisi constituta in ipso Coenae usu corporis et sanguinis Christi praesentia, etiamsi ea Coenae elementis non includamus, quisque hic maliciosam Westphali calumniam deprehendere potest.

Ioan. à Lasco. 18.

Westphalus.

„Hactenus Sacramentarii reiecerunt omnes has dictiones: in, sub, cum pane. Nunc Lascus placatus uni voculae, certis tamen conditionibus, cum reliquis bellum gerit. Negat videre se usquam Confessionis mentem esse, ut voces illas „in, sub, cum" pro eodem accipi velit.

Si Westphalo sunt Sacramentarii, qui Sacramenta, aut res nudas inanes atque ociosas faciunt, neque nisi nostrae hic invicem conversationis signa esse docent, aut qui illa inter res adiaphoras ita numerant, ut perinde esse dicant, sive iis utamur, sive (fol. 36) non utamur, iam sane cum istis adeo nobis commune nihil esse testati sumus Par. 11, ut eos in Christi Ecclesia, nisi resipiscere velint, haudquaquam ferendos esse existimemus. Caeterum si nos in Erinnys suae gratiam contumelioso hoc designat nomine, quod eius deliria non recipiamus, facile hic Erinnym suam furere patiemur, si quando forte se in pecudes pro hominibus saeviisse furiis suis agitatum agnoscat, adeoque et maledicta ipsius in laude nostra ponemus. Quod porro ad voces illas attinet „in, sub, cum" nos sane illas (in sensu praesertim Westphalico) non reiecimus unquam, quemadmodum ipse fingit, quia nunquam recepimus, sed ut novas, et a mente Scripturarum alienas, accusavimus semper atque etiamnum accusamus, neque in Christi Ecclesia ferendas ullo modo esse putamus, donec usu Scripturarum familiari comprobentur. Particulae „cum" ut nunquam infensus fui in Confessione Augustana, eo quod illam ad tempus Mysticae in Coena actionis referri manifeste videbam, ita eam in Westphali et suorum scriptis nunquam probavi, quatenus ad ipsum Panis ac Vini in Coena elementum, aut nescio qualem in eis locum, referre illam conantur. Unde me igitur nunc demum huic voculae placatum esse somniat hic Propheta, qui interim omnium vigilantissimus habere cupit? Aut igitur mendacium et hic suum agnoscat tantus Propheta, aut ostendat (et quidem sine maliciosa verborum nostrorum depravatione), voculam „cum" in Augustana

Confessione nostrae interpretationi reclamare. Sed ostendat id non suis duntaxat suorumve asseverationibus (fol. 37) usurpationibus aut interpretationibus, quas nos cum doctrina Confessionis consistere haudquaquam posse dicimus, sed verbis ipsis doctrinaque, ex illis collecta, in ipsa Confessione, quemadmodum nos in nostra Purgatione abunde ostendimus, commonstratis in ipsa Confessione et eius Apologia locis, verba ac mentem Confessionis nequaquam posse consistere cum prodigiosis Westphali imaginationibus de corporis Christi in pane Coenae sive immensa sive locali delitescentia, quatenus quidem nullo sensu percipi potest, et de communi illius piis pariter atque impiis ore carnali ex ipsius Ministri manibus manducatione, id quod alioqui obiter etiam attigimus in Paragraphi tertii responsione. Caeterum Erinny Westphalicae satis est dixisse quidquid collibuit, etiamsi quae dixit neque probet neque probare possit. Ita sane et nunc, quasi iam sua probasset omnia, quae interim controversa esse et a nobis negari novit, suas nobis occinit usurpationes et interpretationes, et more interim suo nostra omnia depravat et calumniatur, ut se sui ubique similem esse declaret.

19.

Westphalus.

Nos etsi hic promiscue utamur in uno sensu, falso nobis tamen impingit, nos ponere localem inclusionem. Nam usurpamus eas, tum contra Papistas, tum Berengarii asseclas. Contra Papisticam μετουσίαν fatemur in Sacramento Eu- (fol. 38)*charistiae esse et manere elementa. Et contra Berengarianos confitemur, non sola vel signa vel figuras absentis corporis et sanguinis esse panem et vinum, sed cum elementis seu signis visibilibus, simul adesse dispensari et sumi verum corpus et sanguinem Christi. Corpus intelligentes,* (5) *non signum, non virtutem, non merita, non divinitatem, non societatem, non jus in corpore, sed corpus quod pro nobis traditum est, et sanguinem, non figuram, non symbolum sanguinis, sed eum qui effusus est pro nobis in remissionem peccatorum.*

Ioan. à Laseo.

Tametsi Paragraphus iste nihil ad causam nostram faciat (nobis enim res est de consensione doctrinae nostrae cum Augustana Confessione, non autem Westphalicis usurpationibus, quatenus alioqui nobis in ipsa Confessione commonstrari non possunt), gaudemus tamen illum jam extare. Nimirum in eo maliciosa prorsus calumniandi nostra omnia libido Westphalica conspici ac veluti digito commonstrari potest.

Respondebimus illi igitur et notulas numerorum singulis responsionis nostrae capitibus addemus, ut facilius appareat, ad quaenam respondeamus. 1. Localem inclusionem corporis Christi in pane Coenae a Westphalo constitui, nunquam me dixisse memini. Quare aut locum indicet in nostra Purgatione, quam sugillat, ubinam id facio, aut in mendacio ipsemet haereat, cuius me toties, mendax ipse, accusat. Impugno quidem ego localem omnem corporis Christi in pane Coenae inclusionem, quisquis illam (fol. 39) tandem quove cunque item modo statuat. Eam porro licet a se modis omnibus abigere Westphalus conetur, dum immensam corporis Christi ubiqueitatem somniat: tamen cum illam neque scripturae, neque item veterum testimoniis approbare vere potest, efficere illum id cum suis omnibus non posse dico, ut localem hanc inclusionem seu connexionem ullo modo excludat, nisi si utramque exclusam velit. Nullam enim aliam omnino sive in coelo sive in terra ullius rei praesentiam usquam nobis verbo Dei proditam habemus, nisi aut immensam, quae soli duntaxat Deo in Divinae Monadis suae triade propria est, aut localem, quam omnibus in universum creaturis sine exceptione ulla communem esse (inter quas sane et Christi Domini corpus numeramus) et Scripturarum et Veterum omnium testimonio constat. 2. Nostra nihil refert scire, quid Westphalus et sui cum Papistis agant, modo ne idololatriam Papisticam doctrina sua non tam sustulisse, quam potius mutare voluisse videantur. 3. Equidem nulli hominum addicti ita sumus, ut inter eius asseclas censeri velimus. Unum enim ac solum Christum Dominum Magistrum nostrum agnoscimus, in cuius solius nomen etiam baptizati sumus. Sed Berengarium nobis in hac potissimum causa adiungi patiemur, siquidem non aliud docuit, quam quod inter eius fragmenta apud Lanfrancum, eius adversarium, habetur. Caeterum oportebat sane commonstrasse errorem in Berengario et nobis, cuius nomine nos omnes pariter accusat. Quodsi nihil aliud extat Berengarii, quam quod apud Lanfrancum, illius antagonistam, ha-(fol. 40)betur, palam est Erinnym Westphalicam et viro inculpato, Berengario, et nobis, falso et maliciose ea adscribere, quae hic pro spiritus sui calumniatoris abundantia nobis adfingit, aut ab aliis adficta adscribit. Duo sunt autem, quorum nomine nostram hic doctrinam traducit, nempe ea, quae, producta sua et suorum doctrina, oppugnare conatur. Alterum est, quod panem et vinum Coenae sola elementa signa ac figuras ab-

sentis corporis et sanguinis Christi esse doceamus. Alterum vero, quod corpus et sanguinem Christi Domini non intelligamus ipsum corpus pro nobis traditum et ipsum sanguinem pro nobis effusum, sed signa potius figurasve aut symbola, item virtutem merita divinitatem societatem aut jus in corpore Christi Domini. Haec ita nobis hic adscribit Westphalus, quatenus ea omnia his, quae recensui, verbis, tanquam in nobis oppugnat. Ad haec igitur duo singulatim ego hic, quod ad me quidem potissimum attinet, omissis aliorum defensionibus brevitatis causa, respondebo. 4. De corporis et sanguinis Christi absentia data opera ita captiose loqui videtur Westphalus pro spiritus sui simplicitate, quam iactat, ut nonnisi cauda (quod dicitur) anguis in morem teneri possit. Facit autem hoc et hic et antea paulo, Par. 17, ad eius finem, ubi de praesentia corporis et sanguinis loquitur, ut facile appareat, eum non per imprudentiam id ullam facere, sed certo destinatoque suo consilio, quo nobis suas demum calumnias struat atque intendat. Non dicit, quam nos corporis et sanguinis Christi vel praesentiam vel absentiam in Coena Domi-(fol. 41)ni agnoscamus — hoc enim fucum calumniarum ipsius detexisset — sed tantum innuit, negari a nobis praesentiam, statui autem absentiam illorum, ut persuadeat scilicet, nuda ociosaque et inania signa in Coena a nobis constitui, quod vanissimum alioqui ipsius et syncretistarum suorum de nobis mendacium esse, ita iam alias ostendimus, ut hic denuo id repetere, nihil esse necessarium putemus. Hic vero ab ipso scire velim, de quanam loquatur sive praesentia sive absentia corporis et sanguinis Christi, num de absentia praesentiave in ipso pane et vino, aut mystica Coenae actione, ad quem modum est a Christo Domino instituta. Ego enim (ut pro me tantum hic respondeam) corporalem illam et corporis Christi naturalis in pane ipso, et sanguinis in vino, sive praesentiam, sive inclusionem, sive delitescentiam, quatenus sane nullo corporis nostri sensu percipitur, diserte ac simpliciter sine omni hypocrisi iamdudum nego, neque negasse aut poenitet aut pudet; nam fontes eius neque in Scripturis usquam, neque apud Orthodoxos primaevae post Apostolos Ecclesiae patres reperio, et cum humanae nostrae in Christo Domino naturae proprietatibus ac praecipuis fidei nostrae Articulis pugnare video. Caeterum a Coena sua abesse Christum corpore suo, modo ne usus Coenae terrenis eius elementis alligetur, adeo non affirmo, ut contrarium doceam, cum alibi, tum potissimum in nostra Purgatione. Absentiam igitur ab ipso panis et vini elemento hactenus agnosco in Coenae usu corporis et sanguinis Christi, quatenus neque localem neque immensam eorum in praedictis elementis praesen-(fol. 42)tiam inclusionemve aut delitescentiam, ut dixi, admitto.

Caeterum a sua Coena Christum Dominum corpore etiam et sanguine suo abesse, adeo rursum nego, ut hic potissimum effrenatam adversariorum nostra omnia calumniandi libidinem accusem, dum nos huius talis absentiae nomine in usu Sacramentorum signa nuda ociosa atque inania constituere clamant. Equidem nemo in scriptis nostrorum omnium comperiet panem et vinum Coenae esse sola elementa, aut alioqui absentis a sua Coena corporis et sanguinis Christi signa symbola ac figuras, sed quisque facile comperiet a nobis doceri, panem et vinum Coenae esse quidem et permanere in Coenae usu terrena elementa, quemadmodum et Scripturae ipsae et veteres omnes testantur, sed esse etiam sacra iam signa symbola antitypa et figuras — ita enim priores Ecclesiae Doctores loquuntur —, non sane virtutis tantum meritorumque et societatis jurisve socialis in corpore et sanguine Christi (haec enim non tam est nostra doctrina quam potius Westphalici spiritus maliciosa ad nectendas calumnias doctrinae nostrae depravatio), sed etiam veri una cum his omnibus, et non tantum vivi, sed etiam vivificantis omnes, qui illi in Coena participant, neque sacrosancti solum in sese, sed omnes etiam suas convivas vere et perfecte ad vitam aeternam sanctificantis, corporis et sanguinis Christi, multo minus autem absentis a sua Coena, quemadmodum Westphalica Erinnys calumniatur, sed praesentis omnino in sacra Coena et oculis et ori nostrae fidei in nobis, ut ea tam certo fidei nostrae oculis intueamur illisque tam certo ore nostrae (fol. 43) fidei non equidem ad mortem ullam, quemadmodum de impiis fingit Westphalus, sed ad vitam duntaxat aeternam pascamur in ipso Coenae usu, quam certo corporis nostri oculis manibus atque ore sacra illorum symbola intuemur contractamus et percipimus ex Christi Domini institutione; etiamsi neque aut localem ullam aut etiam immensam in Coenae elementis eorum sive praesentiam sive inclusionem sive delitescentiam, neque item communem impiis pariter atque piis eorum in Coena participationem, ullo omnino modo admittamus: nedum ut ea piis simul et impiis in aut sub ipsis Coenae elementis, sine pane ipso ac vino aut per panem ac vinum Coenae, Ministri ipsius manibus, realiter ac corporaliter porrigi tradique credamus. Quae hic fanatismi nescio cujus in nostra de fide doctrina homo phreneticus accusare conatur, ea suo loco postea per Dei gratiam, nempe in responsione ad 26um Paragraphum diluentur. 5. Hoc multo est adhuc impudentius, quod nobis adfingere hic conatur, nempe nos simpliciter aliud nihil sub nomine corporis et sanguinis Christi intelligere, quam signum figuram symbolum virtutem meritaque illorum, divinitatem Christi item et societatem seu ius sociale cum Christo Domino in corpore et sanguine illius. Ego porro, ut alibi ita et

hic, refutanda mihi non sumo, nisi quae ad me pertinere video. Non quod facere id non possim (gratia sit Domino), sed quod et compendium mihi hic quaerendum esse putem, et certus sim, illa iam olim refutata esse omnia refutarique etiamnum per alios multo, quam per me, et facilius hoc tempore et (fol. 44) etiam foelicius posse. Agnosco igitur ego doceri a me juxta usum Scripturae et orthodoxorum Patrum unanimem consensum, in verbis potissimum Coenae, ut vocant, tropicam corporis et sanguinis de pane et vino praedicationem esse, iuxta quam illic et corporis et sanguinis nomina pro eorum signis figuris symbolis atque antitypis usurpari dico. Agnosco item, in iisdem Coenae verbis sub corporis et sanguinis nomine designari nobis communionem nostram cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius, quae quidem in se complectatur vim merita et gloriam corporis et sanguinis Christi. Praeterea agnósco a me doceri, vocem communionis apud Paulum 1 Cor. 10, non equidem active accipi pro distributione per manus ministri, sed passive potius pro societate jureve sociali fidelium omnium in corpore et sanguine ipsius, quemadmodum id Paulus ipsemet apertissime et verbis disertis illic, et ipsa etiam rationatione sua testatur. Postremo illud quoque a me doceri agnosco, quod Coena Domini sit quidem et signum externum, et internum in nostris cordibus autore Spiritu sancto obsignaculum totius nostrae iam cum Christo Domino communionis seu societatis in corpore et sanguine ipsius iuxta doctrinam Pauli de sacramento Circumcisionis; sed tamen peculiariter illud nobis Coenae usu commendari dico in ea nostra cum Christo Domino communione, quod morte sua nobis ille in sacrosancto carnis nostrae corpore et sanguine promeruit et acquisivit: nempe peccatorum nostrorum per sanguinem ipsius emundationem, nostri iam per corporis ipsius ho-(fol. 45)stiam acceptationem, inque filios Dei consummatam morte ipsius adoptionem, ac proinde omnium iam suorum meritorum omnisque suae gloriae, quam factus homo in carnis nostrae corpore a Patre suo pro sua erga illum obedientia accepit, plenam certam et aeternam communionem, ut intelligamus, Coenae usu non tam celebrari nobisque commendari ex Christi Domini institutione ipsius incarnationem, per quam ipse in una et eadem nobiscum carne, a nobis accepta, frater noster esse dignatus est — tametsi illius quoque beneficium Coena Domini complectatur, quatenus sane non in alio ullo, sed in eius ipsius carnis nostrae a nobis acceptae corpore Christum pro nobis mortuum esse testatur, — quam potius mortem ipsius et quae nobis per illam parta habemus. Sic enim Paulus, non tam equidem incarnationem Coenae usu, quam mortem potius annunciari docet, et ipsemet Christus Dominus tradendi in

mortem corporis sui, non autem recepti per incarnationem, meminit in ipsa Coenae institutione. Haec ita, inquam, ego a me doceri fateor omnia, mihi alioqui cum multis aliis communia, non quidem in nostra Purgatione — illic enim non habetur, nisi quod ad probandam consensionem nostram cum ipsa Confessione pertinebat — sed in aliis libellis nostris, ex quibus Westphalus pertruncata quaedam ita arripit pro spiritus sui Prophetici prodigiosa simplicitate, ut calumniis suis depravet omnia nosque ita demum traducat. Ita et hic indulget Erinny suae, et, dum nos in verbis Coenae tropicam esse dicimus corporis et sanguinis praedicationem, ille mox ita id arripit, ut nos sub corporis nomi-(fol. 46)ne nihil usquam aliud nisi signa figuras symbola atque antitypa corporis intelligere clamet, non autem ipsum etiam corpus, quasi vero, negato corpore ipso, ulla illius signa ullae ve figurae aut symbola seu antitypa constitui possint, ac non potius, qui veracium alioqui corporis Christi symbolorum mysticam participationem agnoscunt, non simul etiam agnoscant veri corporis Christi veram etiam participationem, etiamsi nihil somnient de reali corporalique praesentia corporis in pane Coenae, sive immensa, sive locali, ad quem modum sane veteres olim ex ipsa symbolorum consideratione et veritatem ipsam corporis Dominici, et veram eius participationem adversus haereticos sui temporis propugnabant. Item dum sub corporis nomine in iisdem Coenae verbis designari dicimus iuxta Pauli interpretationem, non tam equidem substantiam ipsam, nempe carnem et ossa, quam potius communionem corporis Christi, id quoque ita arripit simplex iste veritatis assertor, ut duplicem hic calumniam nobis intendat, ét quod mihi ipse non constem in priore interpretatione, qua nomen corporis non pro communione, sed pro symbolo corporis accipi dicebam, atque ab aliis etiam hac in parte dissentiam, ét quod a corporis nomine ipsam substantiae eius significationem prorsus excludam. Quasi vero ét communionis vox eo loco apud Paulum non usurpetur pro symbolo monumento atque interno in nostris animis per spiritum sanctum obsignaculo ipsius communionis, ét a corporis nomine substantiae significationem plane excludam, dum eam uno aut altero loco inepte urgeri dico, cum (fol. 47) praesertim negari non possit, communionem corporis sine corpore ipso constitui haudquaquam posse. Rursus, dum communioni huic nostrae includo vim meritum et gloriam corporis et sanguinis Christi, hic quoque non quiescit Erinnys Westphalica, sed fidem verborum Christi per nos violari clamat, qui nomen corporis ita varie exponimus, velut nostri obliti scilicet, ut illud iam pro signo figura symbolo antitypo, iam vero pro communione societate seu sociale iure, ac rursus pro virtute merito et gloria corporis usurpemus. At vero oculos

Westphali excaecavit Erinnys ipsius aut verius dementavit, ut aut non recte nostra legat, aut studio maliciose ad calumniam detorqueat. Ego in parte nostrae cum Christo communionis vim merita ac gloriam corporis Christi ita statuo, ut illa sine his consistere non possit. Et postquam Paulus Apostolus nomen corporis per communionem corporis exponit, sane aut Paulum Apostolum accuset Westphalus, quod fidem verborum Christi sua interpretatione violet, aut desinat nostra calumniari, qui hactenus ad nomen corporis ea refero, sine quibus communio corporis consistere non potest, quatenus Paulus nomen corporis pro communione corporis intelligendum esse docet. Atque haec sane in praesentia ad depellendas Paragraphi huius calumnias sufficere puto. Illud tantum addam, Westphalum hoc toto Paragrapho nihil aliud efficere, quam quod ostendere conatur, nos a sua et suorum doctrina dissentire, id quod nos ipsi alioqui iamdudum profitemur, etiamsi ipse taceat. Sed interim non ostendit, doctrinam suam eandem esse cum doctri-(fol. 48)na Augustanae Confessionis, quam nos a nobis hic stare omnino et illi repugnare, verbis ipsius Confessionis et eius Apologiae manifeste docemus.

Ioan. à Lasco.

20.

Westphalus.

In hoc sensu legimus etiam veteres, Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, etc. usurpasse hoc genus loquutionis, et dixisse: In et Sub pane ac vino adesse et sumi Domini corpus et sanguinem.

Quanquam neque hic Paragraphus ad causam hic nostram quidquam omnino pertineat (nos enim in nostra Purgatione, quam hic Westphalus impugnandam suscepit, neque de sensu doctrinae Westphalicae, neque de Veterum sententia egimus, sed de Augustana duntaxat Confessione, in qua fontes doctrinae Westphalicae nusquam adhuc commonstratos videmus), tamen ad istas Westphali de veterum sententia gloriationes hoc saltem respondebo. Ubi Westphalus loca in Patribus commonstraverit, qui doctrinam ipsius approbent, tum me in iisdem ipsis Patribus doctrinam Westphalo plane adversariam commonstraturum esse: tantum abest, ut in sensu Westphalico loquuti sint unquam nostramque doctrinam ullo modo impugnent. Sed Westphalus ingeniose facit, quod Patres citat non productis ipsorum locis, ne, productis locis, fucus illius agnosceretur. Alioqui clam non est, qua fide veteres a Westphalo et suis citentur.

Ioan. à Lasco.

21.

Westphalus.

Violenter ergo detorquetur particula „cum" a

Digna est pro-(fol. 49)fecto tanto Propheta haec argu-

mentatio. Ipse cum suis alio sensu usurpat particulam cum, quam ego faciam. Ergo a me violenter ad tempus, quam ad locum, potius detorquetur. Equidem ita facile vicerit Westphalus, si quis illi accinat: αὐτὸς ἔφα. At vero eadem opera gladium in se mihi ipsemet porrigit, ut in ipsum rursus retorqueatur. Ad hunc modum Augustana ipsa Confessio, de qua hic potissimum agitur, pugnat manifeste cum Westphalica particulae **cum** interpretatione, quemadmodum id et in ipsa Purgatione nostra et hic iam uno etiam atque altero loco palam ostendimus. Ergo Westphalus cum suis, non modo violenter, sed impudenter quoque doctrinam Augustanae Confessionis depravare atque adulterare conatur, mutus interim ad nostras objectiones, petitas ex ipsa Confessione, cuius acerrimus alioqui propugnator videri cupit.

Polono ad tempus administrationis Coenae et sumptionis Panis et Vini, et nequicquam recepta una vocula, reliquae duae ab illo impugnantur.

Ioan. à Lasco.

Posteaquam videmur Westphalo formulam sermonis de praesentia dispensatione et participatione corporis et sanguinis Christi in usu Eucharistiae obtorto collo in carcerem nostrum trahere, quod illi novum, ut jactat, sensum inducamus, — equidem si constet, non tam a nobis, quam ab ipso potius id fieri, facile cuivis perspicuum erit, Westphalum et hic suo ipsius gladio iugulari. Iam vero in sequentibus paragraphis audiamus, utri nostrum novum sensum sermoni huic inducant, nec aliunde postulamus iudicari de tota Westphali nobiscum controversia, quam ex ipsiusmet Westphali verbis, quibus ille suam se doctrinam sequenti hoc Paragrapho explicare profitetur, cum tamen revera non tam suam, quam potius nostram doctrinam recenseat approbet et commendet, suamque facere conatur, quae nostra est et fuit semper, siquidem aliud nihil sentit, quam quod proximo hoc sequente Paragrapho profitetur.

22.

Westphalus.

Collo obtorto trahit etiam in suum carcerem formulam sermonis, quod dicitur: In usu Eucharistiae Christi corpus et sanguinem adesse dispensari et sumi. Huic sermoni Lascus (fol. 50) *aliique Sacramentarii inducunt novum sensum.*

Ioan. à Lasco.

Sistat hic gradum Westphalus et,

23.

Westphalus.

Nos intelligimus de usu ordinationis, hoc est,

credimus, tum sanctam Domini carnem et preciosum eius sanguinem adesse et sumi in Eucharistia, quando peragitur secundum eius institutionem.

nut se ipsemet nobiscum nnn haereseos Sacramentariae condemnet, aut nos secum una ab illa liberet. Nos enim idem plane et docuimus semper et nune constanter docemus, quod hic Paragraphus continet, uisi si West-(fol. 51) phalus in suis ipsius verbis novas rursum latebras quaerere velit. Etenim si vere agnoscit eum esse legitimum Dominicae ordinationis usum in Coena sua, sive in Eucharistia, ut credamus, corpus ipsum et sanguinem Christi Domini atque adeo ipsummet Christum adesse et sumi in sua Coena sive Eucharistia, tum praesertim, cum ea peragitur iuxta Christi Domini institutionem, — nosque id semper agnovimus atque hoc potissimum nomine particulam eum in Augustaun Confessiono ad tempus mysticae in Coena actionis potius, quam ad ipsa Coenae elementa locumve in illis ullum referendam esse docuimus, — ostendat Westphalus, cur id in nobis damnet, quod hic ipsemet diserte profitetur, nisi si voces illas tum et quando ad tempus ipsum Coenae sive Eucharistiae referendas esse neget, ne aut seipsum nobiscum damnare, aut nos secum una liberare videatur. Ostendat item, quo pacto usum ordinationis Dominicae in Coena sua negligi a nobis dicat, a se vero observari, cum nihil aliud hic agnoscat, quam et nos semper agnovimus. Quodsi inde colligit, corpus et sanguinem Christi Domini re ipsa, διὰ εἴδους, in pane Coenae esse (quatenus ubique est), in pane item dispensari et sumi, tum nos nihil huius ab ipso hic commemorari dicimus, et nihilominus hoc agi ab illo, ut de usu Dominicae ordinationis recte sentire videri velit. Collectioni vero ipsius non assentimur, si in pane ipso reipsa, διὰ εἴδους, corpus Christi ideo esse dispensari et sumi contendit, quod illud nobis, quando coena peragitur, vere in cibum vitae aeternae exhiberi, et vere a nobis ore fidei nostrae su-(fol. 52)mi credamus. Nos enim veram ac salutarem corporis et sanguinis Christi veri participationem in Coena statuimus per fidem cum catholica Christi Ecclesia, etiamsi in Coenae elementis nullam illorum quoquomodo neque localem inclusionem, neque immensam praesentiam, multo minus autem communem illam impiis pariter ac piis participationem agnoscamus. Inde vero facile est videre, uter nostrum, egone an vero Westphalus potius, formulam sermonis, cuius meminit, obtorto collo in suum trahat carcerem, inducto illi novo sensu et invecta nova doctrina de praesentia sive locali sive immensa corporis Christi in pane Coenae, ac communi impiis pariter atque piis illius manducatione, non modo incognita Catholicae Christi Ecclesiae, sed quae

etiam cum gloria et dignitate corporis Dominiei consistere nullo modo possit.

Ioan. à Lasco.

Si Westphalus nostris verbis de nostra sententia loqueretur, facile sese hominis impudentia hic proderet, cum calumniandi libidine conjuncta. Sed hoc ei non permittit Erinnys ipsius, ut locum calumniis suis faciat. (fol. 58) Nos usum fidei cum usu Coenae conjungimus, quatenus fidem convivarum Coenae omnium in legitimo illius usu necessario requiri ex Christi Domini institutione, una cum Augustana Confessione, docemus. Westphalus autem ideo a nobis usum ordinationis agnosci negat, quod in illo usum fidei urgeamus, quasi vero usus fidei cum usu Dominicae in Coena sua ordinationis consistere non possit. Quodsi ita separat usum fidei in Coena ab usu Dominicae ordinationis, ut alterum ab altero excludat, iam ei non modo nobiscum res erit, sed cum ipsa etiam Augustana Confessione [1]) et eius Apologia, ubi sane usus fidei in Coena cum usu Dominicae ordinationis ita conjungitur, ut fide ipsa percipere doceamur gratiam, quam Sacramenta significant, et Pharisaismi accusentur omnes, qui in usu sacramentorum usum fidei non requirunt, nedum ut alterum ab altero separent aut excludant quoquomodo. Si vero suo hoc discrimine Westphalus usum fidei in Coena ab usu Dominicae ordinationis non excludit, sed alterum in altero potius iuxta doctrinam Confessionis Augustanae requirit, tum ostendat, quonam modo id ipsum nos usui Dominicae in Coena sua ordinationis detrahamus, quod fidei tribuimus, in ipsa praesertim ordinatione. Jam vero et calumnias Westphali, quas hic nobis struit, intueamur. Primum dicit, usum fidei nobis idem plane esse, quod usum Coenae, adeoque et usum fidei a nobis usum Coenae vocari. Cur autem non commonstrat, ubinam haec doceamus? Satis illi est scilicet, si nos ita sen-

24.

Westphalus.

Sacramentarii intelligunt de usu fidei, qua animus sursum in coelum subvehitur et contemplatur Christum, sedentem in aliquo coeli loco. Hunc vocant Coenae usum et dicunt, in hoc usu percipi corpus et sanguinem Domini: non quae adsint in terra, ubi Coena peragitur, sed quae in loco coeli longe remota animus, eo subvectus, intueatur fidei contemplatione.

[1]) Artic. 13.

tire dicat, etiamsi nihil (fol. 54) horum neque dixerimus, neque cogitaverimus unquam; perinde atque ei satis est veteres orthodoxos Patres in doctrinae suae patrocinium citare, etiamsi illi omnes reclament. Ego vero etsi usum fidei cum usu Dominicae in Coena ordinationis coniunctum oportere esse semper docui, neque tamen dixi, neque etiam cogitavi unquam, idem plane esse fidei et Coenae usum, nedum ut usum fidei Coenae usum unquam omnino vocarim, — imo cum diserte doceo, Coenam (at alia Sacramenta omnia) duabus rebus constare, nempe terrena et coelesti, signo inquam et signi mysterio, quorum alterum sit sensibus expositum, alterum vero fide sola in Coenae usu percipiatur, — an non hic plus in usu Sacramentorum quam fidei duntaxat usum statuo? nisi si iuxta Westphali Grammaticam idem est, aliquid conjunctum esse alteri in una et eadem re, et rem ipsam aliud non esse, quam id quod in se aliqua ex parte complectitur. Nimirum hanc talem Grammaticam Westphalo Erinnys ipsius instillavit, ut viam illi strueret ad calumniandum nostra omnia. Rursum adfert et aliud aeque verum atque hoc prius. Dicit, me locum coeli nescio quem corpori et sanguini Christi statuere longe remotum a Coenae usu, sed locum non profert, unde id hauserit, quia nusquam est in omnibus scriptis meis. Coelum ego a terra non conditionis tantum discrimine, sed loci etiam intervallo discernere me fateor, secundum scripturas et unaninem Catholicae Dei Ecclesiae consensum. Caeterum nulli in coelo certo loco alligo usquam corpus Christi Domini, a quo sane sanguis ipsius separari amplius in aeternum non potest, sed di-(fol. 55)co esse in coelo, ubicunque vult et pro eo ac vult, non autem amplius hic in terris, ubi illum sub tempus illud restitutionis omnium expectamus, quemadmodum Petrus et Paulus Apostoli, denique et ipsi Angeli docent [1]). Multo minus autem locum coeli ullum eiusmodi assigno Christi corpori, qui sit longe remotus a Coenae usu. Westphalica sunt haec, non nostra, ut omnes intelligant, non nostra hic a Westphalo, sed suas ipsius, quas nobis intendit, calumnias oppugnari. Nos quidem Coenam Domini in terris peragi fatemur, quod ad signum illius potissimum a Christo Domino institutum attinet, sed Coenae mysterium terrae haudquaquam alligamus. Ita, etsi signa Coenae mysticae in terris hic oculis corporeis intuemur, fidei tamen oculis, autore Spiritu sancto sursum evectis, signorum mysterio fruimur ad vitam aeternam propter Christi Domini institutionem seu ordinationem: tantum abest, ut usum Dominicae in Coena ordinationis non agnoscamus, quemadmodum ex suo cerebro fingit Westphalus, aut negligamus.

[1]) Act. 3. 1 Thess. 1. Act. 1.

Ioan. à Lasco.

Particulam »sursum" localiter omnino expono, quandoquidem ad eum modum et in sacris illam et in profanis literis passim video usurpari. Christum Dominum item, circumscripto haud-dubie humanitatis nostrae corpore, coelo contineri atque in coelo ad dexteram Patris sui consedisse, certissime credo: in terris vero illum iuxta idem ipsum humanitatis nostrae corpus expectari, ut ita olim suo tempore descendat, quemadmodum post resurrectionem glorioso iam corpore suo ascendit in coelum. Haec inquam ego et credo et profiteor, neque hic maledicentiam ac praejudicia spiritus Westphalici moror, cum eius meae fidei ac doctrinae fontes clarissimos in scripturis extare videam, a quibus sane propter hominis furiosi maledicentiam recedere nec possum nec volo. Habeant sibi igitur Westphalus et omnes, qui cum ipso faciunt, suas interpretationes, quibus voces illae, sursum deorsum superne inferne ascendere et descendere, nullum loci discrimen designant; esse item in coelo, idem est, quod ubique esse, abiisse, ablatum a nobis esse, reliquisse mundum, ascendisse, aliud nihil est, quam disparuisse seu inconspicuum factum esse, venisse, descendisse, praecessisse, in medio constitisse, aliud nihil est, quam apparuisse, esse nihil est aliud, quam videri, (fol. 57) non esse, hic expectari, aliud nihil, quam non videri. Eas inquam et similes interpretationes habeant sibi Westphalus et syncretistae eius omnes. Nos, novae huius Grammatices ignari, simplicem vocum istarum omnium usum atque interpretationem, scripturis familiarem et a Catholica Christi Ecclesia receptam, sequi malumus, iuxta quam unanimi et scripturae totius et veterum omnium consensu per praedictas voces omnes certissime non conditionis modo, sed locorum etiam discrimina, apertissime designantur. Damnet ergo scripturas ipsas West-

25.

Westphalus.

Ideo Lascus particulam sursum *exponit localiter, quasi Christus ad dexteram Dei circumscriptus sedeat tantum in uno aliquo loco coeli, in terra vero non sit ad dexteram Dei in coena sacra. Insigniter depravat illud Apostoli di* (fol. 56)*centis: conversatio nostra in coelis est, cum scribit non minus impie quam impudenter, fidem nihil hic in terris intueri, sed, subvectam ad locum suae conversationis, illic quaerere et apprehendere corporis et sanguinis Christi cibum et potum.*

phalus, quae coeli locum a terra ita discernant ut locum coeli ipsum superna, terrae vero locum inferna esse testentur, nosque ita demum hortentur, ut ea quae sursum sunt (nempe in coelo), non autem ea quae infra sunt (nempe in terris), nedum quae ubique sunt, quaeramus et consideremus. Damnet item et Paulum Apostolum peculiariter, qui dexteram Dei (quod ad gloriae et majestatis Divinae splendorem immensum atque ineffabilem attinet) coelo circumscribit [1]). Qui consedit, inquit, ad dexteram Dei in coelis, — atque alibi rursum, Quae sursum sunt quaerite, ubi est Christus ad dexteram Dei sedens, nisi si Westphalus rursum vocibus istis etiam „ubi, ibi, unde" locorum discrimine iuxta spiritus sui Grammaticen designari neget. Hoc faciat, inquam, novus hic profeta Saxonicus, si Pauli doctrinam in nobis damnat, aut, si id non potest, in nos quoque blaterare cesset. De uno aliquo coeli loco proximo Paragrapho iam respondimus, nempe non nostram hic doctrinam a Westphalo, sed (fol. 58) sua ipsius figmenta oppugnari. Pauli locum de nostra in coelis conversatione insigniter a me depravari, dicit quidem, sed non docet. Ego porro, si quid hic depravo, cum ipsomet Paulo Apostolo, sui ipsius interprete, depravo, qui nos, ut iam est dictum, et quaerere et mentis nostrae oculis intueri vult, non equidem τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, hoc est, quae in terris vel sunt vel fiunt; sed τὰ ἄνω, hoc est, quae sursum sunt aut geruntur, ubi nostrae per fidem conversationis locum esse, et inde Christum Dominum expectari hic in terra a nobis, coenaeque usum hoc ipso expectationis tempore observari, donec veniat, oportere testatur. Aut igitur ipsummet Paulum insignem impium atque impudentem mecum una suipsius depravatorem faciat Westphalus in Erinnys suae gratiam, aut intelligat, in se id totum recidere, quod nobis falso impingit, seque in nobis accusandis insigniter insanire, dum a nobis Pauli locum insigniter depravari fingit.

Ioan. à Lasco.

26.

Westphalus.

Quis unquam legit vel audivit magis phanatica verba, quam quod fides nihil hic in terris intueatur? Ergo nec verbum intuetur, quod in terra praedicatur, nec Baptismum nec Coenam Dominicam, quae in terris administrantur, nec Christum quidem, etiamsi secundum promissionem suam cum fidelibus sit, ubi docetur Euangelium, Sacramenta rite dispensantur et nomen eius in-

Vicio exscriptoris aut typographi factum puto, ut post nihil vocula huius sit omissa, quae me omni Westphalici hujus fanatismi culpa liberatura erat, si omissa non (fol.59)

---

[1]) Hebr. 4. Ephes. 1. Colos. 3.

fuisset. Ita enim vocatur. *Non Deum Patrem intuetur, advenientem* legi in Purgatione *cum filio et spiritu sancto, et habitantem in iis,* nostra debebat: *qui diligunt Christum et sermonem eius servant.* „Cum illic doceatur (nempe in Augustana Confessione), fidem in „usu Sacramentorum requiri omninó, damneturque „eorum doctrina diserte, qui illam non requirunt, et doceatur prae„terea, fide ipsa percipi gratiam, quae sacramentis significatur osten„ditur et exhibetur, fides autem nostra n i h i l h u i u s hic in terris „intueatur, sed, ad suae conversationis locum autore spiritu sancto „subvecta, i l l i c salutarem illi corporis et sanguinis C h r i s t i cibum „quaerat intueatur et apprehendat," etc. Ita, inquam, legi in nostra Purgatione debebat. Et si vocula h u i u s praetermissa non fuisset, videre quisque poterat, me non loqui, nisi de gratia, quae Sacramentis significatur ostenditur et exhibetur, nempe communio seu societas ipsa cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius, verus alioqui cibus ac potus noster ad vitam aeternam; ac proinde nullum etiam locum fuisse futurum tragicis istiusmodi Westphali quiritationibus, nisi si Westphalus gratiam illam delatae nobis gratuito nostrae cum Christo Domino communionis in terra hic nobis terrenisve elementis quaerendam intuendam et apprehendendam (fol. 60) esse putat, quod ipse quidem suo periculo facere potest, sed nos eam i l l i c quaerere intueri et apprehendere malumus per fidem, ad Dei inquam i n c o e l o dexteram, u b i nos cum Christo Domino propter eam ipsam illius nobiscum et nostram secum iam aeternam prorsusque individuam communionem collocatos esse credimus, etiamsi id, absconditum in Christo adhuc, cernere non possimus [1]). Sed, etsi vocem illam h u i u s omissam fuisse Westphalus ignorabat, cogitare tamen debebat, siquidem nostra candide interpretari voluisset, referri oportuisse verba nostra omnia ad id potissimum, quod et praecedit et sequitur et in quo cardo omnis totius controversiae versatur, nempe ad gratiam, quae Sacramentorum omnium signis adumbratur, communionis inquam nostrae cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius, quae sane est verus ac salutaris cibus et potus noster ad vitam aeternam. Eam igitur communionis nostrae cum Christo gratiam, ostendere debebat Westphalus, percipi hic in

---

[1]) Ephes. 2.

terra posse ullo sensu nostro, siquidem illam hic in terra quaerere intueri et apprehendere debeamus. Si enim nullo hic sensu percipi potest, frustra equidem illam in terris hic quaeramus intueamur et apprehendamus. Aut, si sensu ullo percipi queat in vita hic nostra, tum sane abscondita esse dici non poterit in Christo apud Deum, quemadmodum Paulus docet, neque item corda nostra sursum nobis attollenda erunt in Coenae usu, quemadmodum hactenus docuit Ecclesia, sed in Westphali gratiam defigenda nobis erunt in terram ipsam eiusque elementa, in qui-(fol. 61)bus ille gratiam ipsam, quae Sacramentis significatur quaerendam intuendam et apprehendendam esse contendit. Sed ita Westphalum adflavit Erinnys ipsius, ut tragicis exagitationibus miscere malit omnia, quam serio cogitare de legitima aliqua controversiarum pacificatione. Quodsi tantopere offenditur Westphalus, dum fidem nihil eorum, quae hic in terra sunt, quaerere intueri et apprehendere doceo, quae in nullos alioqui sensus nostros incurrere possunt, sed sola fide apprehenduntur, cum Paulo Apostolo potius, quam mecum certamen instituat, illumque, non autem me, fanatismi accuset. Paulus enim Apostolus fidem nostram, non equidem circa praesentia hic in terris ullo modo, sed circa absentia versari docet [1]. Quatenus enim, quae sunt futura adhuc atque per omnem vitam hic nostram expectantur, praesentia hic reipsa neque dici neque esse possunt ullo modo, nedum ut hic quaeri cernive aut apprehendi possint, et non possunt rursum nisi futura esse, quae in spe sunt posita, circa quae potissimum Paulus fidem nostram versari docet, — hactenus sane perspicuum est, fidem absentium duntaxat rerum esse, non autem praesentium reipsa hic in terris ullo modo, nedum ut hic in terris res ullas, reipsa alioqui praesentes aut etiam conspicuas, quaerat intueatur et apprehendat. Rursus idem Paulus fidei nostrae praesentiam reali, ut ita loquar, praesentiae palam opponit, dum nos in vita hac nostra cum Christo Domino per fidem versari, reipsa autem διὰ εἴδους ab illo peregrinari docet [2]. Atque sane ita alioqui realem διὰ εἴδους praesentiam fidei ipsi (fol. 62) opponit, ut hanc una cum spe ipsa, posteaquam id quod expectamus reipsa advenerit, abolendam esse neque simul consistere posse testetur [3]. Postremo idem ipse Paulus prohibet (id quod iam antea quoque dictum est), ne ea, quae in terris sunt aut fiunt, sed, quae sursum sunt, quaeramus et intueamur [4]. Et addit rationem, nempe nos, quatenus Christo Domino vere commortui sumus in elementorum mundi huius observatione, quatenus item cum Christo et in Christo Domino surreximus, denique quatenus cum illo et in illo ad dexteram Patris

[1] Hebr. 11. [2] 2 Cor. 5. [3] 1 Cor. 13. [4] Colos. 3.

Dei in coelo collocati sumus [1]), non alibi sane nobis, quae ad salutem nostram faciunt, quam in Christo Domino, qui solus vitam dat mundo, quaerenda esse, et quidem ibi, ubi est, nempe in supernis, in coelo. Hic igitur aut Paulus mecum fanaticus erit Westphalo, aut Westphalus ipse phreneticus erit piis omnibus, qui doctrinam Apostolicam in nobis fanatismi accusat. Quae de Verbi, Sacramentorum Christi Domini, denique et Patris et filii et spiritûs sancti intuitu hic in terris opponere nobis conatur, nihil contra nos faciunt. Nos enim loquimur de his rebus, quae nullo sensu corporeo in vita hic nostra percipi possunt, sed sola duntaxat fide agnoscuntur et sentiuntur; Westphalus autem nobis opponit ea, quae Deus ipse in hoc ordinavit, ut ex parte sensibus etiam nostris corporeis percipi possint, cuius generis sunt Verbum vocale, ut vocant, et Sacramenta. Rursum opponit immensam Divinae apud nos hic triadis praesentiam, quasi eadem sit ratio Divinae et humanae naturae in Christo, ut quidquid Divinae in ipso (fol. 68) naturae tribuimus, id totum etiam humanae eius naturae tribuere necessario debeamus. Sed ad singula paucis respondebimus. Quodque ad verbum, quod praedicatur, inprimis attinet, si de salutari verbi auditu loquitur Westphalus, quemadmodum nos de salutari corporis et sanguinis Christi sumptione loquimur, tum sane neque auditum verbi salutarem hic nobis in terris quaerendum intuendumque aut sensu ullo corporeo percipiendum esse fateor, sed illinc, unde offertur, petendum ibique intuendum potissimum esse, nempe e supernis, ex ipso inquam coelo, unde nos regigni oportet etiam, ut regnum Dei videre possimus, unde item et fidem nostram cordibus nostris inseri oportet, denique unde omnem bonam ac salutarem donationem provenire docemur [2]). Sic et Christus ipsemet Dominus ad Petrum: Caro et sanguis, inquit, non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in coelis. Quodsi caro et sanguis nobis non revelat Christum Dominum, multo minus sane id efficit aspectus aut auditus corporeorum sensuum nostrorum in audiendo verbo, quod auribus praesertim nostris corporeis hic audimus. Sed alium longe auditum esse oportet, de quo Christus ipsemet Dominus testificatur, dum ait: Qui ex Deo est, verba mea audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis; nimirum e supernis ad salutarem illum verbi auditum afflari nos regignique oportet, per quem fides in nostris cordibus oriatur, ac proinde trahi nos a Patre Deo per spiritum suum prius eo oportet, ubi ille est, nempe in coelum ipsum, ut et audire vere ad salutem nostram verbum ipsius et Christum Do-(fol. 64)minum unigenitum suum filium videre regnum-

[1]) Ephes. 2. [2]) Joan. 8. Ephes. 2. Jacob. I.

que Dei ita demum introire possimus. In coelo enim existit, qui revelat omnia, quemadmodum Daniel testatur, et illinc dat omnia, quae ad salutem nostram pertinent quoquomodo, illucque etiam Christus Dominus ad eum profectus est in humanitatis nostrae corpore, ut erectis per fidem illuc mentis nostrae oculis atque auribus, dum Ecclesiastico hic adsumus ministerio, ibi cum eo versemur, ibi illum fidei nostrae oculis intueamur, fidei item auribus audiamus, et ibi quoque illo, ut vere salutari cibo nostro, pascamur ad vitam aeternam, sitque eadem, dum hic vivimus, et audiendi et intuendi Christi Domini ad salutem nostram ratio in verbi ab ipso instituto ministerio, quae est in ipso Sacramentorum usu legitimo, dum vel sanguine ipsius abluimur sub mysterio per baptismum tinctionis externae testimonio, vel ad contestandam nostram cum ipso communionem corpore et sanguine suo in coena sua vere pascimur propter eius institutionem. Ac, quemadmodum verbum Dei non est id, quod in Ecclesiae externo duntaxat ac sensibili ministerio praedicatur, iis praesertim, qui nec videntes vident nec audientes audiunt [1]), — ita neque Coenae usus externus tantum, quatenus sensibus nostris percipitur, est communio corporis et sanguinis Christi, neque panis item aut poculum Coenae sunt symbola corporis et sanguinis Christi iis, qui sine fide ad Coenam accedunt, et proinde ne Coena quidem ipsa externa est illis Coena Domini, dum cibum mysticum a cibo vulgari non discernunt, nedum ut in externo illo panis et poculi Coenae usu, corpori et sangui-(fol. 65)ni Christi communicent ullo modo [2]). Caro siquidem et sanguis Christi vere est cibus ac potus, non equidem ad mortem, sed ad vitam, ut, quisquis omnino ex illo edit ac bibit, non pereat, sed habeat vitam aeternam, et rursus pereat omnino, quisquis ex illo neque edit neque bibit [3]), ad quem sane modum Verbum Domini ipsum, non equidem mortis, sed spiritus et vitae verbum est [4]), etiamsi externum illius ministerium aliis sit odor vitae ad vitam, aliis vero odor mortis ad mortem, quemadmodum Apostolus docet [5]). Neque hic derogamus virtuti ac dignitati publici in Christi Ecclesia ministerii, sive Verbi, sive Sacramentorum, dum in illo discernimus id, quod sensibus nostris corporeis percipitur, ab eo, quod sola duntaxat fide agnosci atque apprehendi potest. Ac proinde aliam quoque sensuum, alteram vero fidei praesentiam in iis rebus constituimus iuxta Paulum, quas in se ministerium ipsum complectitur ex Divina ordinatione, pro eo ac vel sensibus nostris corporeis, vel sola duntaxat fide percipi possunt. Nihil agit Westphalus igitur tragica sua

[1]) Esa. 6. Matth. 13. Marci 4. Joan. 12. [2]) 1 Cor. 11. [3]) Joan. 6. [4]) Ibidem. [5]) 2 Cor. 2.

illa maledicentia, qua nos fanatismi accusat, eo quod fidem nihil eorum, quae in sensus nostras non cadunt, in terris hic quaerere intueri aut apprehendere doceamus. Quae de immensa Christi Domini totiusque adeo triadis Divinae nobiscum hic praesentia profert, nihil contra nos faciunt, neque ad nostram controversiam pertinent ullo modo. Nos immensam Dei, et patris et filii et spiritus sancti, ubique praesentiam semper agnovimus, adeoque soli Deo illam propriam esse neque ulli omnino creaturae usquam tribui ullo etiam modo posse docemus, — ac pro-(fol. 66)inde ne corpori quidem Christi Domini illam tribuimus, etiamsi illud personali unione Verbo Deo counitum esse non dubitemus, cum Verbum ipsum Deum esse, corpus vero Verbi non sane Deum, sed creaturam carnis nostrae, ex matre Virgine autore Spiritu sancto assumptae, esse, Scripturarum et Catholicae Christi Ecclesiae unanimi testimonio doceamur. Cum igitur de immensa Verbi, totiusque adeo triadis divinae praesentia nihil in quaestionem vocemus, cuius alioqui signa atque indicia in sensus nostros corporeos (Deo ita volente) incurrunt, sed de corporis duntaxat Christi praesentia controversia moveatur, quam nos illi (ut creaturae) localem duntaxat, non autem immensam (ut Deo verbo) tribuimus, — perspicuum est, obiectionem Westphali de immensa Christi, ut Dei, totiusque adeo triadis Divinae nobiscum hic in terris praesentia non in loco nobis opponi; et quod non sola fide tantum, sed externis etiam sensibus nostris percipiatur, quatenus sane in Deo vivimus sumus et movemur omnes, id quod Ethnici quoque testantur, et quia, quod immensum est, nullo usquam loco neque excludi neque circumscribi etiam potest. Probet prius igitur Westphalus corporis Christi immensam ubique praesentiam, de qua in scripturis nihil expressum habemus, et a priscis Ecclesiae primaevae Patribus illam Eutychianismi accusari legimus, quam nos illius nomine nescio cuius sui fanatismi accuset, aut blaterare in nos desinat, quod et primaevae post Apostolos Ecclesiae et Scripturarum in primis autoritatem turbulento ipsius spiritui anteponamus. Atque hoc ita Pa-(fol. 67)ragrapho isti Westphalico responsum esto.

27.

Ioan. à Lasco.

Pergit nostra calumniari Westphalus, et denuo ex suo addit quaedam, quae nos non cogitavimus unquam, imo quorum contraria verbis ex-

Westphalus.

Item, quod locus Christianae conversationis sit solummodo sursum supra nubes et non in terra etiam, ubicunque duo vel tres congregantur in nomine Christi, ubi verbum Dei docent, Baptismum et Coenam sanctam administrant, Deum invocant in spiritu et veritate, pie sancteque vivunt.

pressis docemus. Ait me locum Christianae nostrae conversationis constituere solummodo sursum supra nubes et non in terra, et addit de suo exclusivam illam vocem solummodo, ut calumniam odiosius intendat. Ego diserte in uno eodemque Christiano homine duplicem conversationem constituo, alteram, quae sit sensuum nostrorum, alteram, quae sit fidei. Et cum Paulo Apostolo doceo, ut antea ostendi, sensuum conversatione hic nos in terris circa ea versari et ea duntaxat intueri, quae hic etiam in terris διὰ εἴδους praesentia sensibus nostris percipi possunt, fidei vero conversatione nos versari in coelis, collocatos illic in Christo per fidem ad dexteram Patris Dei [1]). Erinnys autem Westphalica fingit, adiecta exclusiva voce sua solummodo, nullum me hic in terris locum permittere Christianae conversationi, quasi Christiana conversatio et sensuum simul et fidei conversa-(fol. 68)tionem in se non complectatur, etiamsi fides circa ea versatur, a quibus διὰ εἴδους peregrinamur, nimirum, quae futura adhuc inque spe ipsa posita, certa interim fiducia in Christo Domino, perinde atque si iam praesentia re ipsa essent, possidemus [2]). Sed male habet Westphalum tradita haec a Paulo praesentiae fidei ratio, quae realem illam in pane Coenae corporis Christi praesentiam funditus subvertit. Itaque fanaticam vult videri, ne ei Helena sua pereat, delitescentia inquam sua corporis et sanguinis Christi in Coenae elementis, pro qua ille sibi denuo cum suis depugnandum in furiarum suarum gratiam omniaque sursum ac deorsum permiscenda esse putavit. Ad reliqua hujus Paragraphi proximis iam duobus Paragraphis abunde nos respondisse existimamus.

28.

Westphalus.

In Epistola scripta ad regem Poloniae Luscus negat, ullos omnino fontes corporalis praesentiae Christi in coena extare in scriptura. Nunc contra scribit, se corporalem praesentiam Christi in coena nunquam negasse. Affirmat praeterea se agnoscere et semper agnovisse, Christum Dominum vere ac substantialiter suae coenae adesse. Si solis verbis intendas, miraberis hominem vel secum pugnare, eique cum fratercula suo Caloina

Ioan. à Lasco.

Tria hic mihi intentat Erinnys Westphalica, sed quorum culpa me rursum ipsemet liberat, ut in eo ipso, quod mihi adscribit, semetipsum impudentis mentiendi calumniandique

[1]) Ephes. 3. Colos. 3. [2]) 2 Cor. 5. Hebr. 11.

nostra omnia impudentiae accu-(fol. 69)set. Primum igitur me mecum in eo pugnare ait, quod alias (nempe in mea ad Regem Poloniae Epistola) negarim, ullos omnino fontes in scripturis extare corporalis Christi in Coena sua praesentiae,—nunc contra affirmem, nunquam me negasse corporalem Christi praesentiam in sua Coena. Deinde in eo me quoque mecum pugnare dicit, quod profiteor, me agnoscere, Christum Dominum substantialiter adesse suae Coenae, nisi a Domino Calvino olim dissensisse videri velim (quam interim non sine felle fraterculum meum vocat), qui a Luthero et Westphalicis Eccle-(fol. 70)siis ideo se dissentire fatetur scilicet, quod asserant, Christum Dominum adesse substantialiter corpore suo, in sacramento communionis. Postremo vigilans somniat nescio quid de mea, si Deo placet, resipiscentia, suasque de reali corporis Christi naturalis διὰ εἴδους in pane Coenae delitescentia praestigias meliorem sententiam esse ante victoriam ex prophetico tripode suo pronunciat. Haec tamen ita facit omnia, ut suis ipsemet verbis agnoscat, vana esse, si verborum nostrorum declaratio, quam ipse alioqui more suo depravat, adhibeatur. Sed nos ad singula respondebimus, et in singulis impotentem hominis furiosi mentiendi libidinem ostendemus. Quodque ad primam accusationem inconstantiae meae in doctrina mea attinet, bis splendide mentitur tantus veritatis propugnatur: primum, dum asseverat, nullos me in scripturis fontes agnoscere corporalis Christi praesentiae

male convenire, qui fatetur se dissentire a D. Luthero et nostris Ecclesiis, asserentibus, quod Christus Dominus in Sacramento communionis adsit substantialiter corpore suo, — vel plane retractare errorem inque meliorem sententiam discedere. Verum ne quid tale in animum inducas, satis se declarat in eodem hoc scripto, se adhuc in suo coeno haerere. Nam praemittit et aliquoties repetit, in coelo (non in terra) quaerendum esse cibum corporis Christi; bis terque addit, se ita non negare corporalem praesentiam, si intelligas usum et spiritualem perceptionem fidei, et non alliges usum coenae terrae eiusve elementis. [illegible]

in sua Coena; deinde dum affirmat, me talem nunc praesentiam Christi Domini in corpore suo agnoscere, qualem antea negabam. Id porro utrunque ut magis conspicuum omnibus fiat, recitabimus utraque ea de re verba nostrae ad Regem Poloniae Epistolae, quam hic citat Westphalus, si modo summam totius controversiae huius Sacramentariae prius paucis, ut in ea ipsa Epistola habetur, exponamus. Testor igitur verbis disertis in ea ipsa mea Epistola (id quod alias quoque multo antea sum testatus), nos et accusari simul et damnari, quod Christum Dominum corpore suo pani Coenae neque inesse neque subesse corporaliter, multo minus in illo delitescere dicamus. Catonum vero no-(fol. 71)strorum calumniis id fieri, ut, quod Coenae elementis adimimus, id totum illi Sacramento toti Coenae Dominicae per nos adimi clament, et ad totam Christi mysticam institutionem calumniose trahant, quae nos de ipsis Coenae duntaxat elementis docemus. Testantur id verba ipsa mene ad Regem Poloniae Epistolae duobus locis, ut alia omittam. Primus locus est — si quis Paginas ipsas numeret — Pagina 31 in principio, ubi capita nostrae cum Erinny Westphalica controversiae recenseo. Is vero sic habet: »Duo sunt, »quorum nomine potissimum a farraginum nescio quarum sartoribus »(si superis placet) et accusamur simul et condemnamur. Alterum, »quod in Ecclesiastico ministerio Dei ipsius opus proprium in ministri opus non transferamus. Alterum, quod in **Coenae Dominicae elementis** realem, ut vocant, corporis et sanguinis Christi »delitescentiam iuxta naturalem ipsius substantiam" non statuamus. Alter locus est, quo conquerimur, ad totam Coenae, ut est a Christo instituta, mysticam actionem calumniose detorqueri, quae a nobis de sola in elementis duntaxat Coenae controversa illa corporis et sanguinis Christi delitescentia dicuntur. Is vero etiam sic habet, et habetur Pagina 80: »Quod porro me blasphemiam in Christi Domini »institutionem vocat, eiusdem fere generis est, hoc est, grave sane »si verum esset, sed iam leve quia vanum est. Scripta porro mea »testantur, atque hic libellus testabitur, quam reverenter de Coenae »Dominicae institutione et sentiamus et doceamus. Sed ipse, quae de »delitescentia hac sua loquimur, ad totam Christi institutio-(fol. 72) »nem detorquere conatur, quae interim, nempe delitescentia, nihilo »magis pertinet ad **Christi institutionem**, quam Papistica tran»substantiatio." Haec ita, inquam, leguntur in mea ad Regem Poloniae Epistola, ex quibus facile est videre, me, non equidem de Christi Domini in Coena sua praesentia, sed de corporis Christi in Coenae duntaxat pane delitescentia loqui. Accusari item a me eorum calumniam, qui ad totum Coenae sacramentum detorquent, quod de Coenae elementis dicimus. Unde etiam perspicuum est, splendide mentiri West-

phalum, qui tamen incomparabilis propugnator veritatis vult haberi, dum a me negari dicit in mea ad Regem meum Epistola, extare fontes ullos in Scripturis corporalis Christi in Coena sua praesentiae, eo quod fontes corporalis in pane ipso Coenae delitescentiae corporis Christi extare negemus. Sed et locus ipse, quem citat ex eadem ipsa ad Regem meum Epistola, manifesti illum mendacii convincit. Loquor enim illic potissimum de ea alioqui praesentia, quam Westphalus suae delitescentiae et communi piis pariter atque impiis manducationi corporis Christi obtendere conatur. Verba nostra sic habent, Pagina 57 in fine: „Cum igitur Catones nostri propugnandam sibi sumant confictam sub Papatu corporalem in pane Coenae naturalis Christi corporis praesentiam et manducationem — nisi quod eam Papa per suam transubstantiationem, isti vero per novum nescio quod delitescentiae genus tueri volunt — haec sane illis evidenter probanda esset, priusquam descendant ad nostras, qui illam oppugnamus, obiectiones (fol. 73). Cumque fontes *eius suae praesentiae* in verbis Coenae, quemadmodum et Papistae, commonstrare conentur, illa nobis sane ante omnia nude ac simpliciter exponere debebant, posteaquam clarissima esse iactant (et quidem iuxta omnium particularum ordinem), ostendereque ad quem modum iuxta usum familiarem atque unanimem consensum Scripturae pro ipsis faciant. Nos enim constantissime negamus, ullos omnino fontes corporalis illius praesentiae in verbis illis extare, nedum ut ex eis vel Papistica transubstantiatio vel Catonum istorum delitescentia cum corporali, quam statuunt, manducatione colligi ullo modo possit." Haec mea sunt verba in ea, quam Westphalus hic citat, ad Regem meum Epistola; in quibus vellem ostenderet, me aut tum negasse quod nunc agnosco, aut nunc agnoscere in nostra Purgatione quod tum negabam. Quam enim nunc agnosco Christi Domini, corpore etiam suo, in Coena sua praesentiam, siquidem eius usus terrenis Coenae elementis non alligetur, eandem me semper agnovisse, libelli omnes nostri expresse testantur, adeoque et eadem ipsa ad Regem meum Epistola, dum iuxta doctrinam Augustanae confessionis, una cum Coenae elementis, fateor, nobis revera exhiberi et revera etiam a nobis percipi verum corpus et sanguinem Christi. Quo pacto enim vere exhiberetur aut perciperetur cum pane Coenae corpus Christi, si Christus Dominus corpore etiam suo Coenae suae non adesset? Sed, etsi semper agnovi, quemadmodum et nunc agnosco, Christi Domini corpore etiam suo in Coena sua praesentiam, sic ut illo per (fol. 74) fidem vere pascamur ad vitam aeternam, — non ideo tamen aut nunc agnosco aut agnovi antea, ex quo ad veritatis cognitionem Dei beneficio perveni, corporalem Christi in Coena sua ullam eiusmodi praesentiam, quae secum adferat sive

Westphalicam delitescentiam, sive Papisticam transubstantiationem. Bis igitur hic mentitur Propheta Saxonicus, dum me et antea negasse dicit quae nunc agnosco, et nunc demum agnoscere quae antea negabam. Sed hoc facile devorabit, invictus scilicet veritatis assertor, qui nihil fere aliud agit, quam mentitur passim calumniisque suis depravat omnia et, furiis suis inflammatus, sursum ac deorsum miscere omnia conatur.

Sed et in altera mei hic accusatione mendacia adhuc mendaciis accumulare pergit. Ait enim, me a Domino Calvino dissentire, si Christum Dominum nobis in Coena sua iuxta ipsam etiam corporis sui substantiam adesse dicam, eo quod D. Calvinus eius ipsius praesentiae nomine a Luthero se et Westphalicis Ecclesiis dissentire fatetur. Quo equidem loco bis rursum non erubescit mentiri Propheta hic Hamburgicus. Primum enim non dissentio a Calvino, dum nobis Christum Dominum substantialiter, etiam corpore suo, in Coena sua adesse dico, siquidem Coenae usus — quod pluries alioqui repeto — terrenis illius elementis non alligetur. Nam et D. Calvinus eandem mecum Christi Domini in Coena sua praesentiam passim in omnibus scriptis suis agnoscit, dum nos, arcana Spiritus sancti virtute ad Christum Dominum subvectos per fidem, vitam nostram ex ipsa corporis Christi substantia promanantem in usu Coenae haurire do-(fol. 75)cet, nisi si Erinnys Westphalica Christum Dominum a nobis adhuc excludere conetur, dum promanantem ex ipsa corporis Christi substantia vitam nostram in Coena ipsius haurimus, et illis praesentem sistat adeoque et in pane deglutiendum praebeat, sine vita spiritu et gloria ipsius, qui, Judae instar, Coenam Domini, quod in ipsis est, contaminant et sua impietate labefactant. Deinde neque Calvinus a Luthero et Westphalicis dissentit Ecclesiis, propterea quod asserunt, Christum Dominum in Sacramento communionis corpore suo substantialiter adesse — hoc enim cum Calvino, absit modo calumnia, consentienter omnes agnoscimus — sed et a Luthero et a Westphali Syncretistis omnes etiam dissentimus, quod illi, reclamantibus et Scripturis et primaevae post Apostolos Ecclesiae Doctoribus omnibus, denique non sine manifesta Christi Domini contumelia, sacrosanctum illius corpus (ut illud pani Coenae sive includant sive connectant) vita spiritu ac gloria sua spoliant inque immensum expandunt, et impiis palamque flagitiosis hominibus indignissime prostituunt. Haec si non agnoscit Westphalus, e libris ea suis et suorum expungat, et mox erit concordia. Si vero urgere ista ac propugnare pergit, desinat simplicioribus fucum facere, quasi ideo sua improbemus, quod ipse asserat, Christum Dominum in Sacramento communionis corpore suo substantialiter adesse. Et in altera igitur hac nostri accusatione bis mentitur Westphalus, et cum me a D. Calvino

dissentire fingit, ét cum falso causam dissidii inter se et nos recenset. Mitto hic hominis insulsam arrogantiam, dum (fol. 76) Calvinum contemptim fraterculum meum vocat, quasi ipse tantus sit, cuius censurae orbis universus e vestigio subscribat. At vero notior est orbi iam Domini Calvini eruditio integritas ac fides, quam ut Westphalicae Erinnys morsibus ac latratu obscurari possit, et me adeo non pudet fraternae cum ipso societatis et coniunctionis, ut eam mihi in praecipua hic foelicitatis meae parte libenter ponam. Sed intueatur Westphalus suos paterculos, quorum titulos perpetuo crepat, quibus si Postillas modo vulgares adimas, et maledicentiae frena adstringas, nihil fere superest, quod in medium adferre possint. Quid! quod se suis ipsemet verbis mendacii coarguit, dum me eodem pene oris flatu et resipiscere et in coeno rursus meo scilicet haerere ait. Si resipisco, quomodo in coeno haereo? Aut quomodo haereo, si resipiscere videor? Sed addit conditionem homo cautus: Si solis, inquit, verbis intendas, miraberis etc. At vero, si verba mea eiusmodi sunt visa Westphalo ipsi, ut in eam, quam ipse somniat, admirationem vel ipsummet vel alios inducere possint, — quo pacto, obsecro, simul et admiratur, me aut mecum pugnare aut errorem meum plane retractare, et interim pronunciat me in coeno meo haerere? Hoc nimirum inflavit tanto veritatis assertori Propheticus ipsius spiritus, ut simul et admiretur meliora scilicet, et deteriora nihilominus affirmet, hoc est, ut se utrobique nugari ac mentiri ostendat. Illud praeclarum est, quod suam doctrinam meliorem sententiam vocat. Hoc scilicet nemo credet nisi ex Westphalo audiat, aut nemo rursum negabit si id (fol. 77) Westphalus affirmet, qui sese alioqui tot simul Gigantibus, ut iactat, Sacramentariis pro zeli sui, hoc est, impudentis arrogantiae suae, magnitudine opponere non dubitavit, quasi non satis iam sit testatum orbi, quare doctrinam ipsius et syncretistarum suorum improbemus. Sed et hoc suam vanitatem prodit Westphalus, quod, si quis verbis meis intendat, aliud de me cogitaturus sit, quam si ea observet, quae et praemitto et aliquoties repeto et bis item terque demum etiam addo, quasi quis aut verbis meis intendere dicendus sit, qui vel non videt vel non vult videre, quod verbis expressis praemitto, aliquoties repeto, bisque ac ter demum addo; aut haec alioqui observare possit nisi verbis meis intendat, — nisi quod ita scurriliter nugari maluit Atlas Saxonicus, quam tacere, cum, quod diceret, aliud non habebat.

Ioan. à Lasco.

Quae de filio Dei
hic dicit, partim a-
gnoscimus, partim

29.

Westphalus.

Filio Dei placuit Coenam suam consistere duo-
bus rebus, terrena et coelesti, et hanc per illam

distribuere, hoc est, corpus et sanguinem suum dare in alimoniam Ecclesiae suae cum pane et vino. Ille Ecclesiam suam alligavit suo verbo, ordinatione et mandato ad sumendum panem et vinum, et cum his corpus et sanguinem suum.

negamus. Fatemur et semper professi sumus, Coenam Domini duabus rebus constare, terrena et coelesti: nempe externo ac sensibili Coenae signo, externa (fol. 78) inquam ac sensibili panis et poculi Coenae participatione, qualem Christus instituit, dum ait: „Hoc facite", et interna per fidem in nostris animis Spiritu sancto autore corporis et sanguinis Christi communione. Sed negamus, per panem Coenae ac poculum ipsum distribui corpus ipsum et sanguinem Christi: hoc enim non habetur in Christi institutione. Hanc igitur per panem seu in pane, sive sub pane (re inquam terrena) rei coelestis, nempe corporis Christi, manibus ministri distributionem probet Westphalus, si doctrinam suam approbare velit particulasque per et cum non confundat. Alioqui nihil facit ad doctrinae suae confirmationem, si, quod nunquam negavimus, corpus et sanguinem Christi cum pane et vino Coenae Ecclesiae verae suae, hoc est, fidelium coetui dari dicamus. Item si fateamur, de quo nunquam dubitavimus, nempe filium Dei ita alligasse suam Ecclesiam ad sumendum panem et vinum Coenae suae mysticae, verbo ordinatione et mandato suo, ut cum his simul etiam sumat per fidem ipsam corpus et sanguinem ipsius. Non enim efficitur, ut, si id fateamur, Westphalicam simul etiam, sive localem, sive immensam corporis Christi in pane aut sub pane Coenae praesentiam et communem piis pariter atque impiis eius participationem protinus agnoscamus. Nimirum facilius est Westphalo, quae sunt confessa, urgere, quam controversa probare, ne, etsi nihil agat, nihil interim agere videatur.

30.

Westphalus.

Calumniose igitur La-(fol. 79)scus nos accusat, usum coenae alligari a nobis elementis terrenis. Auget etiam sceleratam calumniam, dum falso adfingit exclusivam, nos solummodo alligare elementis. Non enim ponimus Sacramenti usum in solius panis et vini sumptione, nec quidem in sola corporali manducatione, sed conjunctim in iis fideliter faciendis, quae Dominus facere jussit, dicens: Accipite edite, hoc est corpus meum; hoc

Ioan. à Lasco.

Non delassatur maledicendo Erinnys Westphalica, et sui similes videri omnes cupit. Cumque nullum mentiendi calumniandique omnia, neque modum, neque finem habeat, eun-

dem notam inspergere nobis pari impudentia conatur. Calumniam vocat, quod ab ipso et suis usum Coenae terrenis elementis alligari dico, et sceleratam¹) hanc calumniam augeri

facite in mei commemorationem.

adhuc clamat, dum ei falso exclusivam vocem solummodo adfingo. Audiat igitur homo verax scilicet, qui nos sceleratae calumniae accusat. An non eum esse verum Coenae usum fatetur, si in Coena corpori et sanguini Christi verè participemus? An item non vere participent, quicunque in Coena pani et vino participant, siquidem pani ipsi ac vino realiter et corporaliter insint vel subsint vel adsint corpus et sanguis Christi? Haec duo ego a Westphalo aut negari aut agnosci velim. Quorum si prius neget, res illi, cum Paulo Apostolo, non mecum erit, qui panem, quem fran-(fol. 80)gimus, communionem corporis, et calicem, quo laudes celebramus, communionem sanguinis esse docet. Si concedat, simul etiam fatebitur, usum Coenae consistere potissimum in corporis et sanguinis Christi participatione. Rursum, si posterius neget, secum ipse pugnabit in communi illa piis pariter atque impiis corporis et sanguinis Christi in Coenae usu participatione. Si vero agnoscit, iam ostendat, quomodo se non ipsemet ei culpae involvat, qua nos illam teneri dicimus, ut nos calumniae, et quidem sceleratae, accuset. Sic enim ratiocinamur. Quisquis legitimum Coenae usum constituit in vera potissimum veri corporis et sanguinis Christi participatione, et veram rursus veri etiam corporis et sanguinis Christi participationem constituit in panis duntaxat ipsius et poculi Coenae externa sine fide sumptione, — is sane iam legitimum Coenae usum eadem simul opera alligat ad terrena Coenae elementa tantum, nempe panem et vinum. Westphalus et sui (dum pani et vino, quae terrena sunt elementa procul dubio, corpus ipsum et sanguinem Christi verum realiter ac corporaliter ita aut inesse aut subesse aut adesse docent, ut vel in pane ipso ac poculo Coenae, vel sub pane ac poculo, vel per panem ac poculum, Ministri ipsius manibus piis pariter atque impiis distribui atque a piis simul item ac impiis ore carnali, etiam sine fide, percipi contendant) ipsam hauddubie corporis et sanguinis Christi participationem constituunt, quod in ipsis est, in sola externa illa etiam sine fide panis et poculi Coenae, terrenorum alioqui elementorum, e Mini-(fol. 81)stri

manibus participatione. Ergo Westphalus et sui — dum pani ipsi et vino Coenae, etc. — eadem sane opera alligant omnino legitimum Coenae usum ad terrena illius elementa, nempe panem et vinum. Expediat se hinc Westphalus, aut intelligat, non equidem nos, sed seipsum teneri culpa sceleratae atque mendacis calumniae, quam nobis falso et impudenter impingit. Et conatur ipse quidem se expedire, sed ita id facit, ut semetipsum ei culpae involvat, qua se liberare conatur. Ait se usum Sacramenti non ponere in solius panis et vini sumptione, ac ne in corporali quidem sola manducatione, sed in iis coniunctim faciendis, idque fideliter, quae Dominus facere iussit, cum a nobis non equidem ideo accusetur, quasi separatim in corporali solummodo aut panis solius aut corporis ac sanguinis Christi sumptione usum Sacramenti ponat, sed quod et panis simul ac vini, et corporis item ac sanguinis Christi coniunctim, corporalem participationem in usu Sacramenti constituat, atque huic suo somnio obtendat Dominicam institutionem, in qua nihil huius commonstrari potest. In tota enim Christi Domini institutione nusquam docemur, corpus et sanguinem ipsius corporaliter ita aut inesse aut subesse aut adesse terrenis Coenae elementis, pani inquam et vino, ut in illis aut sub illis aut per illa, Ministri manibus, corporaliter porrigi ac distribui ac proinde a piis pariter atque impiis percipi corporaliter aut debeant aut possint ullo modo. Deinde, si corporalis duntaxat coniunctim panis et corporis Christi manducatio ad usum (fol. 82) Sacramenti sine fide Westphalo satis est in Coenae usu, iam ipsemet declarat, se in usu Sacramentorum fidem non requirere ullo modo, ac proinde se dissentire a confessione Augustana, in qua haec doctrina Pharisaismi damnatur. Si vero illi satis non est in Coenae usu sola corporalis manducatio, tum secum ipse pugnabit in communi illa piis simul atque impiis corporis Christi manducatione. Fides enim non modo non requirit corporalem ullam sive praesentiam sive manducationem, sed eam ne admittit quidem. Deligat sibi Westphalus igitur, secum ne ipse, an vero cum Augustana confessione pugnare malit.

81.

Westphalus.

Improbe etiam onerat nos tetro mendacio, nos ideo dicere, Sacramentarios ab Augustana confessione dissentire, quod agnoscere nolint, Christi corpus in immensum expandi, seu extendi. Fides nostra ex claro et infallibili verbo Dei est: Christum non in uno loco, sed ubique sedere ad dexteram Patris omnipotentis, ac iuxta veritatem

Ioan. à Lasco.

Ita iam Westphali animum occupavit prodigiosa illa de corporis Christi ubiquitate imaginatio, ut et se quoque ubique esse somniet, et

promissionis suae adesse in medio duorum vel trium vel plurium collectorum in nomine eius, — et secundum verissima verba sua, corpus et sanguinem suum dare in communione Coenae, ubicunque rite ex mandato eius peragitur; nec tantum spiritualiter, nec sola divinitate, sed etiam corpore suo et sanguine, adesse et pascere suam Ecclesiam.

in se dictum putet, quidquid ubivis in alios dicitur. Mihi sane non cum Westphalo tantum res est Sacramentariae controversiae nomine; et certe de (fol. 83) Westphalo non multum cogitabamus, cum Purgationem nostram scriberemus. Unde igitur novit Westphalus, se improbe a nobis tetro mendacio onerari? nisi si ipse sub suo clipeo tutos fore omnes putat, Aiacis instar, qui postea correptus furiis in pecudes, loco hominum, saeviebat. Sed esto, de Westphalo id scripserim. An non Westphalus eandem vult videri doctrinam suam cum Augustana Confessione, sic ut, qui ab ipso dissentiunt, ab Augustana etiam Confessione dissentire omnes clamet? An rursum non tuetur ille immensam ubique corporis Christi praesentiam, quam nos ex professo oppugnamus? Quatenus igitur immensam illam ubique corporis Christi praesentiam propugnat Westphalus, et suam doctrinam cum Augustana Confessione eandem esse contendit, an non etiam ab Augustana Confessione nos dissentire putat, posteaquam ab ipso dissentimus? Si id agnoscit, ubi est tetrum illud mendacium, quo se et suos a me improbe onerari ait? Si non agnoscit, quomodo suam et Confessionis Augustanae doctrinam pro eadem vult haberi? Aut ergo ne iactet suam cum Confessione Augustana consensionem, nedum ut se illius propugnatorem esse somniet, aut tetrum illud improbumque scilicet, quod mihi obtendit, mendacium, in se recidere intelligat (fol. 84), et seipsum improbum ac mendacem calumniatorem esse agnoscat, qui nobis impudenter ac malitiose tetrum mendacium obtendit. Quod vero fidem suam claro et infallibili verbo niti ait, facit more suo, nempe ut, ubi se omnia iam probasse putat, nihil interim adferat, quod contra nos faciat. Nobis nulla est controversia de Christi Domini hypostasi seu persona, quem iuxta naturae divinae proprietatem cum Deo Patre et Spiritu sancto omnia explere, omnia ubique sustentare et gubernare non dubitamus; sed res

nobis est de corporis humani proprietate in Christo. Nihil igitur adversum nos agit Westphalus, dum Christum Dominum semper et ubique in duorum aut trium vel plurium medio revera adesse dicit. Multo minus autem contra nos facit, quod addit, Christum Dominum in communione Coenae, ubicunque rite peragitur, dare suis omnibus corpus et sanguinem suum adesseqne corpore ipso et sanguine suo revera suae Coenae et pascere suam Ecclesiam. Nunquam enim id negavimus, sed his omnibus non effici ea dicimus, quorum nomine accusamur, nempe ut ipsam corporis et sanguinis Christi naturalis substantiam in pane ipso aut sub pane Coenae esse, paneque ipso per manus Ministri exhiberi porrigique atque ore carnali a piis pariter atque impiis percipi, credamus. Horum nihil, inquam, a Westphalo doceri adhuc videmus, etiamsi nescio quos triumphos iam sibi et nescio quae encomia ipsemet decernat.

32.

Westphalus.

Haec docere et credere est istis calumniatoribus, corpus Christi expandere seu extendere per coelum et terram. Scimus eum semel expansum et extensum in cruce, non amplius expandi neque extendi corpus eius immortale et gloriosum, sedens ad dexteram Dei.

Ioan. à Lasco.

Mirum videri posset haec a (fol. 85) Westphalo ita dici, nisi suam ipsemet impudentiam atque effrontem prorsus mentiendi libidinem toti orbi testatam abunde scriptis suis reddidisset. Ita cum nihil aliud hic agat, quam mentiatur ipsemet et calumniis suis depravare nostra omnia conetur, calumniae nos accusat. Toties iam testati sumus, nos et credidisse semper et docuisse ea omnia, quorum nomine se a nobis hic per calumniam accusari fingit, ut, qui modo nostra legerunt, facile videre possint, longe aliam esse causam, propter quam nos ab ipso Christi Domini corpus in immensum expandi dicimus. Neque enim propterea id facimus, quod ipse Christum Dominum in medio duorum triumve aut plurium, in nomine eius collectorum, revera adesse, quod item corpore et sanguine suo illum in Coena sua praesentem esse et eodem ipso corpore ac sanguine suo Ecclesiam suam pascere affirmet, sed quod statuere cum suis conatur immensam quandam corporis et sanguinis Christi in pane aut sub pane Coenae delitescentiam, et corporalem eorum per manus Ministri porrectionem, corporalem item et piis pariter et impiis, e Ministri manibus, ore carnali eorum participationem. Haec enim sine prodigiosa illa, cuius Tertullianus quoque meminit, (fol. 86) corporis Christi in immensum distractione seu expansione constitui non possunt. Quare si haec docet Westphalus

cum suis, non equidem calumniamur, sed vere dicimus, ab ipso et suis syncretistis corpus Christi Domini in immensum expandi seu extendi, doctrinamque hanc accusamus, quod et scripturis ipsis et unanimi Catholicae Ecclesiae menti atque consensui manifeste repugnet. Si vero haec iam non docet Westphalus, nos quoque multo libentissime nostram de illo sententiam mutabimus, sed nulla interim calumniae culpa tenebimur, quod ipsum de iis accusamus, quae in eius et suorum scriptis passim leguntur. Aut igitur ea ipsa proferat ingenue atque etiam approbet Westphalus, non autem versute alia obtendat, si me calumniae convincere volet, aut desinat nos calumniae falso insimulare, quam commonstrare non potest. Quae de expansione extensioneve in cruce somniat, ad me nihil pertinent, nisi si Erinny ipsius perinde est, sive in cruce humanis manibus, sive in immensum nova quadam imaginatione Christi Domini corpus expandi extendive dicatur. Quanquam haud scio, utrum sit gravius, in crucene denuo immortale et gloriosum, sedens ad dexteram Dei, corpus Christi Domini expandere velle, an vero illud vita gloriaque sua coelesti spirituque iterum suo vivifico spoliare, ut impiis et infidelibus in cibum oris carnalis prostitui possit. Qua interim in re alios iudicare malim.

Ioan. à Lasco.

33.

Westphalus.

Similiter depravat locum Cyrilli, ubi scribit, nos non sola fide et charitate Christo spiritualiter coniungi, sed corporaliter quoque communicatione carnis suae Christum in nobis habitare. Item, Christum in nobis esse participatione naturali.

34.

Lascus eludit eius sententiam hac conficta glossa sua. Ait, Cyrillum ostendere velle, coenae testimonio doceri, nos Christo et illum nobis vicissim, non solum spiritualiter, sed naturae humanae participatione coniunctum esse.

Imo vero Westphalus sui simi-(fol. 87)lis esse pergit ét in falso accusando me ét in locis Veterum detorquendis. Et quoniam utroque hoc simul Paragrapho depravatae me Cyrilli doctrinae insimilat, ad utrunque simul etiam respondebo. Si locum Cyrilli depravo, proferat verba, quae citato Cyrilli in Apologia loco depravo. Sed huc sese demittere noluit Propheticus Westphali spiritus, nimirum illi satis est, de suo tripode pronunciasse, locum Cyrilli a me depravatum esse,

ex quo ille tamen adversus nos nihil omnino proferre potest. Agnosco meam interpretationem, sed non ex meipso confictam, quemadmodum iste impostor somniat, verum ex ipsiusmet Cyrilli verbis petitam et collectam, quibus ille seipsum explicat, dum eodem ipso loco paulo post verbis expressis testatur, eam Christi nobiscum communionem, iuxta quam in nobis corporaliter carnis etiam communione habitat, constare potissi-(fol. 88)mum naturae nostrae identitate. Iam si propter naturae nostrae identitatem corporaliter Christus in nobis habitat, et naturae in Christo nostrae identitas non alia re constat, quam verbi incarnatione, quemadmodum Ioannes docet — „Verbum incarnatum est et domicilium seu tabernaculum suum constituit in nobis" — ostendat Westphalus, qua parte a me locus hic Cyrilli depravetur. Aut enim negare illum oportet, fontem identitatis naturae nostrae in Christo situm esse in verbi incarnatione, quod quidem Erinny suae permittimus. Aut, si id non neget, tum sane suam ipse mendacem impudentiam prodet, dum a me locum Cyrilli depravari affirmat, quia, quod ille naturae in Christo nostrae identitati diserte tribuit, id ego referendum esse doceo ad fontem ipsum huius identitatis, ipsam inquam verbi incarnationem.

35.

Westphalus.

Perspicue satis a Cyrillo scripta de Eucharistia detorguentur ab ipso ad eius incarnationem. Cyrillus enim non loquitur de participatione naturali, qua Christus factus est particeps nostrae naturae, cum verus homo natus est ex Maria virgine, de qua Apostolus ait: Christum communicasse carni et sanguini, sed de participatione, qua nos illi coniungimur et ipse in nobis habitat. Non quid Christi incarnatio, sed quid communio corporis et sanguinis Christi, quae sumimus in Eucharistia, in nobis efficiat, docet.

36.

Non dicit, nos coenae testimonio doceri, nos Christo coniunctos esse et illum vicissim nobis naturae humanae participatione, sed virtutem mysticae benedictionis facere corporaliter quoque Christum communicatione carnis in nobis habitare, suo corpore per communionem mysticam credentes benedicere, et secum inter nos unum corpus efficere, — quia unum omnes panem man-

Ioan. à Lasco.

Et hic, quia utroque sequenti Paragrapho de loco Cyrilli eodem loquitur, ad utrumque simul etiam respondebo. Ostendi iam, Cyrillum, in explicanda Euangelica illa vitis et (fol. 89) palmitum similitudine, corporalem Christi in nobis habitationem, quatenus illam ad nostrae in Christo naturae identitatem refert, eadem sane opera ad ipsam quoque verbi incarnationem retulisse,

negareque non potest Westphalus, Cyrillum toto illo loco hoc imprimis agere, ut eorum errorem refutet, qui hac vitis et palmitum similitudine abuntuntur ad negandam naturalem Christi nobiscum in carne nostra communionem seu societatem. Quae vero de unius panis in Coena participatione, deque mysticae benedictionis virtute addit, haec non alio

ducamus, nos omnes unum corpus effici, — propterea nos esse corpus et membra Christi, quia per hanc benedictionem mysterii ipsum filium Dei (fol. 90) *suscipimus, — si quis carnem Christi recipit, necesse esse, ut cum ipso coniungatur, ut Christus in ipso et ipse in Christo reperiatur.*

fine induci, quam ad traditae iam doctrinae (sub vitis et palmitum similitudine) confirmationem de naturali Christi nobiscum in carne nostra communione, facile id perspiciet, quisquis locum Cyrilli illum totum legerit ac propius inspexerit. Quid igitur? Egone, quae a Cyrillo de Eucharistia scripta sunt, alio quam oportet detorqueo, dum additam doctrinae confirmationem ex Coenae mysterio de naturali nobiscum Christi Domini in carne nostra communione eodem refero, quo autor ipsemet doctrinam suam referendam esse docet, nempe ad naturae nostrae humanae identitatem, quae fontem ipsum atque originem suam habet proculdubio in ipsa v e r b i incarnatione? an vero Westphalus potius, qui, in Erinnys suae gratiam, additam ex Coenae mysterio doctrinae confirmationem alio deflectere conatur, quam autor ipse faciat, nempe non ad coeptam in v e r b i incarnatione naturalem illius nobiscum in carne nostra identitatem, sed ad novam quandam mysticae benedictionis coniunctionem? quasi illa benedictio id tum demum efficiat, ut nobis Christus naturae identitate in carne nostra coniungatur, ac non potius vim fructum ac dignitatem, dudum alioqui coeptae, Christi nobiscum et nostrae cum Christo, tam spiritualis, quam naturalis communionis exprimat, animisque nostris spiritu (fol. 91) sancto autore infigat, ob oculos illam iuxta rationem Sacramentorum ponat et toti Ecclesiae ex Christi institutione commendet.

Sed iam Westphalici spiritus acumen in eius argumentationibus in-

tueamur. Prima ipsius ratio est igitur, qua locum Cyrilli a me depravari affirmat. Ait enim, Cyrillum citato in Apologia loco, non de ea communione nostra cum Christo loqui, qua se ille nobis humanae nostrae naturae in carne nostra participatione coniunxit, sed qua nos illi coniungimur virtute Mysticae benedictionis in Coena ipseque habitat in nobis. Hic porro scire ego a Westphalo ante omnia velim, an, qua parte Christus in nobis corporaliter habitat et quidem carnis communione, quemadmodum Cyrillus ipse loquitur, non tam nos sibi, quam se nobis potius coniunctum esse testatur, quemadmodum nos sibi quoque vicissim coniunctos esse docet, dum nos in se manere ait. Id si negat, ostendat, cur duplicem nobis rationem constituit Christus Dominus suae nobiscum et nostrae secum societatis sive communionis, nempe ut et ipse in nobis habitet et nos in illo, id ostendat inquam, praesertim cum Cyrillus eo ipso loco diserte loquatur de utraque hac pariter ratione societatis et communionis nostrae cum Christo, quatenus videlicet et ipse nobis coniunctus est et nos sibi vicissim coniunxit; denique et alteram ab altera ita discernat, ut, quatenus nos sibi coniunxit Christus Dominus, spiritualem esse doceat nostri cum Christo communionem —, quatenus vero se nobis carnis societate coniunxit, corporaliter naturali societate illum nobis coniunctum esse, inque nobis, (fol. 92) iuxta Ioannis testimonium [1]), hoc est, in carne nostra propter naturae identitatem habitare affirmet. Praestat autem verba ipsa Cyrilli adscribere de utraque hac ratione communionis nostrae cum Christo, nempe spirituali, qua nos sibi coniunxit, et corporali, qua nobis carnis societate coniunctus, habitat in nobis. De priore igitur sic ait in ipso citati in Apologia capitis initio: *Ego sum vitis vera*, etc. „Ut, quantum oporteat inhaerere sibi et ab eo pendere et quantum „nobis hoc prodest, ostenderet, vitem seipsum exempli ratione et pal„mites affixos in eo credentes appellavit, qui participatione spiritus, „per quem Salvatori coniungimur, naturae suae communicamus." Audimus ecce ab ipso Cyrillo nostrae cum Christo coniunctionis rationem, nempe nos Christo inhaerere, a Christo pendere, Christo coniungi per spiritum, illius participatione. Rursum vero mox idem Cyrillus: „Efficimur autem, ut ita dicam (inquit), de genere suo, digni„tatem adoptionis filiorum Dei ab eo consequuti. Qui enim Do„mino, ut ait Paulus, adhaeret, unus spiritus est cum eo [2])." Ac rursum paulo post: „Quemadmodum radix, inquit, qualitatem suam pal„mitibus mittit, sic unigenitus Dei filius Patris et suae naturae af„finitatem, ut ita dicam, spiritu dato sanctis largitur per fidem „et sanctitatem ei conjunctis, etc." Ex his sane, quae recitavi, Cyrilli

[1]) Ioan. 1. [2]) 1 Cor. 6.

verbis perspicuum est, nostram cum Christo societatem seu communionem, quatenus illi nos coniuncti sumus, non equidem *corporalem*, quae carnis coniunctione con-(fol. 93)stet, sed *spiritualem* a Cyrillo vocari. Diserte enim ait Cyrillus, nos per fidem et sanctitatem, non autem corporaliter carnis communione, Christo coniungi, dato nimirum nobis spiritu suo, et paternae illum et suae *divinae* naturae *affinitatem* nobis largiri atque ita nos sibi coniungere, ut per datum nobis spiritum suum et ipse sit in nobis et nos in illo, quemadmodum Ioannes docet [1]). Hactenus Cyrillus de spirituali nostra cum Christo Domino societate seu communione. De corporali vero Christi nobiscum et nostra cum illo communione docet, carnis illum, non autem spiritus participatione constare. Ait enim (id quod Westphalus quoque agnoscit) Christum non spiritualiter tantum, quatenus sibi nos coniungit per suum spiritum, sed corporaliter etiam, carnis videlicet participatione, nobis ita coniunctum esse, ut et ipse in nobis maneat et nos in ipso. Deinde paulo post exponit, eam ipsam *corporalem* Christi nobiscum in carne communionem constare humanae nostrae naturae per Christum assumptae *identitate*. Verba Cyrilli sic habent: „An non convenienter dici potest, vitem „humanitatem eius esse et nos palmites *propter* naturae *identi„tatem*? Eiusdem enim naturae sunt vitis et palmites (humanae „proculdubio, quatenus vitem humanitatem essse docet). Ita et spiri„tualiter et corporaliter nos palmites, et Christus vitis est." Haec ita Cyrillus de corporali Christi nobiscum per carnis societatem communione. Hic igitur scire velim, ubinam Westphalus originem ac fontem ipsum constituat nostrae huius (fol. 94) *corporalis* iuxta naturae nostrae humanae *identitatem* cum Christo Domino et illius nobiscum coniunctionis. Cyrillus sane eodem ipso capite et alibi multo adhuc luculentius eam originem causam ac fontem esse agnoscit *corporalis* istius nostrae cum Christo communionis, quod unigeniti caro *in nobis* facta sit vitae caro, postenquam videlicet *Verbum Deus*, facta ex carne nostra caro, in nobis habitare coepit [2]). Hoc si Westphalus agnoscit, qua fronte negat, Cyrillum citato in Apologia capite loqui de ea Christi nobiscum *corporali* communione, qua caro unigeniti facta est *in nobis*, assumpta naturae nostrae identitate. vitae caro per *verbi*, in quo vita erat, incarnationem? cum Cyrillus expresse dicat, Christum Dominum esse vitem nostram et nos ipsius palmites, non tantum spiritualiter propter spiritus sui participationem, per quem nos ille sibi coniunxit, neque item propter datam nobis ab ipso paternae et suae pariter Divinae

[1]) 1 Ioan. 4. [2]) Ioan. 1.

naturae affinitatem, sed corporaliter etiam propter humanae nostrae in carne nostra naturae identitatem? Si negat, ostendat *corporalem* Christi nobiscum in humanae nostrae naturae identitate communionem extra *verbi* incarnationem, imo vero ostendat, quomodo nos sibi Christus qualicunque tandem societate coniunxisset, si non prius nobis ipse naturae humanae nostrae participatione per suam alioqui incarnationem coniunctus fuisset. Quo pacto, inquam, nos carnem e carne sua fecisset, si non prius ipse caro de carne nostra per suam incarnationem factus fuis-(fol. 95)set? Quo pacto nos in se ad vitam aeternam transferre atque ad dexteram Patris sui secum in coelo collocare potuisset, nisi prius ad nos ipse descendisset morteque sua innocentissima omnem peccati nostri culpam et condemnationem expiasset? Ad extremum, ostendat Westphalus, quo pacto mori poterat Christus, ut nos sibi in vita gloriaque sua coniungeret, si non, ut mori posset, carnem nostram ex matre virgine induisset. Scilicet iuxta Westphalum descendere non oportebat Christum, ut rursum adscenderet nosque secum una in altum subveheret, neque iterum mori illum necesse erat, ut nos a morte liberatos secum una in gloriam adduceret. Sed aliud profert Westphalus, nempe Cyrillum hoc loco agere de ea nostra cum Christo communione, qua illi virtute Mysticae benedictionis in Coena coniungimur ipseque habitat in nobis. Et hic igitur Westphalicam in verbis Cyrilli collectionem observemus. Cyrillus toto eo capite id potissimum agit, ut doceat, vitis et palmitum similitudine commendari nobis et spiritualem et corporalem Christi nobiscum in carne nostra communionem, atque id verum esse ostendat, adfert probationem eiusdem ipsius, non autem alterius alius doctrinae, ex Coenae Dominicae institutione, nempe Christum Dominum, ut iam est dictum, et spiritualiter et corporaliter esse vitem nostram et nos palmites ipsius, hoc est, non spiritus tantum participatione Divinaeque naturae donata nobis affinitate, sed corporali etiam naturae nostrae humanae identitate in carne nostra. Westphalus autem non hanc doctrinam confirmari a Cyrillo contendit, inducta eius (fol. 96) confirmatione ex Coenae Dominicae institutione, sed aliam eamque diversam tradi. Ait enim, hoc Cyrilli loco non agi de corporali illa coniunctione Christi nobiscum iuxta naturae humanae ipsius nobiscum in carne nostra identitatem, institutam in *verbi* incarnatione, etiamsi illam Cyrillus verbis expressis urgeat, sed doceri duntaxat, quod communio corporis et sanguinis Christi, sumpti in coena, in nobis efficiat, etiamsi haec verba apud Cyrillum citato loco, in sensu praesertim Westphalico, nusquam legantur. Neque enim habetur apud Cyrillum illic, quid sumpti, in pane ipso aut sub pane seu per panem e ministri ipsius in Coena, corporis et san-

guinis communio, hoc est, distributio, efficiat, quemadmodum Westphalus fingit, sed habetur, quid virtus mysticae benedictionis in nobis efficiat in Coena. Ego igitur verba Cyrilli alio, quam oportet, (si Westphalo placet) detorqueo, qui in inducta ex Coenae institutione doctrinae confirmatione de vitis et palmitum similitudine, illam comprobari dico, — Westphalus autem fidelis erit Cyrilli interpres scilicet, qui et verba Cyrilli ipsa suis commutat et aliud doceri affirmat in adducta doctrinae confirmatione, quam doctrina alioqui iam ante tradita continebat. Sed videamus, quo se in suis ipsius verbis proripiat Erinnys Westphalica, dum de efficacia communionis sumpti in Coena corporis et sanguinis Christi loquitur et suis deliriis Cyrilli autoritatem obtendit. Cyrillo Mystica benedictio non est elementorum Coenae consecratio ulla, qualem Westphalus in contortae fidei suae libello asserit, quae videlicet (fol. 97) consistat in operativa per Ministrum verborum ullorum recitatione, sed benedictio mystica idem est Cyrillo, quod tota coenae administratio iuxta Christi institutionem. Ita enim *fideles ad mysticam benedictionem accedere* ait [1]). Et alibi rursum, *Gentes mysticae benedictionis participes factas esse*, docet [2]). Vocat item alibi mysticam benedictionem *confessionem quandam Dominicae resurrectionis* [3]). Quibus equidem locis perspicuum est, sub voce mysticae benedictionis intelligi, non sane Westphalicam verborum Coenae consecratoriam recitationem, sed legitimum potius coenae totius usum et administrationem, nisi si Westphalus in Erinnys suae gratiam accedere ad mysticam benedictionem idem esse contendat, quod accedere ad consecratoriam duntaxat verborum coenae recitationem sine legitimo interim coenae usu, — aut Gentes participes esse doceat mysticae benedictionis, recitationemve solam verborum coenae, etiamsi coenae nemo participet, putet esse confessionem Dominicae resurrectionis, propterea quod nunc voce sonora ac sesquipedali propemodum prolatione decantentur. Nos porro hanc Westphalo Theologiam non invidemus, sed cum Cyrillo aliisque veteribus mysticam benedictionem intelligimus universam coenae institutionem, quae recitationem quidem verborum coenae in se complectitur, sic ut a populo intelligi verba ipsa possint, sed ut recitatio illa vim ullam consecrandi panem et vinum obtineat, id vero a Christo Domino eiusve Apostolis aut primaevae post illos Ecclesiae patribus usquam traditum esse negamus, sed Papisticum commentum esse dicimus, inve-(fol. 98)ctum ad approbandam idololatricam Papae transsubstantiationem, quod Westphalus et sui tueri etiamnum conantur ad confirmandam suam delitescentiam corporalem in coenae elementis corporis et sanguinis

[1]) In 20 cap. Ioan. [2]) In lib. 1 de Trinitate. [3]) In Io. li 12, cap. 58.

Christi. Vocant quidem Patres panem coenae, non iam sane vulgarem, sed vocatione Dominica sanctificatum panem, id quod nos quoque semper docuimus. Sed quod Dominicam vocationem illam constituant in theatrica nostri temporis passim verborum Coenae decantatione, quae vim consecrandi in se ullam contineat, id vero Westphalus ostendat; nos enim id in primaevis Ecclesiae patribus nunquam vidimus, imo vero contrarium plane infinitis locis videmus. Sed pergit Westphalus furiis suis indulgere, et, postquam praeclare se iam locum Cyrilli exposuisse arbitratur, mox addit novum, sub Cyrilli nomine, capitis sui somnium, de quo Cyrillus nunquam cogitavit. Ait, vim mysticae benedictionis in coena a Cyrillo eam constitui, ut, praeterquam quod Christum Dominum corporaliter quoque in nobis carnis suae communione habitare facit, (quae sane verba Cyrilli esse agnoscimus) id quoque efficiat, ut corpore Christi Domini per mysticam communionem credentes benedicat, et cum ipso in unum corpus uniat. Et, ut clarius se prodat, subdit: Nos omnes ideo unum corpus effici, quia unum omnes panem sumimus, — nos omnes propterea esse corpus et membra Christi, quia per hanc b e n e d i c t i o n e m m y s t e r i i ipsum filium Dei suscipimus. Tandem vero legem statuit, sibi ipsi adversariam: Oportere eum Christo coniungi, quisquis carnem eius recipit, (fol. 99) ut Christus in ipso et ipse in Christo inveniatur. Et hic igitur Erinnym Westphalicam observemus. Ac primum cuperem id mihi in Cyrilli loco citato commonstrari, nempe, eam esse vim mysticae benedictionis, ut nos corpore Christi Domini per mysticam communionem benedicat. Nam haec verba praedicto toto Cyrilli capite nusquam extant. Deinde, si ad hunc modum Westphalus Cyrillum interpretari vult, explicet ipsemet nobis suam hanc interpretationem eamque approbet Cyrilli testimoniis. Postremo ostendat, legem quam tulit veram esse, cui tamen alibi ipsemet reclamat. Ut interim taceam, inverti ab illo Cyrilli eo loco ratiocinationem. Cyrillus contra eos disputat, qui spiritualem nostri cum Christo coniunctionem in vitis et palmitum similitudine agnoscebant, corporalem in naturae humanae nostrae identitate negabant. Docet igitur et similitudinis illius Euangelicae et coenae item Dominicae testimonio, nos, non spirituali tantum (de qua nulla fuerat controversia), sed naturali etiam in carne nostra societate, ita Christo Domino coniunctos esse, ut et ille in nobis maneat et nos in illo. Westphalus autem persuadere conatur, magis urgeri a Cyrillo eo loco spiritualem nostram, quam corporalem, cum Christo Domino seu naturalem communionem, quasi Cyrilli adversarii, non tam alioqui corporali seu naturali, quam potius spirituali nostrae cum Christo Domino coniunctioni reclamassent. Ita nimirum diligenter eo loco legit Cyrillum

Westphalus, ut prorsus invertat totam illius ratiocinationem, et eius mox (fol. 100) auctoritatem suae ipsius imaginationi obtendat. Ubi vero haec apud Cyrillum habentur? nempe eam esse vim mysticae benedictionis in coenae Dominicae usu, ut credentes corpore Christi per mysticam communionem benedicantur? ut ideo efficiamur omnes [unum] corpus Christi, quia unum panem omnes sumimus? ut ideo simus omnes corpus et membra Christi, quia per illam b e n e d i c t i o n e m m y s t e r i i ipsum filium Dei suscipimus? Haec, inquam, nobis a Westphalo, citato in Apologia Cyrilli loco, commonstrari vellemus. Esto autem, dixerit aliquid eiusmodi Cyrillus: An protinus ita iam intelligendus erit, ut a Westphalo exponitur? an vocem benedictionis ita intelligemus, ut eam Westphalus vult intelligi? de qua jam alioqui dictum est paulo antea. Quid autem est Westphalo Mystica communio in Coena Domini? Cyrillus in ea et spiritualem et corporalem nostram cum Christo communionem complectitur, Westphalus autem vocat Mysticam. Idem est Westphalo scilicet corporale seu naturale, et Mysticum? Ita nimirum adflavit hominem Erinnys ipsius, ut nesciat quid dicat, et secum ipse pugnet. Si mystica est duntaxat Westphalo in coena communio, quo pacto, quod mysticum est, ore carnali percipitur et ad impios pariter ac pios pertinet? quae tamen est summa universae Westphalicae theologiae. An non, quod mysticum est, idem quoque et spirituale sit necesse est? an item, quod spirituale est, ore carnali percipitur, et ad impios pertinet? nisi si Westphalus, quod est spirituale, ad Spiritum sanctum referri nolit, ne illud fidei potius, quam (fol. 101) carnali ore percipi oportere ac proinde ad impios nihil pertinere, fateri cogatur, neque ipsa declaret, se in eadem haeresi totum haerere, quam in nobis tantopere detestatur. Nobis porro alia longe est corporalis seu naturalis, alia vero mystica seu spiritualis Christi nobiscum et nostra cum illo communio. Nimirum naturalis seu corporalis ea est, qua filius Dei se nobis nosque sibi per n a t u r a e nostrae in carne nostra i d e n t i t a t e m re ipsa coniunxit, quemadmodum Cyrillus ipse testatur; — mystica vero seu spiritualis, quam idem ipse Cyrillus docet non quidem n a t u r a e nostrae in carne nostra i d e n t i t a t e constare, sed d i v i n a e potius, et paternae et suae, n a t u r a e affinitate, quam ille coniunctis sibi per fidem et sanctitatem post datum eis Spiritum sanctum gratuito de suo proprio largitur. Eam igitur utranque communionem nostram cum Christo Domino seu societatem confirmari in animis nostris Spiritu sancto autore, adeoque et nos in fide illius ad vitam aeternam obsignari, credimus et docemus, in legitimo Coenae Dominicae usu, iuxta traditam nobis in Scripturis sacramentorum omnium (quod ad mysterium illorum praesertim attinet) naturam ac rationem. Sed

adhuc maius est, quod subdit: Nos propterea effici unum corpus cum Christo Domino, quod omnes de uno pane Coenae participamus. Nos ideo esse corpus et membra Christi, quia per nescio cuius mysterii benedictionem ipsum Dei filium suscipimus. Westphalo scilicet id corpus Christi Domini non pertinemus, priusquam Coenae Dominicae par-(fol. 102)ticipemus. Neque prius membra Christi sumus, quam ipsum Dei filium per benedictionem mysterii suscipimus. Egregia profecto et digna plane Westphalico spiritu consolatio. Equidem si ideo efficimur unum corpus cum Christo, quod in Coenae usu de uno pane participamus, et si propterea corpus et membra Christi sumus, quod tum etiam per mysterii nescio cuius benedictionem ipsum Dei filium suscipiamus, iam neque infantes nostri in unum Christi Domini corpus baptizabuntur, neque fidelium liberi sancti nascentur, neque foedus adeo Dei, cum Abraham et semine ipsius in aeternum ictum, ad nos semenque nostrum prius pertinebit, nisi si aut vim Divini nobiscum foederis arctatam esse iam in Christo, aut nos a foedere illo excludi putat Westphalus: ut neque jam sit nobis unus Deus, si Westphalum audiamus, neque una Dei cum Patriarchis et Prophetis Ecclesia, neque unum baptisma, neque una fides. Cuius vero mysterii benedictionem intelligit, dum de mysterii benedictione loquitur? Si mysterium ipsum benedicitur in ipso Coenae usu, hoc est, operativa quadam verborum recitatione consecratur, ut iam sanctum sit, quod alioqui profanum erat, quodnam illud, quaeso, tandem est mysterium, quod benedici docet? Si ipsum Christi Domini corpus intelligit, nos illud ab ipso iam usque verbi incarnatione sacramentum esse credimus, ideoque et sanctificans nos in se omnes, nedum ut ulla nostra benedictione amplius consecrari quoquo modo aut debeat aut etiam possit. Si vero sub mysterii nomine elementa Coenae (fol. 103) intelligit et consecratione sanctum fieri putat, quod in se alioqui profanum erat, ubinam ei, quod terrenum est, locum in Coena ullum relinquet Westphalus, ut Eucharistia duabus rebus constet, quemadmodum Irenaeus docet? Certe, quatenus aliquid per se terrenum est, hactenus vero sanctum neque esse neque dici potest: multo minus autem ita consecrari ullo nostro opere, ut ex profano seu communi sanctum fiat. Alioqui neque nos immutationem nostri expectare adhuc oporteret et frustra omnis creatura adhuc congemisceret ad revelationem filiorum Dei, si panis ipse in Coenae usu sanctus iam fiat per Ministri consecrationem sive Westphalicam benedictionem. Habeat sibi Westphalus igitur suam istam nescio cuius mysterii benedictionem, nos carnem nostram, nosque adeo totos in Christo Domino iam olim sanctificatos per eius incarnationem, iustos item per absolutae illius erga Patrem suum obe-

dientiae in carne nostra communionem, et omnem peccati nostri culpam pariter ac poenam expiatam modis omnibus esse non dubitamus per mortem ipsius ac gratuitam eorum omnium, quae ille in assumpto ex carne nostra corpore suo vel praestitit vel promeruit, imputationem. Horum autem omnium certissimum ac salutare obsignaculum Coenam Domini esse profitemur, sic ut nos carnem ex carne Christi revera esse et ossa ex ossibus eius in animis nostris dum Coenae participamus, Christumque adeo ipsum totum in nobis nosque in ipso esse per fidem Spiritu sancto autore efficaciter sentiamus. Quod ipsum alioqui ipsemet Christus Dominus do-(fol. 104)cet esse, edisse carnem suam et bibisse suum sanguinem ad vitam aeternam, atque hac una carnis suae vivificae manducatione unaque item hac sanguinis potione contentus, luculentissimam nobis addit individuae nostrae secum, et suae nobiscum societatis seu communionis ac vitae aeternae promissionem, non facturus sane, si corporalem qualemcunque aliam sui, tum potionem, tum manducationem, in sua Ecclesia instituere voluisset. Quare et nobis satis est, quod Christo Domino satis est, ut in ipso vitam aeternam habeamus. Hoc si Westphalo satis non est, sapiat ille supra Christum, dum volet. Nos aliud hic non possumus, quam dolere vicem hominis et immedicabilem morbum ipsius adversari. Quae hic de spiritualis duntaxat et Sacramentalis manducationis discrimine dicuntur, nihil contra nos faciunt. Et nos enim alteram ab altera ita discernimus, ut alteram externo ac visibili symbolo prorsus carere, alteram vero externum ac visibile signum, ab ipsomet Christo Domino additum, habere fateamur, nempe mysticam panis ac poculi Coenae participationem. Sed propter additum mysticum illud symbolum mutari negamus rationem ipsam edendi corporis et bibendi sanguinis Christi, nempe ore fidei, non autem ore carnali; in verbi item promissionibus, quae, fide per spiritum corroborata, apprehenduntur, non autem in ipso pane aut sub pane, quem ore carnali, si edi debeat, percipi oportet. Qua de re satis multa alias quoque et a me et ab aliis dicta esse puto.

Iam quod ad legem ipsius attinet, declarat Westphalus verum esse, quod vulgo dici solet: pueros et (fol. 105) ebrios imprudentes nonnunquam veritatem profiteri. Quod enim alias execrandam blasphemiam esse clamabat — digniorem videlicet, quae sceptro magistratus retundatur, quam stylo refutetur — id nunc sibi propugnandum ipsemet, lata hac lege sua, suscepit. Nimirum cedere veritati tandem oportuit nugas Westphalicas, e scholasticis praestigiis petitas, ut constaret ab ipso haec, aut velut a puero per incogitantiam, aut ab ebrio per Erinnys suae impotentiam dicta esse. Atque utinam id ab illo dictum sit, velut a puero, non equidem per incogitantiam, sed per salutarem spiritus in corde

ipsius repnerascentiam seu regenerationem. Id equidem illi vere et ex animo optarim. Sed metuo, ne non facile velit, se eius iam demum blasphemiae culpa teneri, quam in me alias sceptro Magistratus retundi homo religiosus volebat, et quidem tanto maiore culpa, quanto gravius est lata lege sanxisse blasphemiam, non ferendam Magistratui Christiano, quam illius meminisse duntaxat per factam de illa quaestionem, ut ad eam responderetur. Posteaquam vero iam Westphalus meam blasphemiam sua lege ita approbat, ut pronunciet, necesse esse, nos cum Christo Domino ita coniungi, ut et ille in nobis inveniatur et nos in illo, et quidem per eam, quae in Coenae usu habetur scilicet, mysterii benedictionem, cui Westphalus Cyrilli autoritatem frustra alioqui obtendit, videamus hic primum artes Erinnys Westphalicae in verborum latebris, quibus utitur; deinde vero acumen illius Theologicum observemus. Quodque ad verba ipsa attinet, si cum Cyrillo sentit Westphalus, cur verbis Cy-(fol. 106)rillo insuetis loquitur? Cyrillus eam vim mysticae benedictionis esse docet in Coenae usu, ut Christum in nobis et nos in illo inhabitare faciat. Westphalus autem per mysticam benedictionem Christo nos coniungi affirmat, mystica etiam communione. Idem est Westphalo scilicet, habere in nobis inhabitantem Christum Dominum et Christo primum omnium coniungi, quasi non prius et illum nobis et nos illi coniunctos esse oporteat, quam in nobis inhabitare ipse possit et nos in ipso. Deinde Cyrillus, sumpto a Coena Domini argumento, confirmat doctrinam suam de Christi Domini nobiscum et nostra vicissim cum ipso, non spirituali tantum (ut iam est dictum), sed naturali etiam sive corporali societate seu communione. Westphalus autem hic potissimum urget mysticam duntaxat nostri cum Christo coniunctionem in Coenae usu, quasi tunc primum Christo Domino coniungamur, neque prius ad illum quoquo modo pertineamus. Postremo cum Cyrillus de Christi in nobis inhabitatione seu mansione loquatur iuxta Ioannis testimonium, cur Westphalus inhabitandi manendique voces verbo inveniendi commutat? Metuit nimirum Westphalus, ne si Christi Domini in nobis et nostri in illo diuturnam alioqui inhabitationem statuat, coniunctionem suam illam, quam mysterii nescio cuius benedictione constare docet, impugnare velle videatur. Quorsum enim urgeretur nova Christi nobiscum, totiesque Coenae usu repetita, coniunctio, qualem Westphalus imaginatur, si, semel nobis coniunctum revera Christum Dominum, perpetuo in nobis habita-(fol. 107)re ac permanere profiteamur. Maluit igitur Cyrilli verba mutare Westphalus, ne secum ipse pugnare deprehenderetur, et tamen Cyrilli autoritatem doctrinae suae praetexit, ne quid novi dogmatis temere in Ecclesiam invexisse videatur. Iam acumen Westphali Theologicum

paululum etiam intueamur. Maius videtur Westphalo, Christum Dominum nobis et nos illi subinde coniungi, etiamsi in nobis manere non debeat, quam si eum, semel nobis coniunctum, perpetuo iam deinceps in nobis manere atque inhabitare credamus. Et vilis est tanto Prophetae perpetua illa, quae fide constat, corporis ac sanguinis Christi participatio, quae non potest non esse salutaris ex Christi ipsiusmet Domini testimonio, prae ea, quae in pane aut sub pane seu per panem Ministri ipsius manibus corporaliter statis quibusdam temporibus praebetur et ore carnali ad condemnationem percipitur, nisi fides accedat, quemadmodum ipsemet Westphalus docet. Quodsi est exitialis (sine fide) Westphalica haec corporis Christi manducatio, nos certe pro illa contendere nolumus, nedum ut eam Erinny Westphalicae invideamus. Si vero fidei accessione id fit, ut salutaris esse debeat, ostendat Westphalus, corporeis id ministri manibus porrigi carnalique ore percipi posse, quod fide ad salutem apprehendi debet. Rursum, si hactenus duntaxat in Coenae usu fidem requirit Westphalus, ut credamus corpus Christi Domini esse revera διὰ εἴδους et corporaliter in ipso pane aut sub pane Coenae, sic ut ministri manibus corporeis porrigi in pane ipso aut sub pane oreque carnali edi possit, (fol. 108) propter consecratoriam verborum Coenae recitationem, atque huius talis fidei accessione salutarem effici iam putat corporalem suam illam in pane aut sub pane Coenae corporis Christi manducationem, — equidem, aut tanto magis salutarem esse fatebitur quantumvis adulteratum ac profanatum in Papismo Coenae usum aut abusum potius, propter certam illic fidem panis ipsius evanescentiae et in corpus Christi transsubstantiationis, quanto maiorem fidem facit corporalis praesentiae illic transsubstantiatio Papistica, quam Westphalica in pane inclusio seu consubstantiatio, — aut, si fides transsubstantiationis non facit salutarem corporis Christi in Papismo manducationem, multo minus proculdubio illam salutarem faciet fides Westphalicae sive inclusionis ac delitescentiae sive consubstantiationis aut qualiscunque tandem imaginariae connexionis. Utramlibet autem alteri praeponat Westphalus, certe neque utranque Iudae proditori salutarem fuisse (nedum alteram), neque utraque Iudam caruisse, Westphalus docere potest. Contendat igitur pro qua ille velit, nobis ea corporis Christi manducatio satis est, quam Christus Dominus, addita vitae aeternae promissione luculentissima, sibi sufficere, manifeste testatur, atque externis illam ac visibilibus symbolis mysticis demum etiam exornavit ad fidei nostrae, semper alioqui vacillantis, exercitium et salutarem in cordibus nostris obsignationem. Atque ad hunc Paragraphum id ita respondisse, satis esto.

37.

Westphalus.

Sic et Chrysostomus inquit: Singulis fidelibus se per hoc mysterium coniungit, et quos peperit, ipse studiosissime alit. Non satis fuit, hominem fieri, occidi et crucifigi, verum et nobis semetipsum commiscet. Item, non fidem tantum, verum et ipsa re, nos suum efficit corpus. Christus proprio nos pascit sanguine et per omnia nos sibi coagmentat, ut non tantum per charitatem fiamus unum corpus, verum et ipsam rem, in unum carnem misceamur. Hoc enim per escam efficitur, quam largitus est nobis. Propterea semetipsum nobis immiscuit et suum corpus in nos contemperavit, ut unum quid efficiamur, tanquam corpus capiti coagmentatum.

Ioan. à Lasco.

Qua fide in (fol. 109)ducit Cyrilli locum, citatum in Apologia Augustanae Confessionis, eadem et Chrysostomum ad causae suae patrocinium detorquere conatur. Res ipsa loquitur, metaphoricos esse, quae Chrysostomus de nostro ex Christo Domino partu, alimonia, illius nobiscum commixtione et contemperatione docet; quae tamen Westphalus ita urget, ut nullum schema in eis agnoscere velle videatur. Sed, quoniam de his tantum hic agere instituimus, quae nos Westphalus in nostra Purgatione ex Augustana Confessione et eius Apologia depravasse calumniatur, ad citata nunc ista ex Chrysostomo testimonia non respondebimus, sed alias, si volet Dominus, ostendemus, doctrinam Westphali cum doctrina Veterum omnium consistere haudquaquam posse, nedum ut eorum autoritate approbari ullo modo possit. Praetermissis igitur ad praesens duobus hisce Paragraphis, in quibus Chrysostomus citatur, nempe trigesimo septimo et trigesimo octavo, ad trigesimum nonum descendemus, ut illi respondeamus.

38.

Westphalus.

Idem inducit Christum sic loquentem: Parentes saepe aliis filios alendos, Ego non ita, sed carnibus vos alo, meipsum hic vobis trado, multo magis in futuro. Volui esse frater vester, carnem propter vos assumpsi, vicissim carnem et sanguinem trado.

Ioan. à Lasco.

Quod ad me attinet, libenter agnosco, me haetenus spiritualem duntaxat carnis Christi manducationem agnoscere, tam in usu ipso, quam extra usum Coenae, ut carnalem nullam (fol. 111) omnino agnoscam, qualiscunque ea tandem statuatur. Sed sub spirituali Sacramentalem quoque complectimur, dum adiunctum habet Mysticum symbolum, ut est a Christo Domino institutum, ne a nobis nullam Sacramentalem manducationem constitui Westphalus calumnietur. De Cyrillo iam satis superque dictum est in Responsione ad 35 et 36 Paragraphum, sic ut nihil sit opus eadem denuo repetere; et fucum Westphali deteximus, dum non tantum mentem Cyrilli ab illo depravari, sed verba etiam subdole commutari ostendimus. Quo sane et hoc pertinet, quod hic subdit, nempe eam virtutem a Cyrillo tribui sanctissimae carni Christi, quae in Eucharistia sumitur, quod nos unum corpus faciat. Etsi enim verissimum est, virtute eius carnis Christi, et quidem eius ipsius et non alterius, quam quae in Coena sumitur, id factum esse, ut unum cum illo corpus simus (unicam enim duntaxat carnem Christi agnoscimus), tamen eam ipsam virtutem ad Coenae usum adstringi, id vero Westphalicum est commentum, cui Cyrillus infinitis locis reclamat; ut de Westphalica interim hic inconstantia taceam, qui nunc veluti sui oblitus, carni Christi eam virtutem a Cyrillo tribui ait, quam antea iam ad Mysticam benedictionem, in verborum recitatione positam, iam ad Mysticam communionem, iam item ad nescio cuius Mysterii benedictionem consecratoriam referri oportere contendebat. Nimirum (fol. 112) huc atque illuc raptatur ab Erinny sua, nisi si tantus Propheta nullum agnoscit discrimen inter positam in verborum recitatione benedictionem, Mysticam communionem, Mysterii nescio cuius consecrationem et ipsam carnem Christi.

39.

Westphalus.

Sacramentarii contendunt, spiritualiter nos duntaxat per fidem manducare carnem Christi, illique nos sic coniungi. Diserte Cyrillus hoc refutat et dicit, nos non tantum spiritualiter fide coniungi Christo, sed etiam communicatione carnis Christi corporaliter ipsum habitare in nobis. Tribuit eam virtutem sanctissimae carni Christi, quae in Eucharistia sumitur, quod nos unum corpus facit.

40.

Westphalus.

Distincte quoque Chrysostomus scribit, Christum propter nos carnem assumpsisse, et vicissim in mystica coena carnem et sanguinem nobis dare.

Ioan. à Lasco.

Et ad haec Chrysostomi verba, ut a Westphalo citantur, nihil nunc respondemus, quandoquidem nihil pertinent ad susceptam Purgationis nostrae defensionem: tantum ostendi cuperem, quidnam haec ad Westphalicae causae confirmationem faciant. Westphalo scilicet, quisquis Christum nobis in Coena sua carnem suam in cibum dare docet, idem simul etiam, in pane illum aut sub pane Coenae delitescere perque ipsum panem corporaliter Ministri manibus porrigi piis pariter atque impiis et ore carnali percipi, doceat necesse est. Haec est nimirum Westphalicae Erinnys dialectica, iuxta quam facile sua omnia Westphalus approbabit.

41.

Westphalus.

Sed desino haec persequi prolixius, cum non instituerim nunc refutare omnia mendacia et sophismata quibus refertum est Baronicum illud scriptum. Unum tamen insigne mendacium silentio praeterire non possum, quod insinuat, quanquam aperte non ausit dicere: Cinglianam doctrinam esse comprobatam autoritate Imperii. Nam toto scripto hoc agit, quod Sacramentarii idem doceant et sentiant de Coena Domini cum Confessione Augustana.

Ioan. à Lasco.

Extremo iam conatu nos adoritur Erinnys Westphalica extremumque iam (fol. 118) tandem aculeum infigere nobis conatur, sed quod non tam nos sane, quam ipsummet potius Westphalum pungit. Ostendi iam perfrictae frontis hominem in impingendis mihi mendaciis impudentissime mentiri, ac proinde me nulla eorum culpa teneri, quae mihi mendaciter impingit. Sarcasmus tituli Baronici adeo me nihil movet, ut stemmata mea inter beneficia Dei numerem neque illa Westphalicis permutare velim. Sed arripit simplex iste veritatis assertor undecunque, quidquid Erinny suae subservire quoquo modo posse videtur. Ita neque insigne hoc meum (si Deo placet) mendacium silentio se praeterire posse ait. Sed, dum me ipsemet aperte id non dixisse fatetur, quod mihi interim ita tragice impingit, sane et me omni mendacii illius insignis culpa verbis ipsemet

suis liberat et se illi imprudens involvit. Si enim non dixi, quod mihi impingit, quemadmodum ipsemet fatetur, perspicuum est, illum impudentissime mentiri, dum mihi impingit, quod me ipsemet non dixisse agnoscit. Sed me id, quod aperte non sum ausus dicere, insinuare voluisse dicit. Mira profecto in Westphalo Prophetici spiritus a-(fol. 114)bundantia, ut, quae non dixi, ea me insinuare voluisse divinet. At vero haec non tam est mea insinuatio, quam Westphalicae Erinnys omnia calumniandi libido insatiabilis. Et quoniam ipse cum suis non tam pro Christi Domini in Verbo illius, quam pro Lutheri gloria in ipsius dogmate certamen suscepisse videtur, in quo sane tuendo virum illum humanum quiddam contentionis calore passum esse negari non potest, — arbitratur et nos tuendae Zwinglii gloriae studio coelum terrae miscere velle. Ego porro, etsi utriusque viri illius memoriam, ut debeo, reverenter colo propter eximias Dei in illis dotes, quarum luculentissima testimonia in illorum monumentis extare videmus; tamen cum in neutrius illorum nomen baptizatus sim, neuterque illorum pro me crucifixus est, ab utroque mihi dissentire licere puto, sicubi doctrinam illorum cum mente scripturarum video non consentire. Ita, quemadmodum non probo omnia quae a Luthero in controversia hac sacramentaria sunt scripta, sic neque Zwinglii probo omnia, et utrunque hominem fuisse agnosco. Certe causae Zwinglianae defensionem nunquam suscepi, tametsi me per virum illum primum omnium Divino beneficio ad sacrarum literarum studia, cum per Tigurum ante annos quatuor et triginta in Galliam iter facerem, inductum esse, libenter fateor, et in controversia hac sacramentaria illum proprius (meo quidem iudicio) scopum attigisse puto. Quam autem doctrinam Westphalus Zwinglianam vocet, nescio, sed scio, viro illi adscribi, de quibus nunquam videtur cogitasse, imo quorum contraria (fol. 115) in eius monumentis passim habentur. Quare si Westphalus eam doctrinam vult Zwinglianam videri, quae hactenus vulgo (sed falso) pro Zwingliana est habita et quam nunc Westphalus nobis cum Zwinglio communem esse calumniatur, nihil mirum est, illam nulla usquam, nedum Imperii, autoritate approbatam esse, cum et nos illam a nobis quam longissime alienam esse, nunquam non profiteamur. Sed prius erat probandum Westphalo, nostram esse eam doctrinam, quam ipse nostram et nobis cum Zwinglio communem esse iactat, nisi quod id passa non est Erinnys sua, cui satis est, mendaciis et calumniis explere sua omnia, modo ne taceat et sursum ac deorsum omnia misceat. Simili impudentia affirmat, me toto scripto hoc agere, ut doceam, Sacramentarios idem sentire de Coena Domini cum Confessione Augustana. Ego peregrinarum Ecclesiarum, quae sunt Francofurti, causam ago in de-

pellenda ab eis iniquissima Westphalicorum calumnia, et ostendo, illas nihil habere commune cum Sacramentariis, quales in ipsa Augustana Confessione describuntur et accusantur, nempe qui Sacramenta pro signis ac testimoniis, denique et pro obsignaculis gratiae nolint agnoscere, sed nuda nescio quae et ociosa ac veluti theatrica quaedam spectacula ac mutae duntaxat inter nos conversationis notas esse docent. Westphalus autem neque oculos neque aures hic habere vult, sed in Erinnys suae gratiam eandem perpetuo occinit cantionem, et, quae nos profitemur, maliciose dissimulat, — quae autem non agnoscimus, pro nostris habenda esse furiose clamat. Non pa-(fol. 116) titur videlicet Erinnys Westphalica controversiarum pacificationem in Ecclesia, sed eas indies magis ac magis exagitari cupit.

Ioan. à Lasco.

42.

Westphalus.

Dicit autem hanc authoritate Imperii comprobatam esse. Unde quid aliud intendit inferre, nisi quod doctrina Sacramentaria comprobata sit Imperii authoritate; quo quid vanius quisquam comminisci potest? Constat enim, errorem Cinglii de sententia Imperii in Comitiis damnatum esse. Quando igitur aut ubi autoritate Imperii approbatus est?

Hoc quoque negabit Westphalus scilicet, ut mendacia mendaciis accumulet? Sed hoc non audet modestus vir. Tantum colligit, me aliud nihil agere, quam ut evincam, doctrinam Sacramentariorum, quam Westphalica Erinny iudice cum Augustana Confessione eandem conor facere, autoritate Imperii comprobatam esse, atque, si Deo placet, nihil hoc commento vanius fingi posse clamat. Ego vero id vanissimum adeoque et impudentissimum mendacium esse fateor, sed Westphali esse dico, non meum. Neque enim unquam negavi, doctrinam Sacramentariorum damnari Confessione Augustana, imo vero et nobis illam improbari diserte dixi, qualis quidem in ipsa Confessione describitur, ut iam antea dictum est. Sed cum in ipsa Augustana Confessione nihil omnino pugnans commonstrari cum nostra doctrina possit, et nihil aliud (fol. 117) quaerantur a nostris adversariis, quam speciosa quaedam suffugia, iam ad nescio quos autores, iam ad adjunctas ipsi Confessioni Ecclesias, quas tamen non prorsus consensisse invicem omnes in nostra hac controversia constat, — equidem tantisper dum Westphalus et sui nihil proferre ex ipsa Confessione possunt pugnans cum nostra doctrina, perspicuum est, vanissimam esse calumniam, qua nos ab Augustana Confessione

dissentire hac in parte clamant, etiamsi Erinnys Westphalica media crepare debeat. De damnato Imperii sententia errore Zwinglii nihil nostra nunc attinet disputare. Tantum hoc dico: si verum esset, a Zwinglio ea omnia doceri, quorum nomine ab adversariis accusatur, iustissima esset doctrinae ipsius reprehensio. Sed cum extent publice viri illius monumenta luculentissima, quae eum longe aliter in argumento hoc Sacramentario et sensisse et docuisse manifeste testantur, quam ab eius adversariis sparsum hactenus sit in vulgus, — non tam equidem in eo culpa iam haerebit, qui immerito accusatus atque adeo nec vocatus nec auditus, ne dicam convictus est, quam illis potius, qui ipsum et accusarunt immerito et suis praeiudiciis hominis non vocati, non auditi neque convicti apud Principes condemnationem urserunt. Eam igitur sibi laudem egregiam habeat Westphalus cum suis omnibus, qui, ut schismata in Ecclesia sererent, praeiudiciis suis condemnationes istiusmodi urserunt et obtinuerunt. At vero adhuc nobis superest summus ille et verax, denique inevitabilis omnium iudex, quem nihil latere potest, et ad cuius tribunal iustum om-(fol. 118)nium istorum praeiudiciorum olim ratio reddenda erit.
Ioan. à Lasco.

43.

Westphalus.

Ex tam manifestis mendaciis perfacile est iudicare, quid sit fidei habendum aliis praestigiis et imposturis, quibus circumducit lectorem, volens persuadere, tenebras esse lucem, mendacium veritatem, hoc est, falsam doctrinam Sacramentariorum consentire cum vera doctrina, quam pii Principes confessi sunt in libro exhibito Imperatori Augustae, ut, circumdatus molli vestimento ovium, tanto facilius ingerat se in Regna et Ecclesias, ubi sui erroris semina late spargat, unde proveniant zizania, quae boni tritici proventum et fructum impediant.

Aliud hic non respondeo, quam ut lector mutato nomine cogitet, Westphalum de se ipso loqui haec omnia, etiamsi Erinnys ipsius in me illa contorquere conatur. Ostendi, quam maliciosis et impudentibus calumniis nostra depravet omnia, quam mendaciter item nobis adfingat, quae nusquam apud nos leguntur. Exposui, nihil nobis esse commune cum illis, qui in usu Sacramentorum nuda atque inania signa constituunt, et humanae duntaxat conversationis notas publicas esse docent; quo tamen uno nomine maxime nos apud omnes traducit rabie sua Erinnys Westphalica. Postremo indicavi, idipsum a

Westphalo doceri, quod et nos docemus, etiamsi doctrinam (fol. 119) nostram diris omnibus devoveat. Ex his igitur omnibus facile est videre, quantum fidei sit tribuendum furiis Westphalicis, quae non possunt conquiescere, nisi sursum ac deorsum omnia misceant, novisque rursum turbis Ecclesias perturbent. Similis impudentiae est, quod addit, me ideo simulare consensionem in argumento hoc de Coena Domini cum Augustana Confessione, ut ita demum facilius me in Regna nescio quae et Ecclesias ingerere possim. Somniat Erinnys Westphalica, omnia Regna oportere ea observare, quae Imperii autoritate sanciuntur, neque locum esse usquam restituendae religioni, nisi per sancitam Imperii autoritate Augustanam Confessionem. At vero tantum abest ut aditum aliquem ad insinuationem restituendae religionis faciat autoritas Augustanae Confessionis, cum alibi, tum vero inprimis hic in mea patria, ad quam reditum meum sugillare hoc loco Westphalus videtur, ut vix alia re ulla animi nostratium ab instituenda religionis restitutione alienari magis possint, quam si quis illam ad Augustanam Confessionem, quatenus ex Imperii autoritate sancita est, adstringere velit. Nimirum quisque clamaret, violari avitas Patriae libertates et quidem in causa omnium gravissima, si religionis ipsa restitutio ad praescriptum Augustanae duntaxat Confessionis, autoritate Imperii sancitae, revocaretur, cum id inter alias patrias hic libertates semper sit observatum, ut Regnum Poloniae ad nullas omnino Imperii sanctiones adstringeretur unquam, nedum ut eis subiiceretur ullo modo. Westphalo judice igitur insinuare me eo volebam, quod animos omnium a me (fol. 120) maxime alienaturum erat, si obtendere voluissem. Sed Erinnys Westphalica ex suo angulo orbem universum metitur, et cum neque finem neque modum ullum habeat mentendii depravandi ac calumniandi nostra omnia, permittit sibi perfricta fronte in nos, quidquid ei in mentem venit, etiamsi vanissimum esse constet. Ubi vero me ingessi in Regna et Ecclesias, quemadmodum nugatur Westphalus? Extant vocationis meae illustria testimonia, tam hic in mea patria, quam alibi ubique, quibus sane Westphalus cum omnibus suis furiis, fidem abrogare non potest. Quare suam potius quam meam vocationem intueatur Westphalus, suumque in illa ministerium, ut illud Deo in Eius olim iudicio approbare possit; neque enim clam est, quid de eo plerique sentiant, etiam cives sui, ne quid de aliis dicam. Quod porro ad erroris mei semina et doctrinae suae (boni tritici scilicet) fructum attinet, certe adeo nihil hic opus erat opera mea ad impediendum tritici huius Westphalici fructum, a quo alioqui maior hominum pars dudum (ante reditum sane meum) prorsus abhorrebat, ut mihi depellenda fuerit suspicio etiam apud multos, qui me utraque, quod dicitur, sella sedere hac

in parte velle putabant. Illud certum est, me hactenus pressisse de industria fructus doctrinae Westphalicae, spe ac studio conciliationis Sacramentariae huius controversiae in Ecclesia Christi, qui si semel aliquando conspicui fiant, tum sane non immerito clamabit Westphalus, impediri doctrinae suae progressum, nimirum omnes intelligent, haudquaquam ferendum esse in Christi Ecclesia infoelix istud West-(fol. 121)phalicum lolium, quod ipse pro optimo tritico vult haberi, quo videlicet praecipuorum doctrinae Christianae capitum fides impuratur, in quibus alioqui et proram et puppim salutis nostrae consistere catholicae Christi Ecclesiae testimonio constat, — et aboletur unica illa conscientiarum nostrarum consolatio, aeternae iam Christi Domini nobiscum et nostrae eum ipso vicissim societatis seu communionis in corpore et sanguine ipsius, in qua sane nemo damnari et extra quam nemo rursum servari potest. Etsi autem a Westphalico hoc lolio nostratium animi maxima ex parte iam olim abhorrent, ut ad impedienda illius incrementa non magnopere iam opera mea egeant (gratia sit Domino!), tamen neque ego cessabo per Dei gratiam hoc agere, quod in me quidem erit, ut aut nullus sit locus apud nos Westphalico huic lolio, aut sicubi iam ab homine illo malicioso nocte ac furtim tritici nostri sementi permixtum est, quam minimum illi damni Divino beneficio dare possit.

Ioan. à Lasco.

44.

Westphalus.

Dominus Ihesus et ista et alia noxia zizania evellat, ut bonum semen purae doctrinae ubique foelicius proveniat et uberiores fructus afferat.

Re praeclare gesta scilicet precationem addit, sed qua sibi ipse, si rem propius intueatur exitium imprecatur. Nos enim in Sacramentaria hac controversia aliud nihil agimus, quam ut doctrinae Apostolicae puritatem, a catholica Christi Ecclesia receptam, asseramus, et superseminata non ita pridem zi-(fol. 122)zania, et cum Scripturis et cum Ecclesiae catholicae orthodoxis Patribus pugnantia, piis omnibus commonstremus, nempe de corporali in pane Coenae corporis Christi naturalis, sive locali, sive immensa praesentia, sic ut corporeis Ministri manibus in ipso pane Coenae aut sub pane seu per panem corporaliter porrigi et ore carnali percipi debeat; de immensa item corporis Christi per universum expansione et de communi piis pariter atque impiis participatione corporis et sanguinis Christi. Quae sane omnia sine praecipuorum fidei Christianae capitum violatione et sine manifesta Christi Domini contumelia retineri in eius Ecclesia non posse iudicamus. Cum igitur Westphalus sub zizaniorum nomine noxia dogmata intelligat et evelli ea optet, adversus semetipsum precatur. Nos

enim nullius hic novi dogmatis autores sumus, sed invecta per alios nova dogmata reprehendimus, eo quod optimum et salutare triticum doctrinae Apostolicae, unanimi semper catholicae Ecclesiae consensu adservatum, magna ex parte labefactent. Quare et nos iisdem verbis, sed longe alia mente, precamur, ut Dominus Iesus, aeterna alioqui veritas, triticum suum in Sacramentaria hac controversia, Westphalicis istis et similibus aliorum zizaniis impurari labefactarique ne sinat, atque evulsionem ipsam zizaniorum ei permittimus, dum volet et pro eo ac volet, modo ut triticum nobis in eius Ecclesia verae ac salutaris doctrinae suae illaesum manere possit. Quod equidem, promissionibus eius freti, ita futurum esse per eius gratiam non dubitamus, atque hac spe certissima (fol. 123) nos in Domino adversus omnia mundi totius praeiudicia consolamur. Quam sane consolationem animis nostris nemo unquam eximere poterit per gratiam Dei, etiamsi Westphalus, furiis suis omnibus succenturiatus, maria ac terras coelo miscere conetur. Certi sumus, nos gloriam Dei et controversiarum in Ecclesia pacificationem iuxta verbum Dei quaerere, ac proinde nihil dubitamus, Deum fore custodem et servatorem nostrum, dum pacificationem Ecclesiae, coniunctam cum Dei gloria, quaerimus, et scimus, Dominum abominari omnes, qui inter fratres dissidia excitant, adeoque et iudicium portaturos sine exceptione omnes, qui temere scindunt ac perturbant Ecclesiasticam societatem. Deo igitur nos et nostra permittimus omnia; Westphalum vero, dum aliud non possumus, furere, dum volet, deinceps patiemur.

APPENDIX.

Statueram ad sparsas in me Westphali ineptias nihil omnino respondere, et plane id fecissem, si me solum adlatrasset. Cum enim non tam equidem doctrinam nostram (praeterquam uno aut altero loco), quam suas ipsius calumnias potius oppugnet — id quod scripta alioqui nostra palam testantur — et quae nostra oppugnantur, ita sint Scripturarum autoritate communita, ut ne in dubium quidem vocari, nedum refelli ex verbo Dei ullo modo possint, cogitabam, nulla mihi opus fore apud pios et cordatos viros defensione adversus tam

impudentes hominis furiosi calumnias et debacchationes. Sed cum non tam me tantum hic in scripto isto suo petat (etiamsi id dissimulet), quam (fol. 124) omnes potius Peregrinas Francoforti Ecclesias, quarum nomine Purgatio nostra evulgata est, et plerique a me responsionem postularent, negare non potui fratribus, quod a me flagitabant. Respondi igitur, quanquam invitus, cum alioqui et gravioribus multo negotiis distringerer et morbis subinde recurrentibus exercerer. Respondi autem prolixius fortasse, sed hoc feci de industria, tum ut mendacem hominis calumniandi nostraque maliciosam depravandi libidinem ob oculos omnium ponerem, tum ut nostra, quae ille traducit, plenius aliquanto adhuc, quantum sane licuit, confirmarem. Neque enim animus est amplius unquam eius Sycophantiis respondere, quibus alioqui, ita praesertim pervicacibus, antiquitas iam olim nullum remedium adferri posse testatur. Doctrinae nostrae puritatem tuebimur per gratiam Dei, tantisper dum meliora ex verbo Dei non audimus. Amica et Christiana colloquia adeo non refugimus, ut illa iamdudum publice et privatim expetamus. Quae si impetrari non possunt, ad Iudicem illum provocamus, ad cuius tribunal omnes semel aliquando sistemur, et qui nos olim omnes, non iuxta hominum placita ac praeiudicia, sed iuxta traditam nobis verbi sui aeterni doctrinam, iudicabit. Illi sit laus honor et gloria in secula. Amen.

FINIS.

[BASILEAE, EX OFFICINA
Ioannis Oporini, Anno Salutis humanae M.D.LX. Mense
Martio.]

E P I S T O L A E

tres lectu dignissimae,

DE RECTA ET LEGITIMA ECCLESIARUM BEne instituendarum ratione ac modo:

AD POTENTISS. REGEM Poloniae, Senatum, reliquosq. Ordines:

D. IOANNE À LASCO BArone Poloniae, etc. autore.

BASILEAE, PER IOANnem *Oporinum.*

I.

SACRA MAIESTAS REGIA
ET DOMINE!
Domine clementiss.! perpetuam observantiae et subiectionis meae commendationem!

AUDIVIMUS iampridem laeta quaedam nuncia de coepta et istic demum restituta divino beneficio vera religione. Et quia multorum indies literis undecunque confirmantur, quemadmodum sane vera esse optamus, ita non prorsus vana etiam esse in Domino speramus. Quanquam autem plura forte dicantur, quam fiant — id quod alioqui saepenumero fieri solet — tamen vel pro ipsis saltem eorum, quae dicuntur, initiis, quantulacunque ea sint, gratias Domino Deo nostro supplices agimus, tuaeque maiestati Regiae et toti adeo patriae eo ipso nomine maiorem in modum gratulamur, ac votis ardentissimis precamur, ut Deus Opt. Max., quod istic iam orsus est, virtute porro gratiaque sua divina prosequi et constabilire dignetur. Amen. Ego sane, ubi haec (3) audissem, protinus mei officii esse putavi, ut te ad promovendam causam hanc pro mea tenuitate cohortarer, praesertim cum mihi qualemcunque tuae erga me clementiae significationem abs te ipso datam haberem. Itaque cum prae manibus haberem libellum, quem renascentis istic Euangelii initiis commodare posse videbam, tuae illum Maiestati potissimum totique simul patriae dedicandum esse iudicavi, eo quod in illo modus ipse et universa plane ratio bene instituendarum Ecclesiarum contineatur, quae sane res summe est necessaria circa omnem religionis instaurationem, quae quidem diuturna ac legitima esse debeat. Spero autem, non fore ingratum Maiestati tuae, si ad rem bene coeptam tanto maiore studio promo-

vendam inciteris, quanto plures te hac in parte monitores habere videas. Nimirum omnes intelligent, multorum te admonitionibus im- pelli propemodum ad prosequendam istic, post talia alioqui initia, religionis re-(4)stitutionem. Et certe hoc tecum reputare debebis Rex elementiss.!, non esse tibi negligenter ac contemptim hoc habendum, quod sub tua nunc potissimum gubernatione Christus Dominus in doctrina sui Euangelii istuc iam etiam adventare videatur. Horrendum est haud dubio, quod Christus Dominus, et quidem non sine lachrymis, sub Hierosolymorum nomino omnibus denunciat, quicunque tempus visitationis suae observare nolunt, nempe abscondenda esse iam deinceps ab oculis eorum omnia, quae ad pacem ipsorum ullo plane modo poterant pertinere. Horrendum hoc est, inquam, nisi si Christum Dominum ipsum in verbis suis mendacem facere velimus. Tempus porro visitationis istiusmodi graphice nobis, ne quid hic obtendamus, descriptum habemus, nempe cum adventanti Christo Domino et a discipulorum suorum et a puerorum, denique et a promiscuae etiam plebis, turba, frustra reclamantibus Pharisaeis, publice (5) acclamari videmus. Hanc enim talem publicam acclamationem gratulatoriam hancque publicam exultationem et laetitiam ad eam potissimum ipsam, cuius hic Christus meminit, visitationem pertinere, et prophetae alioqui et Euangelistae ipsi manifeste testantur. Cum igitur istic et discipulorum Christi, qui in ministerio Euangelii versantur, et puerorum passim per vias publicas et promiscuae praeterea plebis turbas, ad Christi Domini in doctrina Euangelii sui adventantem acclamationem gratulatoriam gestire quodammodo ac tantum non procurrere vides, — dubitare profecto non debes, tempus iam venisse vestrae istic etiam visitationis. Et proinde vobis pariter omnibus serio observanda esse, quae ad pacem vestram, non equidem in Papae ullius Romani curia, sed in tremendo Dei ipsius iudicio — in quo Papas sane omnes sisti oportebit — pertinere putatis, siquidem Christi Domini lachrymas et horribilem illam pacis abscon-(6)sionem derivare in vos nolitis. Vaeh numque illis, in quos lachrymae illae Christi Domini redundant, et qui non amplius, quae ad pacem spectant, videre possunt! Ne igitur negligatis, tu tuique omnes, tempus hoc vestrae visitationis, utcunque hic nobis reclament ac fremant vestri Pharisaei sacerdotumque principes. Alioqui cavete, ne, si discipulorum Christi eius Euangelio, puerorum item ac plebis promiscuae acclamationem remorari in Pharisaeorum gratiam, aut impedire quoquomodo velitis, — cavete, inquam, ne vel muti inanimatique lapides, vobis invitis, clament in testimonium vestrae ingratitudinis et condemnationis. Absit autem Rex inclyte!, ut tu maiorem istic Pharisaeorum, quam Christi Domini, rationem habere velis. Cupiunt illi

quidem videri posse aliquid et habent suas artes tuondi nsurpatam tyrannidem impediendique, si quid in se statui videant. Sed sibi ipsimet non constant; neque enim dubium est, inter ipsos late-(7)re plerosquo Nicodemos, qui non magno negocio ad Christum, vel noctn deduci possent, donec paulatim firmiores cvaderent, si modo tyrannidem illam o synagoga eiiciendi sublatam viderent. Et, ut nulli taies sint, atque omnes planc veluti coniuratis animis Christo Domino reclamare conentur, nusquam sane minus, quam istic, et vires et artes ipsorum valero possunt, tametsi in hoc tali adventu Christi Domini nihil opus est aliis plane ullis adversus istos consiliis, quam ut vestrum quisque Christo Domino obviam certa fiducia et cum publica gratulatione, pro vestrae vocationis ratioue, occurrat. Tanta est videlicet Christi Domini in regio adventu ipsius vis se potentia ad repurgandum templum ipsius, ut, etsi sacerdotum principes scribaeque et Pharisaei omues adventui ipsins, quantum omnino possunt, reclament, atque a templi ipsum sui ingressu arcere modis omnibus conentur, — veniat tamen nihilominus ipse templumque ipsum regia in illo autoritate sua, eicetis omnibus Pharisai-(8)cis nundinationibus, prorsus repurget, et ad obturanda adversariorum omnium ora, non discipulorum modo puerorumque ac plebis promiscuao turbas, sed ipsa quoquo saxa muta ac bruta animantia loqui et clamare faciat. Ne igitur te tuosquo moveant, aut vos ullo modo sollicitos habeant, opes potentia atquo artes adversariorum istic Christi pariter omnium. Conticescero illos denique et cedero prorsus oportet Christo Domino, dum ille cum publico discipulorum puerorum ac turbae applausu ad repurgandum templum suum venire dignatur. Sed tuum erit, Rex clementiss.! omnes ut regni tui portas adventanti Domino gloriae patere, quod in te est, facias, illumque iuxta doctrinam Propheticam supplex exosculeris in doctrina sui Euangelii, cuius fulgorem alioqui palam oxoriri ubique, invito ac reluctante mundo universo, videmus, ne quo modo fiat, ut ita ipsins adversum te et regnum tuum veluti ignis flamma depascens omnia exardescat. Tuno enim beatos fore pronunciat Propheta, non equidem (9) eos, qui Pharisaeis Papisve addicti adeoque et iurati essent, sed illos duntaxat, qui vero Zionis regi, Christo inquam Domino, vera minimeque hypocritica fide atquo observantia adhaesissent.

Horum te ita admonero volui, Rex potentissime! pro fide observantiaquo mea, qui tuam alioqui dignitatem istam regiam eum aeterna salute ao regni coelestis gloria coniunctam esso optarim, et ut Maiestatis tuao excellentia a Pharisaeorum istic, indigna te profecto, tanto Rege, tyrannide semel aliquando vindicetur. Oro te autem, Rex clementissime! ut meum hoc studium, quo te in Domino prosequor,

meamque istam scribendi libertatem boni consulere pro pietate ac clementia tua Regia et me gratia tua prosequi patrocinioque tuo tueri digneris. Deus Opt. Max. adsit tibi Spiritu sancto suo, regat consilia tua omnia et omnibus tuis actionibus benedicat. Amen. Francforti, ult. Decemb. 1555.

Tuae Maiestati Regiae

addictissimus

Ioannes à Lasco.

II.

ILLUSTRES, MAGNIfici et generosi Domini! D. ac Patroni summa cum observantia colendi!

Gratiam vobis et pacem precor a Deo patre nostro per unigenitum suum filium Christum Iesum, in Spiritu S., ut regnum eiusdem ipsius filii Dei in sacrosancti Euangelii sui doctrina, hactenus istic per Antichristianam Papismi tyrannidem obscurata, iam tandem inclarescere atque etiam in omni pietate iustitia et sanctitate (quod in vobis est) fructificare faciatis, ad gloriam adorandi nominis Divini et vestram pariter omnium totiusque adeo patriae salutem! Amen.

Hoc vobis, inquam, toto pectore precor, et mea simul officia, si quae ullo modo in Domino praestare queam, communi nostrae patriae sub vestro nomine reverenter, ut debeo, summaque fide mea commendo.

MIRUM id forte quibusdam videri poterit, alii vero iniquius, opinor, etiam ferent, quod ego, tot iam annos alioqui peregre atque in silentio versans vestrorumque tanto iam tempore consiliorum (11) ignarus, scribendi mihi ad vos provinciam nunc demum sumere voluerim. Sed ego eas mihi consilii hic mei causas habere videor, quae apud vos praesertim pro vestra prudentia et admirationem omnem tollere et me ab omnibus etiam omnium obtrectationibus facile liberare possint. Quodque ad meam in primis tanti iam temporis peregrinationem attinet, equidem vobis constare puto, me neque temere, neque ullo item patriae nostrae aut contemptu aut odio, sed gravissima causa impulsum, meam hanc peregrinationem instituisse, et hactenus demum prosequutum esse, propter improba prorsus planeque Antichristiana Psychotyrannorum istic nostrorum praeiudicia, de

quibus sane multis nunc agere, neque est mei ad praesens instituti —alio enim specto, quam ut eam apud vos Camarinam moveam— et iampridem alioqui statui, improbitatem ipsorum patientia mea vincere. Tantum id obiter attingere ita volui, ut eorum calumniis occurrerem, qui meam me (12) peregrinationem nescio quo patriae nostrae contemptu atque odio instituisse fingunt. Mihi sane neque contemptus patriae ullus, cuius summa alioqui beneficia agnosco, neque odium item ullum, cum meipsum illi secundum Deum debere ingenue profitear, in causa fuit, ut peregrinationem meam instituerem, sed impietas ipsa atque abominatio in eo vitae genere, in quo istic versabar, in Papistico inquam sacerdotio, quo me liberare non poteram, si istic manere voluissem. Enimvero quum id ex diametro plane et quidem multis nominibus cum Christi Domini summo alioqui et aeterno sacerdotio pugnet omnino, neque sine horribili illius contumelia retineri possit — id quod sane clarius est, quam ut vel negari iam, vel etiam dissimulari possit — non amplius et ego in illo mihi haerendum esse existimavi. Quanquam autem hactenus corpore istinc abfui, animo tamen ac spiritu meo vobis totique nostrae patriae nunquam defui, memor vestri semper (13) in Ecclesiarum interea mihi concreditarum precibus perpetuisque semper auspiriis, si quando Dominus gratiam suam adderet, ut, propulsa et istic semel Antichristiana ventrispiritalium nostrorum tyrannide, lux tandem etiam Apostolicae atque Euangelicae doctrinae vobis et toti simul patriae adfulgeret. Agnovi publice semper, ubi ubi versatus sum, meum erga patriam debitum in hunc usque diem, neque ulli me usquam ministerio adstrinxi, quin semper patriam exceperim, si quando operam illa meam requireret circa religionis potissimum instaurationem. Testatus id sum disertè idque pluries, cum apud multos istic privatim, tum vero etiam apud Maiestatem ipsam Regiam; quae certe omnia luculentissima esse documenta arbitror, ut alia taceam, me quam longissime proculdubio ab omni patriae nostrae sive contemptu sive odio semper abfuisse, nisi quod in mutando impio prorsus blasphemoque vitae meae genere maiorem mihi rationem Dei quam pa-(14) triae habendam esse non dubitavi. Porro, quemadmodum Pharisaici mei instituti impietate adductus, peregre hactenus vixi, ita sane incredibili semper audiendi aliquid de verae istic religionis instaurationis desiderio tenebar, foelicem me videlicet fore ratus, si quid huius certo alioqui audire possem. Cum igitur in meo pridem huc adventu, non solum audissem, sed multorum etiam literis aliquid huius confirmatum accepissem, ingratus mihi plane erga Deum ipsum, erga patriam vero negligens atque inofficiosus fore videbar, si non gaudii apud pios mei indicium istic publicum aliquod facerem, ipsique adeo patriae nostrae publice etiam gratularer. Obtulit se

mihi autem non incommoda, meo quidem iudicio, utrunque id faciendi occasio. Apparabam libellum Ecclesiastici nostri in Anglia ministerii, quem istic quoque ad instituendum legitimum ex verbo Dei in Ecclesiis ministerium non inutilem fore iudicavi. Eum igitur toti nostrae patriae sub Re-(15)giae Maiestatis vestroque pariter omnium nomine dedicare volui, ut ét gaudium vobis meum attestarer ét toti etiam patriae nostrae de tanto Dei beneficio publice gratularer. Cumque sub Regio vestroque pariter omnium nomine prostet, mei sane id officii esse putavi, ut vobis per me etiam pro mea in vos observantia mitteretur. Mitto itaque illum vobis. Et si quis id vel admiretur, vel etiam iniquius ferat, cogitabit, mihi pluris faciendum fuisse meum erga patriam debitum atque officium, quam praeposteram cuiusquam sive admirationem sive etiam offensionem, tametsi vix credam offensum iri istic alium quenquam meo hoc in patriam officio praeter Caiphas forte aliquos, aut si qui illis prorsus addicti sunt, ullove alioqui vinculo ita obstricti, ut scenae ipsorum subservire, ne dicam subparasitari cogantur. Quorum interim omnium iudicium quanti sit in religionis potissimum causa faciendum, vos ipsi pro vestra prudentia facile no-(16)biscum reputare potestis. Ego sane talium offensiones nihil moror, nedum ut propter illas meum erga patriam officium, si quod modo praestare queam, praetermittere velim, neque dubito studii hanc mei in patriam meaeque in vos observantiae testificationem et vobis et piis praeterea istic omnibus non ingratam fore. Iam vero libellus ipse pro se loquetur in dedicatoria ad vos epistola et in ipsa item praefatione, ut hac quidem in parte non magnopere mihi opus esse videatur pluribus hic agere. Sed potius mihi vos admonendos esse puto pro mea in vos et patriam nostram fide ét periculorum, quae vobis proculdubio sunt expectanda, si vestrum hic officium summa cura ac diligentia pro vestra virili non praestetis, ét vestri item officii, ad quem modum vobis praestandum sit, si pericula omnia iam alioqui impendentia, et vos ipsi declinare, et patriam communem nostram ab illis etiam liberare velitis. Postremo autem refellam obiter ea, quae ad impe-(17)diendum cursum restituendae verae religionis istic potissimum proferri posse videntur. Oro igitur, ut me, etiamsi paulo forte sim prolixior, benigne interim audire ne gravemini, operamque demum vestram in praestando vestro officio sedulo pro vestra pietate adhibeatis, ut vestram olim vocationem in Dei iudicio approbare possitis.

Nulla est visa unquam in Dei populo calamitas publica, nisi post violatas publice etiam, aliqua saltem ex parte, pacti divini leges, et habitas praeterea publicas rursum easdemque insignes violationis illius ex verbo Dei reprehensiones atque accusationes, adiunctis alioqui exhortationibus ad resipiscentiam et pacti violati instaurationem.

Neque item vitari unquam potuit publica eaque gravissima calamitas, si quando habitae de pacti divini instauratione publicae admonitiones, aut sunt contemptim reiectae, aut admissae quidem ac receptae, sed in eis amplectendis quidvis aliud est quaesitum, (18) quam gloria et sanctificatio nominis divini. Eius sane utriusque rei tot sunt exempla in divinis literis, ut totius Biblicae scripturae testimonio doceamur, esse indubitato expectandam ei genti gravissimam calamitatem publicam, ne dicam interitum, in qua auditas publice praeter solitum peccati illius reprehensiones habitasque publice etiam de amplectanda verbi divini obedientia admonitiones, aut contemptim reiectas interim, aut per hypocrisim negligenterve receptas fuisse constet. Itidem vero et nostro hoc iam tempore re ipsa experimur, siquidem propius paulo intueri omnia velimus. Nimirum nusquam non variis plagis afflicta esse ea loca videmus (iusto hauddubie iudicio Dei), quibus doctrinae Euangelicae lucem publice affulsisse, interim vero aut reiectam, aut secus quam par erat receptam esse scimus. Atque est quidem odiosa nostri nunc temporis exemplorum commemoratio, sed non ideo tamen efficitur, non (19) esse verum, eo quod tantopere invisa habeatur. Quodsi patriae quoque nostrae faciem, ut nunc est, paululum observemus, certe nullis unquam nostris historiis proditum comperiemus ab ipsa usque gentis nostrae, nobis alioqui cognita origine, auditam istic esse eiusmodi, qualis iam passim auditur, vel abominationis in Papismo Antichristianae accusationem, vel ad lucem verbi Divini amplectendam exhortationem, ut negari profecto non possit, praeter solitum id nunc istic fieri et peculiari proculdubio planeque admirando opere Dei, cuius alioqui vim ac potentiam ita sane toto iam fere Christiano, ut vocant, orbe inclaruisse videmus (et quidem frustra renitentibus omnibus Papisticae tyrannidis coryphaeis propugnatoribus ac patronis), ut ipsimet Papistici sacerdotii una collecti Principes omnes ipseque adeo summus ille creator ipsorum Papa, inviti quidem, sed luce invicta veritatis Euangelicae compulsi, fateri omnino co-(20)gantur, necessariam modis omnibus esse religionis in Ecclesia reformationem, etiamsi suum adhuc ingenium in eo prodant, quod eam ipsam religionis instaurationem ipsi soli instituere pro suo arbitrio et moderari volunt. Perinde atque, si infectis morbo ovilibus, lupi quoque, ut suum dissimulent ingenium, remedium quidem ovibus aliquod adhibendum esse agnoscant, sed sibi duntaxat omnem ovium curam, submotis canibus omnibus, committendam esse clament: praeclare scilicet prospectum iri ovibus, quae curae luporum committerentur. At vero lupi nunc cum suis conventiculis valeant. Nos opus ipsum Dei, quod in restituenda Euangelii sui luce palam cernimus, pro eo ac debemus, observemus, ne inter contemptores olim divinorum beneficiorum nume-

remur. Praesertim dum Antichristianam Papismi tyrannidem, hactenus sane pro numine ipso habitam, adversus quam videlicet ne mutire quidem licebat, iam interim per doctrinam (21) Euangelii momento fere temporis (sit Domino gratia!) in lucem ita productam, et latriae item atque abominationis in illa barathrum, veluti digitis quodammodo, ita commonstratum esse magisque ac magis in dies adhuc commonstrari videmus, ut vel a pueris etiam agnosci parvo negocio possit. Equidem Christus ipsemet Dominus iam olim praedixit, fore, ut ante seculi consummationem adventumque rursus suum in doctrina sui Euangelii, veluti postliminio, praedicetur ac tubae instar sonet apud omnes gentes ad convincendam illarum impietatem, quatenus sane denuo sic praedicata, passim nihilominus aut reiicienda prorsus, aut certe per hypocrisim negligenterve recipienda esset. Huc enim spectare videtur, quod ait: Praedicandum esse in testimonium omnibus gentibus, sive adversus omnes gentes, quemadmodum sese ipsemet alibi exponit. Atque alibi rursum, vix se ullam in terris fidem, ubi advenerit, reperturum esse, testatur, etiamsi praedixerit, Euangelium (22) denuo ante suum adventum praedicandum esse, et quidem omnibus gentibus, ne quisquam hic ullas omnino excusationes obtendat. Nimirum, ad quem modum sub priore olim illa per Apostolos Euangelii praedicatione ingens omnium gentium concursus erat ad amplectendam magno cum fructu salutarem doctrinam illius, ita sub extrema hac rursum nostro tempore illius repetitione pios quidem in fide confirmari necesse est ad perferendam tyrannidis Antichristianae, nunc sane ut nunquam antea grassantem, truculentiam, quorum interim prae aliis exiguus admodum numerus est futurus, — rebellis vero impiorum contemptus, fucus item hypocritarum omnium patefiet ad ponendam illis ob oculos iustam impietatis tandem ipsorum condemnationem. Atque sane res ipsa loquitur, quam sit exiguus hoc tempore numerus eorum, qui tubae Euangelicae clangorem, iam denuo passim alioqui sonantem, prae aliis, amplectantur; multos autem, qui illum aversantur (23) plane ac reiiciunt, — et inter eos ipsos rursum, qui illius studium prae se ferunt, quam pauci sint etiam, qui in eo amplectendo, non tam quae sua ipsorum sunt quaerant, quam quae Iesu Christi, ut Pauli verbis loquar. Alioqui undenam tot plagae Dei, quibus nunc plena ubique omnia esse videmus? et quidem iis potissimum locis, qui de recepta publice doctrina Euangelii gloriantur? Equidem Deus verbi sui obedientiam illiusque studium remuneratur, non punit, publica praesertim patriae totius calamitate. Sed, quoniam maiore multo contumelia afficitur, si divini sui nominis autoritatem nostris ipsi viciis pravisque affectibus per hypocrisim obtendamus, quam si manifeste doctrinam ipsius humani quodam iudicii errore a

nobis reiiciamus, — nihil sane mirum est, graviores Dei plagas subinde conspici, ubi aut per hypocrisim, aut etiam negligenter est recepta publice Euangelii doctrina, quam ubi palam errore iudicii, ut dictum est, reiectam esse (24) constat. Posteaquam igitur tubae istius Euangelicae clangor istic quoque apud vos ita iam insonuit, ut non a verbi ministris modo, iisdemque plurimis, et promiscuae item plebis multitudine, sed ab universo propemodum etiam virorum nobilium ordine, religionis instauratio ipsa publice iuxta verbum Dei flagitetur; cogitare profecto debetis, diligenter vobis tubae huic, ita alioqui sonanti, auscultandum esse, et cavendum, ne vestra potissimum culpa fiat, ut, quod vobis gratuito Dei beneficio ad vestram ipsorum et totius adeo patriae salutem offertur, quod ad Deum quidem attinet, id demum cedat per vestram ingratitudinem ad vestram ipsorum et totius patriae calamitatem. In vobis namque id est in primis positum, si, dum publicis istic regni totius consiliis pro vestrae vocationis praerogativa praeestis, divinae vos hic voluntati in Senatorio coetu vestro haud segniter accommodetis, maioremque Dei vobis hic, quam hominum rationem in (25) ferendis vestris suffragiis habendam esse statuatis, ac Regiae maiestati, ut idem faciat, sedulo ac consentienter omnes autores sitis. Id equidem si praestetis — quemadmodum opto ac spero et a Deo vobis etiam supplex votis omnibus precor — tum sane fidem ante omnia vestrae vocationis Domino Deo piisque ubilibet omnibus approbabitis, publicam item calamitatem istic et a vobis ipsis et a patria tota depelletis, et aeternam praeterea nominis vestri memoriam ad omnem posteritatem transmittetis. Sin minus, tum certe et apud Deum in eius iudicio et apud pios ubique omnes fidem vestrae vocationis multis nominibus gravabitis: vestra item culpa publicam et vobis ipsis et toti patriae calamitatem accersetis atque aeternam insuper etiam nomini vestro notam apud omnem vestram posteritatem inuretis. Certe id vobis persuasissimum habere debetis, tubae huno apud vos Euangelicae iam clangorem, quae alioqui, etiamsi maxime velitis, dissimulare non potestis, certissimum esse pro-(26)dromum istic gravissimae alicuius calamitatis publicae, ne quid gravius dicam, siquidem vestrum hic officium aut non praestetis, aut etiam, quam par est, negligentius praestetis.

Ne vero haec ex meo ipsius cerebro profecta esse putetis, horum vobis omnium praenuncium commonstrabo, haudquaquam alioqui mendacem, regium inquam prophetam illum Davidem, cuius doctrina hac in parte utinam tam diligenter observetur, quam frequenter in templis decantari passimque demurmurari consuevit. Is namque utrunque id complectitur secundo Psalmo suo, quod mihi apud vos ego tractandum suscepi, nempe ut periculorum magnitudinem illis exponat, qui

inclarescenti regno Christi in doctrina sui Euangelii reniti ac reclamare conantur, et officium eis ipsorum commonstret, siquidem mala quae ibi recensentur declinare velint. Scribit autem de Regibus Propheta, et iis qui Regum consilia ac iudicia gubernant, ut, quae illic dicuntur, ad vos hauddubie etiam, qui in Senatu (27) Regio estis, intelligatis pertinere. Et scribit, tanquam rem ipsemet praesentem intueretur, quae tamen multo post illum tempore futura erat, ut ostendat, tam vera fore, quae praedicit, quam vera esse scimus, quae oculis ipsi nostris subiecta habemus. Hic igitur Prophetae doctrinam paululum observemus.

Dicturus de regni Christi illustratione in sua Ecclesia Propheta, quod videlicet per doctrinae Apostolicae ministerium toto orbe terrarum promovendum erat, regum nobis mundi huius procerumque regiorum, nisi spiritu Dei regantur, ingenium consilia atque apparatus, more ac spiritu prophetico ante omnia describit. Mox horribilem illorum finem recenset, siquidem in suo ingenio suisque consiliis atque apparatibus perseverare pergant. Postea ad resipiscentiam eos hortatur, et partes officii ipsorum commemorat. Ad extremum vero causas reddit suae illius ad Reges exhortationis. Primum igitur docet (28) eiusmodi fere esse ingenium Regum mundi, quod in ipsis est, omnium, praeterquam si divinitus aliter instituantur, ac proinde procerum quoque illorum omnium, qui eorum consilia iuxta morem mundi huius moderantur, ut regnum Christi Domini invisum sibi plane habeant neque ullo modo ferendum esse putent, atque ita continuo illos offendi planeque commoveri, denique et consilia adversus Christum Dominum agitare et apparatus nescio quos facere, simulatque commendari illustrarive per doctrinam Euangelii vident ullo modo vim dignitatem atque excellentiam regni ipsius. Ea videlicet est humani iudicii, quemadmodum in aliis rebus omnibus, ita et in Regiae aut politicae cuiusvis alterius functionis corruptela, ut Reges potissimum ipsi eorumque proceres ad dominatum se eorum, quibus praesunt, natos aut vocatos esse putent, non autem ad Dei inter illos ministerium. Dum itaque de regno Christi audiunt illudque inclarescere vid nt, (29) quicquid Christo tribuitur, id totum sibi detrahi atque eripi putant. Et, quoniam Christo Domino omnes totius orbis terrarum gentes in possessionem adeoque et haereditatem aeternam a Deo patre coelesti traditas esse audiunt, suum sibi in regna sua ius adimi imaginantur, ideoque illum in doctrina ac ministris ipsius aut perdere omnino, si queant, aut regnis suis alioqui arcere, aut nomen saltem illius alendis suis vitiis obtendere conantur. Tale, inquam, ingenium Regum in mundo hoc, et eorum procerum, describit Propheta, et describit cum pathetica quadam admiratione atque ex-

postulatione, ut ostendat, quam praepostere id ita a Regibus fiat et quam longe hic absint a legitima praecellentis alioqui vocationis suae, a Deo ordinatae, functione. Deinde vero exponit Propheta, qualia sint talium Regum, quae inter se agitant, consilia, et quales item, quos adornant, apparatus: nempe videri quidem et Regibus ipsis et eorum pro-(30)ceribus consilia hac in parte ipsorum valde speciosa efficacia atque omnis humanae prudentiae modis omnibus plena, apparatus item ipsorum plane invictos, ut, cum sine Conciliorum autoritate vel propinquorum Principum assensu nihil hic sibi aggrediendum putant, et mutuis sese foederibus in hoc invicem astringunt, ut tanto maiore vi atque apparatu, si quid esset agendum, una et coniuncti agant unaque sustineant, quicquid omnino sustinendum esset. Quis enim non melius prudentiusque multo esse dicat, publicam universalis toto Christiano, ut vocant, orbe Concilii autoritatem in consilium adhibere, quam privata unius alicuius Regis cum suo senatu autoritate novationes in religione instituere? Quis item non multo consultius esse affirmet, aliorum quoque auxiliis communiri, quicquid omnino aut agendum aut sustinendum quoquo modo esset, quam ut solus quispiam cum suis duntaxat temere sese omnibus periculis (31) exponat? Haec igitur ac similia humanae prudentiae consilia Regibus quidem ipsis eorumque proceribus videri hauddubie praeclara, solida omniumque tutissima. Caeterum in conspectu Dei, quem nihil latere potest, esse vana omnino, atque adeo vanitatem ipsam, si divinae illius voluntati ac potentiae opponantur. Ad haec ridicula etiam, ut quae non aliter ab illis instituantur, quam si cum Deo, in terris hic duntaxat versante, humanis consiliis ac viribus certandum esset, cum ille pugillo suo et coelum et terram contineat, et, collocata in coelis, imo supra coelos omnes, Maiestatis suae sede, humanas istiusmodi et consiliorum et apparatuum vanitates omnes e sublimi derideat risuique ac subsannationi omnium etiam exponat. Praeterea eiusmodi quoque esse coram oculis Dei, quod multo est gravius, ut Deum ipsum ad iracundiam adeo provocent, ut tum demum potissimum gravissime incandescat omniumque severissime illos alloquatur, denique et (32) disturbet eos omnino in suo furore, cum sibi illi omnium optime a periculis omnibus cavisse consiliorum suorum industria omnique apparatus genere instructissimi esse videntur. Suntque hic vobis observandae temporis particulae illae, quas non temere alioqui Propheta adhibet, dum ait: „Tunc loquetur. Nunc sapite o Reges! Repente exardescet ira eius", ut intelligamus, in foribus iam adesse calamitatem publicam ac vindictam Dei, quoties a Christo Domino regni sui sceptrum alicubi in doctrina sui Euangelii per eius ministros publice proferri, et adversus illud nihilominus agitari con-

silii apparatusque fieri videmus. Describit praeterea irae huius divinae ac plagarum magnitudinem Propheta, quas talibus Regibus expectandas omnino esse praedicit, nempe ita accensum iri furorem Domini ad disturbandos istiusmodi Reges in omnibus consiliis atque apparatibus ipsorum, ut ferro sit ipsos invasurus, atque in pulverem, veluti fictilia, (33) redactos pedibus omnium subiecturus, sicque demum omnem viam eorum ad interitum extremum deducturus. Haec vero omnia repente super illos ventura esse, ne se longa adhuc malorum istiusmodi expectatione solari ullo modo possint. Repente enim et sine spe veniae ulla exarsuram esse divini adversus illos furoris vehementiam, haud aliter quam gravissimam alicuius incendii flammam, quae unico propemodum temporis momento et erumpit inopinato et obvia simul omnia depascitur atque absumit. An vero non est horribilis haec talis divinae severitatis descriptio? Equidem fieri non potest, quin illa moveatur, quisquis doctrinam Propheticam veram esse atque a divino illo adorandoque Spiritu omnis veritatis profectam esse ex animo credit. Ac rursum fieri non potest, ut quisquam Deo spiritui sancto, per Prophetas loquenti, credat, qui non se in corde suo moveri sentiat tam horribili severitatis descriptione ad-(34)versus Christi Domini regnique sui per doctrinam Euangelii inclarescentis adversarios et contemptores. Certe Propheta ipsemet atque idem Rex etiam, dum hanc ita horribilem ac repentinam vindictae divinae severitatem, tanquam praesentem, spiritu Prophetico intuetur, adeoque illa commovetur, ut versa protinus ad alios Reges, functionis videlicet suae collegas, oratione, atque sub Regum nomine ad eos omnes, qui in gubernationis politicae parte aliqua quoquomodo versantur, graviter illos ipsorum officii admoneat, certissimum illis prorsusque formidabilem interitum denuncians, nisi resipiscere velint. Quid? quod Christus ipsemet Dominus hoc ipsum nobis etiam parabolica similitudine apertissime confirmat, dum eos sine discrimine omnes, qui ipsum super se regnare noluerant, in conspectum suum adducendos, ubi e longinqua regione sua redierit, atque coram sua facie sine spe veniae ulla obtruncandos esse affirmat? Cum enim sit (35) parabolica tota illa Christi Domini narratio, nihil sane obstare potest, quominus reditum illum e longinqua regione parabolice etiam interpretemur, sive illum de extremo illo suo ad iudicium reditu in glorioso demum corpore suo, sive etiam de restituendo, veluti postliminio, doctrinae suae splendore per singularem Spiritus sui virtutem ac potentiam et proinde veluti per suam quandam praesentiam intelligamus, atque ita confirmari plane dicamus, horrendam illam severitatis divinae a Propheta adumbratam faciem adversus eos omnes, qui in hoc consilia sua agitant omnia, ut Christi

Domini et Apostolorum iugum abiiciant atque aboleant, parabolica hac Christi Domini de iis, qui ipsum super se regnare noluerunt, doctrinà ac narratione. Quare cum negare non possitis, Viri praestantissimi! haec ad vos etiam pro ratione vestrae, ut dictum est, vocationis secundum Reges ipsos pertinere, etiam atque etiam profecto cavendum vobis erit, ne (36) qua culpa vestra fiat, ut aliquam eiusmodi calamitatem, qualem et a Propheta et a Christo Domino ipsomet praedictam videtis, primum Regiae maiestati, vobisque pariter omnibus, deinde toti etiam patriae, consiliis vestris accersatis. Cavere autem poteritis, si officium vestrum in coetu Vestro Senatorio, ad quem modum a Propheta est praescriptum, pro vestra summa virili faciatis. Quemadmodum enim calamitatis magnitudinem graviter vobis ob oculos vestros positam habetis, si Christi Domini regnum in doctrina sui Euangelii remorari impedireque aut ullo modo obscurare conemini, ita etiam officii rursum vestri partes vobis idem ipse Propheta exponit, ut eam ipsam calamitatem et ipsi alioqui declinare et a tota patria avertere possitis, siquidem Prophetae, aut verius Spiritus sancti consilium, per Prophetam loquentis, audire et sequi velitis. Duo sunt autem praecipua, quae Propheta et in Regibus ipsis et in illorum proceribus omnibus, qui (37) vel consiliis, vel iudiciis publicis praesunt, requirit: alterum, ut erudiantur atque ita demum sapiant, — alterum, ut id protinus et sine mora causationeve ulla faciant. „Nunc iam igitur sapite, inquit, o Reges! erudimini, o praesides terrae!" Quid vero! desipiuntne reges et inscitiae proceres illorum accusantur omnes, nisi Prophetae hic doctrinam audiant ac sequantur? Equidem, qui verbis hisce offenduntur, non mecum, sed cum Propheta ipso expostulare debebunt. Quorsum enim aut sapere denuo, qui per se alioqui sapiant? aut qui eruditione pollent, denuo etiam, et quidem protinus, erudiri iubentur? idque proposito horribili ac repentino, nisi id faciant, interitu ipsorum. Qualiacunque igitur et undecunque petita consilia stultitiae hic atque inscitiae damnari verbis Prophetae, videmus, si cum tradita per ipsum doctrina consistere non queant. Orditur ergo suam ad Reges eorumque proceres admonitionem, ut (38), abiectis omnibus humanae iuxta mundum sapientiae consiliis, ad eam solam quae ex Deo est sapientiam animos suos adiiciant, hanc unam quaerant, in hac se erudiri patiantur, iuxta hanc sua instituant omnia atque ab illa se dimoveri non sinant; praesertim vero, dum Christi regnum in doctrina sui Euangelii inclarescere vident, ne et sibi ipsimet et suis omnibus repentinum interitum accersant. Recenset autem divinae huius sapientiae officia ac fructus, ut illorum indiciis, veluti notis quibusdam, et sentiri intra nos ipsos conscientiae nostrae testimonio et ab aliis

etiam agnosci facilius possit. Atque alibi quidem initium huius sapientiae facit timorem Domini, et eam constare potissimum docet diligenti mandatorum Dei custodia ac observatione. Hic vero paulo clarius idipsum explicat rationemque eius ipsius timoris in hac sapientia, Regibus potissimum eorumque proceribus aliquanto plenius (39) exponit, ut, qui nobis Dei in terris imaginem quandam praecellenti sua vocatione quam proxime referunt, ab iis etiam Dei filius quam officiosissime colatur. Docet igitur, in divina hac sapientia timorem quidem requiri, sed esse peculiare quoddam eius timoris genus. Nempe non, quo sibi aut hostes ab hostibus aut cives a tyrannis suis metuunt — longe enim a Christo Domino, filio Dei vivi, absunt hostilia tyrannicaque omnia — sed quem clientes patronis, boni item servi dominis et liberi parentibus suis ultro se debere agnoscunt. Hostilis ac tyrannicus ille timor cum odio semper animorumque alienatione quadam est coniunctus, id quod alioqui vox illa tyrannica: Oderint dum metuant, palam testatur. Hic vero, quem Propheta nobis commendat, ab amore atque observantia proficiscitur, obsequendique studium ac sollicitudinem quandam in nobis gignit, ne quo modo eos, quibus eiusmodi timorem ultro nos debere agnoscimus, (40) nostra sive imprudentia sive negligentia offendamus, sed potius illis placere, gratificari atque obsequi modis omnibus pro nostra virili studeamus, et in nostra nobis ipsi hac in parte, tum imprudentia, tum insufficientia (ne quid de negligentia dicam) displiceamus; ita tamen, ut certissimam veniae spem, nobis quidem diffisi, sed eorum, quos ita reveremur, benignitate confisi, semper retineamus. Hunc sane talem erga Christum Dominum timorem requirit Propheta in ea sapientia, ad quam hic Reges proceresque illorum omnes exhortatur, si quando inclarescere videant regnum ipsius. Servite, inquit, Domino in timore. Estque haec prima timoris eius nota, quem Propheta in divina hac sapientia requirit, ac primus etiam sapientiae gradus, ad quam Reges proceresque omnes cohortatur. Quia vero in hostili illo aut tyrannico metu simulari non raro potest serviendi hoc studium, ad quem modum Herodes illud post natum Christum (41) Dominum apud Magos insidiose simulabat, addit et alteram timoris huius notam Propheta, quae in hostilem tyrannicumve metum illum cadere nullo modo potest, animi videlicet gaudium atque exultationem. Quis enim secundis hostium tyrannorumve rebus non potius perturbetur quam laetetur, etiamsi nonnunquam laetitiam simulemus? quae tamen ita simulari nunquam potest, quin sese fucus hypocriseos alicubi prodat. Eius rei praeclarum in eo ipso Herode, cuius iam meminimus, exemplum habemus. Is ubi Christum Dominum natum esse audisset, conatus est quidem et ipse simulare magnam

laetitiam apud Magos, dum se quoque ad adorandum illum venire velle profitetur, ac proinde accurate perquiri omnia sibique demum renunciari iubet, sed revera, audito de regno Christi vixdum nati nuncio, gravissime una cum suis proceribus totaque adeo Hierosolymorum urbe perturbatur atque, edita (42) demum plusquam beluina in infantes saevitia, impietatem suam prodit. Eum igitur timorem requirit Propheta in hac, quam Regibus commendat, sapientia, qui non studium modo placendi gratificandique atque obsequendi Christo Domino in promovendo regno ipsius, sollicitudinemque item, ne quo modo offendantur, sed etiam gaudium animi atque exultationem sibi adiunctam habeat, si quando regnum ipsius inclarescere ac promoveri contingat. Quod equidem cum fieri non possit nisi si, quem timemus, eundem quoque pariter amemus, equidem dum Propheta in ea, ad quam Reges cohortatur, sapientia, eiusmodi timorem requirit, eadem sane opera et amorem Christi Domini requirit, cum talis timor sine amore ingenuo haberi haudquaquam possit. Rursus, dum timor is Propheticus sine amore consistere non potest et amare neminem possimus, quin illi fausta foelicisque omnia ex animo et precemur et gratulemur, certe, quantum (43) aut nos ipsemet in corde nostro sentimus aut alios etiam certis indiciis videmus a gratulatione alacri adhuc abesse, si quando regnum Christi Domini illustrari constet in doctrina Euangelii ipsius, — tantum proculdubio etiam aut nos ipsos, aut alios adhuc a timore hoc Prophetico, et proinde ab ea quoque, cuius hic reges admonentur, sapientia abesse, necessario fatendum erit. Estque haec altera eius timoris nota, quo divina haec sapientia constat, de qua Propheta alioqui hic ad Reges et proceres concionatur, et alter etiam eiusdem ipsius sapientiae gradus. Sed neque hoc satis est Prophetae, ut Reges proceresque eorum — siquidem vere sapere atque divini iudicii severitatem declinare velint — animis duntaxat suis eiusmodi timorem Christi Domini concipiant. Id quidem in primis esse necessarium ad tollendam omnem hypocrisim, nimirum ut eius timoris sensum in nostris ipsi cordibus conscientiae nostrae testimonio efficaciter sentiamus. Sed, quo-(44)niam Reges non sibi tantum reges sunt proceresque ipsorum non suum tantum, verum totius etiam regni negocium agunt, vult Propheta, ut eum ipsum, quem illis praescribit, timorem, publicis etiam suis officiis contestentur et declarent, ostendantque suis omnibus se ab iis quam longissime abesse, qui sibi a Christo Domino regnoque ipsius hostili illo tyrannicoque metu timent. Docet igitur, ad quem modum timor ille potissimum debeat publice declarari, nempe ut Reges proceresque eorum omnes se Christi Domini regnique ipsius ministros esse palam profiteantur, publica alioqui subiectionis et obedientiae suae at-

testatione. Et quoniam id omnium fere est receptissimum apud omnes gentes, ut eorum manus exosculemur, quibus nos subiectionem nostram debere agnoscimus, isque mos iam tum apud Aegyptios in usu fuisse legitur, quorum alioqui Reges omnibus aliis Regibus formidabiles erant, eum ipsum subiectionis erga Christum Dominum agnoscen-(45)dae publiceque declarandae modum Regibus omnibus eorumque proceribus praescribit, qui tum apud Aegypti reges — quorum summa alioqui apud omnes autoritas erat — more publico in usu fuit. Vult, inquam, ut Reges mundi totius omnes illorumque proceres, dum regnum Christi Domini in doctrina sui Euangelii inclarescere vident, concepto animis suis eo quem scripsit timore, illi sese continuo adiungant, nisi protinus perire velint, suaeque erga Christum Dominum regnumque eius subiectionis specimen publicum osculi sui testimonio edant. Osculemini, inquit, Filium ne irascatur et ita demum cum omnibus viis, hoc est, consiliis atque apparatibus vestris, pereatis. Haec sane omnia ita requirit Propheta in ea sapientia, ad quam alioqui omnes, ut dictum est, ac Reges et eorum proceres cohortatur, ne, exerente sese invitis omnibus regno Christi, ipsimet sibi suisque omnibus extremum ac repentinum interitum accersant. Nihil hic audimus de longis ac multis deli-(46)berationibus consultationibusve aut consiliis, sive instituendis sive expectandis, ut videlicet statuatur, quid quando et quatenus sit permittendum Christo Domino et regno eius in doctrina ipsius. Non quaerunt consilia, num servire debeant, qui servire ex animo cupiunt; multo minus in deliberationem vocant, osculone excipere debeant, dum veniunt, quorum praesentiam vere expetunt, deque illa non dubitant modis omnibus gratulandum esse. Hypocritarum est haec prudentia, qui, etsi perditum sane cupiunt et Christum Dominum et universum regnum ipsius, studiosi illius tamen, institutis de illo speciosis videlicet deliberationibus, videri volunt. Ad quem sane modum Herodes, audita Christi Domini nativitate, etsi ipsum perditum cuperet atque iam caedem ipsius machinaretur, specioso tamen fuco in consilium vocat principes sacerdotum ac scribas omnes, deque loco nativitatis Christi religionem simulans sciscitatur, (47) et se quoque ad adorandum ipsum proficisci velle fingit. Tametsi rectius multo Herodes tunc in consilium suum vocabat principes sacerdotum et scribas, quam nunc quidam vocandum esse putent Papam Romanum eiusque rasum atque unctum omne satellitium, ut ex eius sententia de amplectendo Christo Domino regnoque eius in doctrina sui Euangelii statuatur. Nimirum Herodes, homo ethnicus, eos in rei divinae consilium vocat, quos certum erat fuisse ordinationem Dei, in hoc ipsum institutam, ut divinorum mysteriorum omnium et custodes et dispensatores es-

sent, etiamsi suam ipsi plane profanassent. Nunc vero, qui se Christianos Reges ac proceres esse profitentur, ex eorum arbitrio statui de regno Christi Domini volunt, quorum universum ordinem contra dignitatem atque autoritatem omnem et regni et doctrinae et sacerdotii Christi institutum plane esse modisquo omnibus etiamnum pugnare, manifesta ipsorum scripta et fa-(48)cta testantur. Deinde Herodes non quaerit a principibus sacerdotum et scribis, num Christum Dominum debeat adorare, dum id sine ullo cuiusquam consilio, quanquam hypocritice, debiti atque officii sui esse agnoscit, ac proinde se id quoque facturum esse promittit, sed tantum de loco nativitatis inquirit, ut, quod se facturum esse simulabat, maiore cura facere velle videretur. Nunc vero non hoc agitur, ut certo constet, ubinam sint quaerendae verae ac legitimae regni Christi inclarescentis notae, sed de ipso Christi regno vel amplectendo vel reiiciendo, deque ipso Christo Domino in doctrina ministrisque ipsius vel recipiendo vel denuo crucifigendo, res tota in quaestionem vocatur. Instituant igitur qui volent istiusmodi deliberationes, expectent qui volent istiusmodi Conciliorum placita, — a nobis certe et ab omnibus, qui perire nolint, aliud longe sapientiae genus Propheta, ut videtis, exigit, nempe, ut, reiectis istis conciliis omnibus, ad praestanda (49) vestra erga Christum Dominum regnumque ipsius officia, ut ab ipso sunt praescripta, animum vestrum adiiciatis. Non vult, ut de amplectendo eo quod praescribit, sapientiae deliberationes ullas vel instituatis vos ipsi vel ab aliis institutas expectetis, sed simpliciter praecipit, ut, sublata omni mora abiectisque omnibus causationibus, sapiatis. Nunc iam sapite, inquit. Multo minus vult, ut de praestandis eius sapientiae officiis in vestris consultationibus hypocriticum illud, quid quando et quatenus, in quaestionem vocetis; hoc enim esset regnum Christi septis nostrarum constitutionum velle includere, cum ille alioqui in hoc sit datus Rex nostrum omnium, ut non equidem regatur a nobis, sed nos potius omnes Regesque adeo nostros verbi sui divini autoritate, hypocritas vero et adversarios ferreo suo sceptro regat ac compescat. Sed iubet, ut Dominum timeatis, et quidem non eo timore, quae odium atque invidiam parit, sed qui cum placendi obsequendique studio, cum animi alacrita-(50)te ac gaudio et omnibus observantiae officiis coniunctus est. Servite, inquit, Domino et exultate illi in timore atque observantia. Osculo illum excipite, in testimonium videlicet vestri erga ipsum studii vestraeque subiectionis, ne pereatis. Haec igitur vobis praestanda omnino, non autem ad deliberationem ullam revocanda esse, cogitare profecto debetis, quicunque in Senatorio istio ordine estis, Viri clarissimi! siquidem vestrum officium facere, ut debetis, impendentemque et vobis et toti patriae calamitatem publicam avertere

velitis. Ne vero haec temere praecipere videatur Propheta Regibus mundi huius proceribusque illorum omnibus, causas obiter interserit sui in hac parte consilii, quas equidem si Reges ac monarchae proceresque illorum omnes accuratius paulo observarent, minus proculdubio nunc esset negocii in restituenda vera religione. Eas igitur attentis animis audire ne gravemini, ut quidem ab ipso Propheta narrantur.

Primum igitur non tam in sua (51) ipsius, quam in Christi ipsiusmet Domini persona potius, causas consilii huius sui recenset, ut quanto maior est Christus Dominus ipso Davide ac reliquis Prophetis omnibus, tanto plus ponderis apud nos etiam habeant, quae ab ipso quidem Propheta, Spiritu sancto autore proculdubio, non tantum sub Prophetae, sed sub ipsiusmet Christi Domini persona, de se ipso testificantis, dicuntur. Deinde dum Christus ipsemet Dominus de regno suo coelesti, sibi iuxta carnis nostrae humanitatem dato, testificatur, non sine emphatica praefatione id facit, sed pro decreto inviolabili ac lege quadam publica, toto terrarum orbe observanda, haberi vult, nimirum ab ipsomet Opt. Max. Deo prolata, quae de regno hic in terris suo dicturus esset. Initio igitur reddit causam Propheta, cur Reges terrae omnes proceresque illorum timorem illum cum omni obsequendi studio animique exultatione ac gratulatione publica, cum omnis item subiectionis testificatione coniunctum, (52) debeant Christo Domino, dum regnum ipsius aliquo modo inclarescere vident, nempe quod ipse se Regem, loco ipso in terris omnium nobilissimo, prae aliis omnibus, videlicet ab ipsomet Deo Opt. Max. electo, constitutum esse profiteatur. Nimirum, quanto honoratiore loco prae aliis Regibus omnibus, et quidem non humana ulla vi atque autoritate, sed aeterno Dei ipsius consilio, in regem constitutus esset, — tanto maiorem illi etiam honorem deberi agnoscerent reliqui omnes mundi huius Reges proceresque illorum; praesertim vero, si divinae hac in parte voluntatis alioqui constitutionem observare ac sequi velint. Et, ne quis hic divinae voluntatis ignorantiam obtendere possit, Christum ipsummet Dominum divinae hac in parte voluntatis praeconem facit, ut de suo ipsemet in terris regno mentem ac decretum Dei proferat, quod ab omnibus in terris hominibus, qui perire nolint, potissimum vero a Regibus mundi huius proceribusque (53) illorum omnibus, pro sacrosancta prorsusque inviolabili lege haberi omnino oporteat. Etsi igitur Christus Dominus apud Prophetam loquens, sedem regni sui in monte sancto Zione, loco videlicet prae aliis omnibus cultui divino peculiariter delecto, collocatam esse profiteatur, eam tamen esse ait Dei patris sui coelestis voluntatem, hoc consilium, hoc decretum, ut ipse, in monte illo residens, sit Rex nihilominus Regum regnorumque ac gentium sine exceptione omnium et quidem aeternus toto orbe terrarum. Merito

igitur sibi deberi ab omnibus, tum Regibus, tum populis, cum timorem atque honorem, quem Propheta hoc loco Regibus proceribusque illorum omnibus praescribit. Deinde hanc quoque esse pronunciat voluntatem, hoc consilium, hoc denique decretum Dei patris sui, ut ipse in regno hoc tali suo Regibusque aliis omnibus, qui ipsum iuxta Prophetae doctrinam timeant atque honorent, salutem ipsam tribuat resque illorum omnes prosperet ac fortunet, quemadmodum id alibi ab eodem (54) ipso Propheta luculentissime docetur; sed eos contra, qui id recusent facere, aut hypocritice alioqui negligenterve faciant, ut virga ferrea sceptrove ferreo adoriatur atque in pulverem, velut fictilia, redactos perdat. Recte ergo moneri Reges proceresque illorum, ut sapienter ac prudenter sua omnia instituant, nisi perire velint. Exponit autem Christus Dominus, cur ei tantus honor a Deo patre delatus sit, nempe eo quod in carne nostra sit pariter etiam filius unigenitus Dei perque suam incarnationem regnum hic sibi, nobisque in se omnibus, a Patre suo coelesti pro gratuita sua misericordia quodammodo postularit. Est enim filii Dei incarnatio veluti quaedam regni istius postulatio, quam aeterno alioqui Dei consilio constitutam fuisse, verba haec Patris ad Filium docent, dum Filius a patre regnum hoc suum postulare Prophetico testimonio iubetur. Cum igitur Christus Dominus, Dei summi atque aeterni filius, assumpta carne nostra, iuxta destinatum ab (55) aeterno patris sui coelestis consilium, regnum hoc sibi universoque in se mortalium generi postularit, sintque illi iam datae a Deo patre omnes orbis terrarum gentes et omnes fines orbis terrarum, ut sint haereditas et possessio ipsius, atque ea insuper lege sint illi datae a Deo patre, ut omnes Reges ac regna servet prosperet ac fortunet, quae ipsum timeant, ut dictum est, et honorent, — adversarios vero ac hypocritas, denique et cessatores omnes, veluti fictilia collisos, in cineres redigat et perdat, repenteque instar exorti subito incendii prorsus absumat, praeterquam si, inclarescente regno ipsius, protinus resipiscant, — equidem, ut mihi certo persuadeo, vos nihil minus cogitare, quam ut Spiritus sancti in verbis Prophetae admonitionem aut velitis contemnere omnino, aut ad vos nihil alioqui pertinere putetis, atque publicam vobis demum et toti patriae calamitatem accersatis, — ita non dubito etiam, Dei in primis misericordia, deinde vestra quo-(56)que pietate fretus, vos unanimiter omnes ad eam, quam a Propheta praescriptam esse videtis, sapientiam, praestandaque pro vestra virili illius officia, animos vestros nunc potissimum adiecturos esse, cum regni Christi Domini sceptrum in doctrina sui Euangelii, ut nunquam antea, sese istic exerere atque tanto omnium consensu publice expeti, negare non possitis. Scio quid hic contra a multis, potissimum vero a nostri

seculi Caiaphis ac Pharisaeis dici soleat, et facile intelligo, idem ab illis istio iactari. Sed confido vos maiorem Prophetae verbis, per Spiritum sanctum loquentis, quam Caiapharum ac Pharisaeorum placitis fidem adhibituros esse, maioremque Dei quam hominum quorumcunque rationem habituros. Ut tamen intelligatis, vana futilinque esse omnia quae ab ipsis proferuntur, commemorabimus praecipua quaedam atque etiam refellemus et, quanquam video epistolam excrevisse supra quam putaram, tamen, cum non ita parum re-(57)ferat, refutatas habere hae potissimum in causa adversariorum eas obiectiones, a quibus aliae magna ex parte pendere videntur, non usque adeo molestum fore spero meam hanc prolixitatem, ut illam non aequis placidisque animis laturi sitis. Iam igitur ad diluendas eorum obiectiones veniamus.

Duo sunt fera hominum genera, quae regni hic Christi in doctrina eius instaurationem invisam habent neque facile ferre possunt. Alterum est, quod in ordinato a Deo publico quocunque Ecclesiae ministerio dominatum sibi quendam usurpare, usurpatum retinere cupit. Alterum vero, quod nullis omnino legibus coerceri, sed impune sibi licere vult omnia, in quocunque tandem vitae genere versetur. Utrique enim isti contra se regnum Christi Domini instaurari sentiunt, dum et illam dominatus sui in ministerio imaginationem atque usurpationem reprehendi per doctrinam Euangelii, seque ad verbi divini obedien-(58)tiam revocari, et impune quidvis audendi licentiam admonitionum Ecclesiasticarum ipsoque disciplinae Apostolicae usu fraenandam esse vident. Et quoniam utrunque hoc hominum genus, diversis quidem notionibus, eodem tamen interim spectet, nempe ad licentiam atque impunitatem rerum omnium — nimirum alii id per dominatum in ministerio, quasi nemini rationem sui ministerii reddere debeant, alii vero per anarchiam quandam atque omnium in terris hominum aequalitatem obtineri posse imaginantur — utrique sane regnum Christi Domini iugum sibi haudquaquam ferendum esse clamant atque omnia tentant, si quo modo illud abiicere abolereque possint. Utrique igitur isti habent, quod instaurando Christi Domini regno opponere sibi posse videntur. Porro cum variae sint ordinati a Deo publici in Ecclesia ministerii functiones atque inter illas praecipuae duae, in quibus potissimum aliquot iam seculis dominatum nescio quem quaesitum usurpatumque esse (59) videmus, nempe in verbi et gladii ministerio, — videndum nobis erit, quidnam ab istis adversus regni Christi in doctrina ipsius instaurationem obiiciatur. Ac primum de iis dicemus, qui in verbi ministerio totius sibi orbis monarchiam supra omnes reges ac regna commenti sunt, eamque et ferro et flamma propugnare conantur. Papam Romanum, inquam, qui sub Apostolici

ministerii fuco, una cum rasorum suorum grege, regnorum sibi omnium ius summum asserit, et nusquam non purpuratas cornutasque suas simias, nec nisi summis omnino locis disponit. Isti igitur adversus regni Christi instaurationem quam plurima afferre conantur; nos praecipua attingemus eaque per Dei gratiam diluemus, additis ad singulas eorum obiectiones illarum refutationibus. Hae sunt autem praecipuae illorum obiectiones.

1. Ad se pertinere curam religionis, itaque sine ipsis nihil esse statuendum de religionis instauratione, sed expectandum (60) omnibus, ut ipsi hoc faciant, et, quicquid huius ipsi fecerint, id aliis videlicet omnibus amplectandum sequendumque esse. Hic vero, si Deo placet, Scripturam proferunt: Super cathedram Mosis consederunt scribae, etc., et Conciliorum suorum autoritatem praetendunt. Ad hoc igitur sic respondemus. Adeo nihil pertinere curam instaurandae verae religionis ad Papam Romanum universumque gregem ipsius, ut ne admitti quidem ullo modo debeant ad ulla Consilia instaurandae verae religionis, nisi culpam Apostaticae suae impietatis ac tyrannidis, qua tot iam annis Ecclesiam Christi presserunt, publice agnoscant, deprecentur, ac verbo Dei sese subiiciant omnino. Quantum enim lupi absunt a canibus ovilium custodibus, etiamsi caninum quiddam referre videantur, tantum abest Papa cum creaturis suis omnibus, quatenus sane Papismum propugnant, a functione muneris Apostolici, ac proinde a cura quoque instaurandae religionis. Dum exemplo Scri-(61)barum ac Pharisaeorum se communiunt, ipsimet Scribarum ac Pharisaeorum, non autem Apostolorum successores esse profitentur. Quorsum enim de Pharisaeis dicta ad se traherent, si non eodem cum Pharisaeis, Christi alioqui adversariis, loco haberi vellent? Tametsi hoc erat melior olim Pharisaeorum, quam nunc sit Papistarum ratio, quod Pharisaei, etsi ius sibi traditionum faciendarum praeter modum permittebant, Mosis tamen ac legis suae autoritatem sacrosanctam semper apud sese esse voluerunt; isti vero nec Christum pro Christo, nec Euangelium pro Euangelio, neque Apostolos pro Apostolis scriptave illorum pro scriptis Apostolicis haberi volunt, nisi censura atque calculis ipsorum in eorum Conciliis approbentur. Hic nimirum servos domino suo maiores esse oportet, ut Domino non credatur, nisi quatenus ei servi sui credi volunt. At vero nos meminisse debemus, Perire legem a sacerdote (Hierem. 18.); Salem amittere suam (62) quandoque salsuginem ac deinde conculcandum esse, nedum ut illo condiri debeant ulla omnino instaurandae religionis consilia; Deserendos esse caecos caecorum duces, Pharisaeos inquam ipsos omnesque ipsorum successores. Quanquam haud scio, an Papismum ipsum cum omnibus illius propugnatoribus eo

loco habere debeamus, ut vel cum Pharisaeis, qui initio in Mosi cathedra vere consederant, vel cum sale evanido, qui antea bonus fuerat, conferri possit, cum omnis totius Papistici ordinis dignitas excellentia virtus atque autoritas et initium suum et progressum omnem non aliunde habeat, quam ex blasphema illa in Christum Dominum mortemque ipsius propiciatorii nescio cuius sacrificii in Missa eiusque peculiaris sacerdotii doctrina et imaginatione. Quam cum evelli prorsus atque aboleri in primis in Ecclesia oporteat, siquidem Christus Dominus ullo modo regnum apud nos suum in doctrina sui Euangelii dabeat obtinere, facile (63) est videre, quantopere ad Papam eiusque propugnatores pertineat cura instaurandae religionis, nisi si ad lupos quoque curam ovilium pertinere praecipue velimus, eo quod rictu suo canes referre quodammodo videantur, quibus alioqui ovium custodia credi solet, cum tamen omnis cura ac custodia canum in hoc potissimum adhibeatur ovilibus, ut ab illis lupi quam longissime arceantur. Atque hoc ita ad primam hanc Papistarum obiectionem respondisse satis erit.

2. Dicunt, Ecclesiam esse columnam ac basim veritatis, ac proinde illam errare haudquaquam posse; se autem gubernatores esse Ecclesiae, quare, cum Ecclesia errare non possit, nec se quoque, ut illius gubernatores, ullo modo posse, ac proinde ad se potissimum recurrendum esse in omnibus controversiis religionis neque sine ipsis hic statui quicquam aut debere aut etiam posse. Nos porro ad haec respondemus. Esse hoc quidem Satanae ingenium, ut suae impietati fucum (64) sanctitatis aliquem obtendat, quo fraudulentius fallat, sed fieri interim non posse, quin se alicubi hypocrisis ipsius prodat. Ita et isti conantur quidem modis omnibus tyrannidi atque impietati speciosum Ecclesiae titulum obtendere, sed retectam ita iam habemus verbi divini luce imposturam ipsorum — sit Domino gratia! — ut nos (hac) alioqui in hac parte non tam facile quam putant fallere amplius possint. Produnt autem ipsimet suam sive inscitiam sive malitiam hac sua ratiocinatione. Dum enim ex Paulo dicunt, Ecclesiam esse columnam ac fulcrum veritatis, aut sane sub Ecclesiae nomine unius duntaxat alicuius temporis locive Ecclesiam intelligunt: et tum plane a mente ac sententia Pauli quam longissime absunt; aut (quod multo gravius) scientes illam ac volentes depravant, ut verbis demum Apostolicis ad confirmandam suam tyrannidem insidiose abutantur. Estque falsa haec ipsorum doctrina, qua illi unius alicuius temporis locive Ecclesiam, post Apo-(65)stolos praesertim, columnam ac fulcrum veritatis esse fingunt. Aut, si Apostolum de catholica illic, omnium videlicet et temporum et locorum, Ecclesia loqui fatentur, quae alioqui et Prophetas et Apostolos omnes cum

omni doctrina illorum ipsumque adeo Christum Dominum, tanquam summum ac aeternum et proinde unicum etiam caput suum, complectatur, tum certe impudenter faciunt, quod se eius Ecclesiae praesides ac gubernatores esse iactant, cui gubernandae pro ipsa alioqui et temporum et locorum ratione pares esse non queunt. Quo pacto enim, qui non nisi certo aliquo eoque brevi admodum tempore vivere neque nisi uno duntaxat loco esse potest, credendus est interim et praeesse illi Ecclesiae et eam gubernare posse, quae neque temporibus hic neque locis certis ullis circumscribi queat? Sed sic viam sterni oportuit Antichristianae Papae Romani et gregis sui tyrannidi, detorta, quo non oportebat, Scripturae autoritate. Quare doctrinam sane Aposto-(66)licam de catholica Dei Ecclesia libenter amplectimur, et, quemadmodum sanctus Dei vir Augustinus, eius ipsius Ecclesiae autoritate permotus, Euangelio se potius quam Manichaeis credere maluisse testatur, ita et nos, eiusdem alioqui ipsius Ecclesiae autoritate permoveri omnes merito deberemus, ut relucescenti iam denuo divino beneficio doctrinae Euangelii Christi potius, cui illa sane perpetuo credi iubet, quam et Paparum simul et Papistarum omnium placitis ac decretis fidem nostram adhiberemus. Caeterum ut Papam eius ipsius Ecclesiae supra alios omnes Episcopum esse, aut illam a grege ipsius gubernari credamus, hoc certe nusquam in Scripturis docemur. Imo vero eo potissimum nomine Papam ipsum cum suo grege Antichristianae tyrannidis iam aliquamdiu usurpatae accusamus, idque iuxta magni illius Gregorii doctrinam, qui et ipse inter laudatissimos Papas numeratur, quod se in manifestam alioqui contumeliam summi aeternique (67) et, ut Paulus docet, ἀπαραβάτου pontificii Christi, catholicae et ipse Ecclesiae Pontificem ac praesidem omnium maximum esse gloriatur, — tantoque magis eum cum universo grege suo arceri oportere dicimus ab omnibus instaurandae verae religionis consiliis, quanto maiore impudentia ille catholicae sibi Ecclesiae curam ac gubernationem supra alios omnes arrogare conatur. Ac non modo non violari affirmamus, si arceatur, autoritatem Ecclesiae, sed eam non alia etiam ratione ulla stabiliri cohonestarique magis posse putamus.

3. Causantur, doctrinam nostram esse novam, autores illius homines esse obscuros neque ullis aut Propheticis aut Apostolicis praerogativis miraculisve insignes. Non esse igitur recipiendam ullo modo, sed perstandum potius in recepta iampridem a nostris maioribus, totque praeterea Paparum ac Conciliorum autoritate comprobata, doctrina ac fide. Hic vero dicimus, nihil mirum esse, doctrinam nostram (68) istis videri novam, quandoquidem scripturas sanctas, unde potissimum est desumpta, aut nunquam legerunt aut negligenter alioqui

vel certe non sine praeiudiciis legerunt. Nos enim disertis verbis postulamus, ne nobis ulla usquam fides habeatur omnino, nisi quatenus omnis nostrae doctrinae fontes in scripturis sanctis evidenter commonstremus. Aut igitur Propheticam simul atque Apostolicam doctrinam novitatis accusent, aut desinant nostra novitatis accusare, quorum fontes luculentissimos in Scripturis extare, negare omnino non possunt. Porro dum nostram doctrinam novitatis insimulant, eorum se ipsimet discipulos ac successores esse declarant, qui, etsi virtutem divinam in Christo Domino eiusque doctrina conspicerent manifeste, novitatis illam tamen, cum aliud nihil possent dicere, accusant. Quibus equidem hoc loco aliud non respondemus, quam quod Christus Dominus Pharisaeis olim legitur respondisse, cum ab illis et ipse novitatis cu-(69)iusdam in astringenda repudii indulgentia accusaretur indulgentiaeque illi inducta a Mose antiquitas praetexeretur, nempe, ab initio non sic fuisse. Ac proinde, ad quem modum Christus Dominus astrictioni suae falso obiectam esse per Pharisaeos nuperam illam prae matrimonii origine Mosaicae indulgentiae antiquitatem, revocata alioqui tota controversia ad primam matrimonii originem, a qua propter populi obstinationem, Mose alioqui id permittente, discessum erat, — ita et nos doctrinam nostram a Pharisaeis istis, nostri temporis antiquariis, falso novitatis accusari dicimus, dum a Papisticis omnibus quantumvis receptis constitutionibus decretis ac ritibus ad primam Ecclesiae Christi originem primumque illius (Propheticas inquam et Apostolicas scripturas) provocamus, et cum Domino dicimus: Ab initio non sic fuit. Ac quemadmodum Christus Dominus non posse ab ullo homine dissolvi pronunciat, quod Deo ipso autore con-(70)iunctum esset, ita et nos nihil eorum mutari violarique ullo modo potuisse dicimus, neque per Papas ullos per male conciliata quaevis ipsorum concilia, quae per Christum Dominum in sua Ecclesia instituta perque eius demum Apostolos observata et nobis ad extremum scriptis eorum commendata esse constat. Quid? quod nos multo nunc rectius, quae ab istis violata abolitave sunt, ad legitimos suos in Scripturis fontes revocare conamur, inclarescente praesertim ubique iam divino beneficio doctrina Euangelii Christi, quam olim Mosaica illa repudii indulgentia Christo Domino autore ad primam matrimonii originem revocabatur, etiamsi illam a Christo Domino, ut alia omnia, et iustissime et sanctissime revocatam esse non dubitamus. Nimirum dubium non est, Mosen, fidelem alioqui Dei ministrum, nihil et hic, ut alibi ubique, sine peculiari hauddubie verbi divini oraculo egisse. Papam vero constat conatum esse semper cum suis omnibus omnem prorsus divinam Ecclesia-(71)stici ministerii ordinationem omnino subvertere, quo suae tyrannidi atque im-

pietati locum faceret, collocataque demum in templo ipso Dei abominationis atque idololatriae suae cathedra, efferret sese adversus omne id quod dicitur Deus, et seipsum haud aliter, quam si ipsémet Deus esset, ostentaret, quemadmodum Paulus docet. Non igitur nos autores sumus novae ullius doctrinae, sed Papisticas novationes, quibus interim falso antiquitas praetexitur, ipsamque adeo a fide ἔκπτωσιν, ut Basilius loquitur, accusamus, et totam praeterea religionis controversiam ad omnium sane vetustissimam illius originem, Prophetarum inquam et Apostolorum fundamentum, revocamus. Quare frustra etiam in doctrina nostra eiusque ministris Propheticas aut Apostolicas praerogativas aut nova ulla miracula requirunt. Cum enim nostra omnia ad Scripturas Canonicas revocemus illisque ultro omnia subiiciamus, equidem omnes etiam Propheticae (72) atque Apostolicae praerogativae, omnia item illorum miracula, ad nostram neque atque ad illorum doctrinam omnino pertinebunt; nisi quod isti facere et hic non possunt, quin testentur se ex illorum esse progenie, qui et personas potius quam res, ipsas semper respiciunt et in luce etiam clarissima signa et prodigia perpetuo quaerunt.

4. Aiunt, nos abuti Scripturae autoritate attexique illi per nos peregrinas et a mente ac consensu Ecclesiae alienas interpretationes. Esto autem, Scripturae ipsae pro nobis facerent, maiorem nihilominus Ecclesiae hic quam scripturarum rationem habendam esse, eo quod Scripturas ipsas oporteat approbari neque Scripturae ipsae sine Ecclesia pondus suum retinere possint, iuxta illud Augustini: Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiae autoritas commoveret. Nos vero et Scripturam universam consentienter a nobis stare, ac proinde nullas illi per nos attexi dicimus peregrinas interpretationes, et catholicae Eccle-(73)siae item consensum nobiscum omnino facere affirmamus. Etsi autem in omni nostra doctrina optime nobis coram Domino conscii sumus neque ullo modo dubitamus et Scripturas et consensum Ecclesiae perpetuum a nobis stare omnino, homines nos esse tamen libenter agnoscimus, qui et errare et falli iudicio nostro possimus, summoque desiderio restitui expetimus legitima Ecclesiarum ex verbo Dei iudicia, quae in Apostolica quidem Ecclesia olim observata, sed Papistica demum tyrannide adulterata tandemque etiam abolita esse videmus. Expetimus item et Christiana quaevis, in omni mansuetudine modestia ac lenitate, colloquia, tantisper dum legitima Ecclesiarum iudicia commode restitui non possint. Et nihil magis deploramus, quam quod inter eos etiam, qui pro Euangelii assertoribus habentur, neminem fere in eam curam incumbere videmus. Qui igitur nos Scripturarum autoritate abuti putant, errores nostros nobis ex iisdem (74) ipsis Scripturis commonstrent, et, aut nos, ut putant,

peregrinarum interpretationum, facta aliorum Scripturae locorum mutua collatione, amanter redarguant, — aut, si id non possint, a nobis vicissim se ad eundem modum redargui ne recusent. Hunc enim componendi modum omnes in religione controversiis et Christus Dominus et eius Apostoli et primaevae post Apostolos Ecclesiae patres orthodoxi observarunt nobisque observandum suis monumentis commendarunt. At vero nihil minus cogitant isti, sed eis satis est, si Scripturas a nobis detorqueri clament duntaxat, nosque hoc praetextu passim condemnent, etiamsi nihil huius usquam commonstrare possint. Haec illis ruina superest, ut, dum nobis ipsam Scripturae autoritatem eripere non queunt, detorqueri illam a nobis, nullis interim locis usquam commonstratis, perpetuo clament. Quanquam ne hoc quidem eis satis est, sed altius adhuc prosiliunt. Et quoniam frustra se id conari vident, (75) ut Scripturas a nobis detorqueri doceant, ipsis etiam Scripturis omnem earum autoritatem derogare nituntur, et dicunt, Scripturas ipsas non posse nisi ab Ecclesia suam autoritatem obtinere. Atque ita in omnibus de religione controversiis, non tam equidem Scripturarum, quas alioqui contra se facere vident, quam Ecclesiae potius, cuius titulum placitis decretisque suis praetendunt, rationem in primis haberi oportere contendunt. Caeterum, si quis ad eum modum cum ipsis agat, ad quem modum cum Manichaeis Augustinus egisse videtur, nempe ut nullam usquam Ecclesiam esse fingat, quemadmodum Augustinus apud Manichaeos de Scripturis ipsis se dubitare simulat, unde quaeso iactatores Ecclesiae isti, Ecclesiam esse, ne dicam apud se esse, probabunt? Aut ubi nobis illius originem progressum sedem atque autoritatem commonstrabunt? Et, ut verbis Augustini utar, in hominumne, an vero in Dei ipsius verbo Ecclesiam quae-(76)rent? Si dicant, in verbis hominum, ubi rursum in tanta sectarum atque haereseωn, sese invicem damnantium, varietate ac multitudine veram nobis Ecclesiam ostendent, cum ubique sint homines et nemo non veram apud se Ecclesiam esse iuret. Esto autem, nullae sint sectae atque haereses usquam, quis nos de vera Ecclesia certos faciat sine verbi divini, in Scripturis proditi, testimonio, cum et Prophetas omnes in universum, quamlibet concordes homines, mendacii accuset, et Christus ipsemet Dominus, qui non homo tantum sed Deus quoque est, suum ipsius, quatenus hominis, de se testimonium pro nihilo ducat, si non divinum pariter coniunctum haberet, atque diserte neget, ullum esse omnino verae fidei ac proinde verae quoque Ecclesiae locum apud eos, qui suam abinvicem quaererent gloriam atque autoritatem? Si vero in verbo Dei, Scripturis sanctis prodito, est quaerenda Ecclesia, quemadmodum sane non alibi illam et Scripturarum et ipsiusmet catholicae Ecclesiae te-

stimonio (77) quaeri oportet, iam equidem non scripturas ab Ecclesia, sed Ecclesiam a scripturis potius aestimari pendereque oportebit, atque tum sane etiam non scriptura ab Ecclesia, sed potius Ecclesia a scripturis omne suum pondus omnemque suam autoritatem obtinebit. Quid? quod idem ipse Christus Dominus inde potissimum suos discipulos ac proinde suam quoque proculdubio Ecclesiam agnosci aestimarique vult, si verba ipsius fideliter retineant atque observent, at eiectos plane esse testatur, quicunque doctrinam ipsius retinere atque sequi nolint. Idem vero ipse etiam praeterea Christus Dominus alibi, non equidem Ecclesiam doctrinae suae, sed doctrinam potius suam totius in universum generis humani iudicem fore pronunciat, ut intelligamus, non sane illum ab hominibus, quocunque titulo aut praerogativa ornatis, sed universum genus mortalium ab ipso iuxta doctrinam verbi sui iudicandum omnino esse. Qualenam autem iudicium, aut quam, obsecro, censuram sibi sumat Ecclesia in doctrinam illius, qui non modo non est subiectus ullis omnino humanis iudi-(78) ciis, sed ne testimonium quidem ullum ab ullis etiam hominibus aut requirat omnino aut etiam accipiat? Cum vero ipsemet Christus Dominus expressis verbis profiteatur, se non solum non expetere, sed ne accipere quidem approbatorium ullum ab hominibus testimonium, — equidem qui scripturas ipsas iudicio censurae atque autoritati Ecclesiae subiicere conantur, alterum faciant necesse est: nempe, ut aut Ecclesiam non hominibus ullis constare doceant, praeterquam si Christum Dominum mendacem facere velint, aut suam ipsi impietatem, cum manifesta in Christum Dominum blasphemia coniunctam, prodant, dum, a quibus se ille nullum eiusmodi testimonium accipere profitetur, eos ipsi non testes modo, sed censores etiam ac iudices approbatoresque ipsius aut doctrinae omnis suae facere conantur. Quid est autem, si non hoc est, efferre sese supra eum, qui et dicitur et est revera Deus? nedum ut eam Ecclesiam, quae id sibi arrogat, pro Christi Ecclesia habere debeamus. Atque fatemur quidem, Ecclesiam esse testem Christi Domini doctrinaeque ipsius iuxta illud: Eritis mihi testes, (79) imo vero ita hoc proprium esse dicimus Ecclesiae officium, ut aliud neque debeat neque possit etiam facere, et, nisi perpetuo Christo Domino eiusque doctrinae testimonium suum perhibeat, Ecclesia vere neque esse amplius neque etiam dici possit. Unde et nos, Augustinum sequuti, Ecclesiae nos testimonio permoveri fateamur (ut antea quoque diximus) ut Euangelio potius, quam Papis eorumque decretis ac consiliis omnibus credamus. Sed aliud est officium agnoscere, aliud vero censoriam sive iudiciariam approbandi autoritatem arrogare velle. Aliud est, inquam, eiusmodi testem esse, qui aliud nihil se quam perpetuo testificari oportere

agnoscat, aliud vero, virgulam nobis censoriam in ea usurpare velle, ut de eis pro nostro arbitrio statuamus, quae commendare duntaxat nostro testimonio pro debito officioque nostro debemus. Caeterum isti, quoniam nihil aliud quam dominatum quendam totius religionis sub fuco Ecclesiae meditantur, pro testibus ac ministris iudices cen-(80)sores domini atque approbatores Christi Domini eiusque Ecclesiae esse volunt. Discipuli videlicet supra magistrum et legati maiores eo qui ipsos ablegavit, quatenus sanę a Christo Domino missi esse videri volunt. Qua vero fide verba Augustini pro se torqueant, id sane quivis iam ex iis quae diximus videre potest.

5. Dicunt, nos inter nos ipsos in multis doctrinae capitibus dissidere, atque ita incertam esse doctrinam nostram, nedum ut pro doctrina Euangelii Christi agnosci recipique debeat ullo modo. Nihil non tentant, quo doctrinam nostram infament, ac festucam quidem in oculis nostris vident, caeterum trabem in suis ipsorum oculis videre non possunt. Nos quidem dissidia quaedam inter Euangelii professores esse non diffitemur, atque hic nos homines esse agnoscimus et vicem Ecclesiarum hoc nomine sane dolemus. Sed in omnibus nostris dissidiis fundamentum nihilominus Apostolicae Confessionis ét constanter omnes per Dei gratiam ét unanimiter profitemur, quod (81) tamen ab istis dissidiorum nostrorum accusatoribus varie impetitum, obscuratum denique et violatum esse, facile doceri potest. Etsi autem culpa sua non careant quaevis in religione dissidia, plurimum tamen interest, violentne aut non violent fundamenti Apostolici fidem. Deinde, destinatone consilio an vero per imprudentiam atque infirmitatem violent. Atque sane nunquam fuit ita foelix status Ecclesiae Christi, post Apostolos praesertim, adeoque et sub Apostolis ipsis, ut non semper aliquid in illa, etiam inter viros sanctissimos, dissidiorum esset, sed quibus interim ipsa fundamenti Apostolici fides in dubium nunquam vocabatur. Ita et nunc dissidia inter nos extare dolemus quidem, sed non usque adeo miramur, quandoquidem illis Ecclesia nunquam caruit. Sed eiusmodi dissidia inter nos nulla agnoscimus, quae destinato consilio fidem fundamenti violent quoquo modo, qualia interim apud Papistas commonstrari possunt. Deinde quaecunque sunt inter nos dissidia, ea scrip-(82)turarum censurae subiicimus omnia expetimusque piorum sine discrimine omnium modesta libera Christianaque colloquia, parati cum publica nostri pudefactione mutare sententiam, si ex verbo Dei meliora doceamur. Quodsi isti pacis ac concordiae Ecclesiasticae studio dissidia nostra accusant, nempe ut, sic ubi aut a nobis aut ab ipsis etiam a scopo aberratum est, ad viam rursus rectam iuxta verbum Dei reducatur, instituant Christiana modesta sine conviciis ac prae-

iudiciis ullis, interim tamen libera, colloquia, commostrent nobis errata nostra et sibi etiam sua commonstrari non aegre ferant; sic enim constare posset de ipsorum erga pacem ac concordiam Ecclesiasticam studio. At vero tantum abest, ut ipsi sint solliciti, sive de componendis nostris dissidiis, sive de corrigendis nostris, quos accusant, erroribus, sive de reformandis suis etiam abusibus, ut et dissidia nostra omnia magis ac magis gliscere indies et errores item nostros multiplicari modis omnibus cupiant, quo maiorem nostra omnia traducendi (83) occasionem habere queant, — de sua vero tyrannide inveteratisque iam aliquandiu suis abusibus nihil omnino remittant. Accusant nos igitur dissidiorum, qui ipsimet a fundamento Apostolicae confessionis iam olim defecerunt, et tot praeterea intra se monstra sectarum alunt, ut vix simul omnia recenseri possint. Et accusant non corrigendi ullo, in viamque reducendi studio ullo, sed sola nostri accusatione sese populo ut venditent suamque tyrannidem ita demum excusent et confirment. Ac quemadmodum Iudas olim Christum Dominum neglectorum egenorum accusabat, non quod illi egenorum inopia cordi esset — quos ille multo magis furtis suis, quam Christus Dominus unguenti illius usu fraudabat — sed quod furtis suis tantum decedere doleret, — ita isti, hanc unam occasionem nacti dissidiorum, nos accusant, non quod illis pax vera ac concordia Ecclesiarum cordi sit ullo modo, sed quod omne regnum suum periclitari vident, si non doctrinam nostram, quocunque tandem modo possint, sive iure sive iniuria accusent. (84)

6. Aiunt nostram doctrinam esse causam turbarum ac seditionum passim, illique imputanda esse potissimum quaecunque usquam infausta ac infoelicia nostra memoria obtigerunt. Et hic celare non possunt maiorum suorum ingenium, qui de Christo olim Domino clamabant „Commovet populum" ac rursum „Venient Romani, etc." Hisce enim vocibus olim Pharisaei ac sacerdotum principes Christum Dominum in doctrina ipsius et turbarum omnium et eius, a qua sibi omnium maxime metuebant, calamitatis autorem facere conabantur, cum ipsimet in hoc toti essent, ut et Pilatum et universum adeo populum calumniis suis adversus Christum Dominum concitarent, atque ipsimet etiam sua impietate publicam illam calamitatem toti suae genti accersivissent. Ita et isti faciunt igitur, et cum non alii ulli hominum generi et turbas nunc toto orbe omnes et omnes calamitates magis debeamus quam ipsis, horum illi tamen omnium culpam in nos propter doctrinam Euangelii Christi transferre conantur. Norunt (85) videlicet Euangelica luce abusus multos reprehendi et suum cuique officium commonstrari. Id vero cum nunc sit invisum omnibus propter adulteratam, Papismi potissimum tyrannide, omnium fere

publicarum in Ecclesia vocationum functionem, et suum isti regnum interiturum omnino esse intelligant, si sua quisque vocatione legitime iuxta verbum Dei defungeretur, reprehensiones abusuum divinas omnes turbas esse interpretantur. Quasi vero legitimae reprehensiones sine turbis institui non possint, aut quasi turbarum culpa in legitimis abusuum reprehensionibus sit posita, ac non potius in illorum obstinatione ac pervicacia, qui de suis abusibus remittere nihil volunt, ac proinde sursum ac deorsum miscent omnia, si se attingi sentiant ullo modo. Cum igitur Papismus universus, ut nunc est, cum doctrina Euangelii consistere haudquaquam possit, atque eius praesides suam impietatem pro summa pietate mundo toti obtrudant, nedum ut ullas illius reprehensiones aequo ani-(86)mo admittant, et interim efficere non possint, quominus verbi divini autoritate reprehendantur, nihil non tentant, sive metu sive odio reprehensionum, quod modo putant ad supprimendam abolendamve verbi divini autoritatem pertinere. Neque hic illis satis est, ut Regibus ac Monarchis perpetuo occinant Propheticum illud: Disrumpamus vincula eorum et lora ipsorum abiiciamus, (hoc enim suo more faciunt, ut admonitiones et reprehensiones Euangelicas nescio quae vincula ac lora esse interpretentur) sed ipsimet etiam adversus verbi Domini doctrinam et eius ministros enses flammas ac carceres suos in promptu habent, sursumque ac deorsum miscent omnia, ut invectam semel suam tyrannidem, vel Deo ipso invito, retinere possint. Hoc vero istis turbulentum non est, sed turbarum culpam doctrinae verbi divini et eius ministris imputari volunt. Iuxta istos scilicet turbulenti sunt, qui vicia reprehendunt (87) et suum cuique officium ex verbo Dei commonstrant, ut servari possint, atque hoc nomine invisi destituti pressi atque afflicti nusquam non oberrant secantur tentantur uruntur merguntur et gladii occisione alacriter in Domino occumbunt, — et illi pacifici erunt, qui haec omnia procurant atque in hoc suos ipsimet carceres ignes et enses expeditos habent? Ad hunc sane modum tyrannicus ille rex Israelis Achab Eliam Dei prophetam turbarum accusabat, sed rursum ab illo audire coactus est, quod non equidem Elias, sed ipsemet sua tyrannide atque idololatria omnium turbarum ac calamitatum in Israele autor esset. Ita et nos igitur, Romanensi nostri temporis Achabo, Papae inquam cum universo grege ipsius, qui nostram doctrinam turbarum insimulat, Eliae prophetae verbis respondissemus: Non esse nos, qui nostris ex verbo Dei admonitionibus ac reprehensionibus turbas ullas commoveamus, cum aliud nihil quam gloriam Christi Domini in regno ipsius et salutem omnium quae-(88)ramus, sed illum ipsummet Romanensem Achabum, qui Romani Imperii fasces insidiose invasit suaeque tyrannidi demum

Reges orbis Christiani omnes subiecit; illum inquam cum galerato mitrato palliato ac cucullato suo satellitio causam dare omnibus turbis ac calamitatibus totius, ut vocatur, orbis Christiani, eo quod profanarit sua tyrannide doctrinam Euangelii Christi et novi cuiusdam Dei sui praesidiarii, qui manibus humanis fiat, vias praestigiosas confinxerit ac sequatur, atque adeo nihil de sua tyrannide ac idololatria remittere velit, ut orbem universum dissidiis caedibus ac bellis implere malit, quam vel latum unguem de sua suorumque tyrannide atque impietate cedere. Atque hoc Achabitis istis Eliae prophetae exemplo responsum esto. Haec autem fere sunt praecipua, quae adversus nostram doctrinam proferunt cum ipsimet omnium maxima culpa eorum teneantur, quae nobis falso adscribunt.

Aliud porro hominum genus, quod ad rerum omnium licentiam atque impu-(89)nitatem extremis hisce temporibus nostris adspirat, habet etiam quod nostrae alioqui doctrinae obiiciat. Proferunt et ipsi doctrinam Pauli, qui, ubi spiritus est, ibi quoque libertatem extare oportere docet. Nostra autem haec tempora esse spiritus tempora, et spirituales a nemine iudicandos esse. Itaque libertatem permittendam esse omnibus docendi agendique omnia et non dubitandum, cum iam sint tempora spiritus, omnia, quae docentur, a spiritu sancto provenire. At vero isti in citanda hoc loco Pauli doctrina bis peccant. Primum, quod nomen libertatis alio detorquent, quam Paulus velit. Nam illic Paulus sub libertatis nomine, non equidem quidvis aut docendi aut agendi licentiam atque impunitatem intelligit, sed animi nostri ac conscientiae nostrae in Dei iudicio a legis maledicto ac typicorum omnium servitute liberationem, ut, qui sine Christo legis nexu ad aeternam condemnationem destinabamur, nunc in Christo nos ab eo nexu liberatos esse fidei nostrae testimonio, ex dono spiritus sancti, sentiamus; et qui ante Christum datum (90) ad typicorum omnium observationem ex Dei ipsius ordinatione alligati eramus, certi simus, etiam nos ab hac servitute per Christum Dominum liberatos esse. Quae sane libertatis nostrae apud Deum ratio nihil habet commune cum ea, quam isti imaginantur, quidvis docendi agendive licentia atque impunitate. Deinde peccant isti etiam, dum nostra haec tempora ita ad spiritum sanctum referunt, ut quicquid iam vel doceatur vel geratur, id totum ab illo provenire arbitrentur. Manet enim adhuc inconcussa doctrina Apostolica, spiritu sancto autore proculdubio prodita, qua spiritus — nunc, si unquam alias — probare iubemur, num ex Deo sint. Qua equidem doctrina monemur, ab impostore spiritu istos excitari, qui licentiae huic atque impunitati docendi et agendi omnia ét libertatem ét tempora spiritus sancti praepostere obtendunt. Hoc nimirum agit Satan,

ut, dum Papisticam tyrannidem defendi amplius non posse videt propter retectam magna iam ex parte impietatem illius, novis (91) rursum artibus impediat veram ac legitimam iuxta scripturas religionis instaurationem, proque tyrannide, quam alioqui invisam esse novit, introducere conatur ἀναρχίαν quandam, quae, sublato omni tum Ecclesiasticae tum etiam politicae disciplinae usu, immedicabilem ad extremum rerum omnium confusionem pariat. Hae sunt, inquam, Satanae artes, quibus regni Christi instaurationem legitimumque illius progressum impedire pro summa virili sua conantur. At vero nos edocti sumus, Deum esse ordinis, non antem confusionis, Deum. Ac proinde, quemadmodum papismum eo potissimum nomine accusamus, quod institutum a Christo Domino observatumque ab Apostolis ac nobis omnibus commendatum Ecclesiastici totius ministerii ordinem, inducto novo quodam sacerdotii sui Christo Domino adversarii genere usurpataque demum tyrannide sua, supprimere conatus sit, ita et istos impunitatis patronos haudquaquam in Christi Ecclesia audiendos esse putamus, eo quod praepostere (92) libertatis suae patrocinio institutum etiam a Christo Domino observatumque ac nobis commendatum ab Apostolis totius Ecclesiastici regiminis nervum, legitimum inquam et Ecclesiasticae et politicae disciplinae usum, abolere conantur, cum non alio doctrina istorum spectare videatur, quam ad inauditam prorsusque horribilem rerum omnium perturbationem ac confusionem. Nihil igitur vos a studio ac progressu instaurandae istic verae religionis remorari debebunt, quae vel a Papismi, vel etiam a praeposterae illius libertatis propugnatoribus proferuntur. Est quidem aliquid, sed non est satis, Papismum sustulisse. Neque enim satis est purgasse domum, ut inquit Christus Dominus; alioqui exactus semel cacodaemon, collectis secum aliis multo sceleratioribus, in domum repurgatam revertitur, si vacuam videat, et fiant posteriora prioribus multo deteriora. Quare id quidem vobis praestandum est omnino, sub hisce iam praesertim regni istic Christi in doctrina ipsius initiis, ut Papismum universum a vobis (93) propellatis — nulla est enim societas Christo cum Antichristo — si extremam a vobis calamitatem et a patria tota depellere velitis. Sed satis non sit vobis, Papismum propulisse; satis non sit, inquam, domum repurgasse; verum in hoc incumbite etiam, ne illam, ubi repurgata fuerit, vacuam relinquatis, hoc est, ne post abiectam Papismi superstitionem idololatriam ac tyrannidem in restituendo protinus vero rursum ac puro omnino cultu Dei publico iuxta doctrinam atque observationem Apostolicam instaurandoque legitimo Ecclesiarum [ministerio] in primis negligentes sitis. Hanc enim domus suae custodiam Dominus ipsemet constituit, quae exactum semel cacodaemonem a reditu deinceps arceat, et demum illam

purgatam, vacuam non esse testetur. Hoc igitur vobis agendum est, Amplissimi Proceres! et ad eam rem libellum hunc nostrum, quem vobis mitto, non inutilem fore puto. Cogitate autem tempus hoc vestrae istic visitationis summa vobis in solidum omnibus cura observandum es-(94)se, post auditum istic iam, adeo insigniter praesertim, tubae Euangelicae clangorem. Neque hic alter in alterum aut onus aut culpam reiiciat. Cuique vestrum enim praestandum est hic pro summa virili vestrae vocationis officium. Ignorantiam praetexere amplius sane non potestis, quae quidem vos in Dei indicio olim ullo modo excuset. Audistis rationem ipsam divini adversus omnem ingratitudinem iudicii, nempe, nunquam immitti publicam ullam genti alicui calamitatem, nisi post publicam aliquam pacti divini violationem ac publicam item eius ipsius violationis reprehensionem. Sed nunquam non immitti etiam et quidem repente, si violationis illius reprehensiones atque ad resipiscentiam admonitiones publicae vel contemnantur prorsus ac reiiciantur vel negligenter etiam aut hypocritice recipiantur. Audistis item severitatis divinae magnitudinem adversus Reges ac regna, si, inclarescente regno Christi Domini in doctrina sui Euangelii, suum officium non faciant; nempe, (95) accensum iri protinus furoris divini vehementiam haud aliter quam exortum aliquod inopinato ac repente incendium, obvia quaeque sine discrimine ullo depascens atque absumens. Audistis praeterea, quae sint et Regii et vestri simul, hac in parte, officii partes, nempe, ut, abiectis prudentiae mundi huius consiliis, quibus alioqui, quae ad regni Christi illustrationem pertinent, invisa sunt fere suspectaque omnia, aliud quoddam sapientiae divinae genus amplectamini, vosque primum de voluntate Dei ex verbo ipsius institui pro captu vestro erudirique patiamini. Deinde, serviendi illi in omnibus eius praeceptis studium, cum animi alacritate atque observantia coniunctum, intra vos ipsos in animis vestris concipiatis sine ullo ullorum etiam hominum respectu. Postremo, ut vestrum hoc tale serviendi illi studium, non tantum in corde vestro alatis, sed publicis etiam vocationis vestrae officiis contestemini, hoc est, publica vestra de inclarescente doctrinae suae luce gratulatione atque alacri erga illam obser-(96)vantia. Haec inquam audistis omnia atque ea non aliunde quam ex ipsis scripturae sanctae fontibus producta. Ad extremum vero audistis, quam nihili sunt ea omnia, quae et a Papismi et ab impunis illius licentiae quidvis docendi agendique propugnatoribus ac patronis adversus regni Christi progressus adiuvandos promovendosque adferuntur.

Hoc restat igitur, ut, quae audivistis, animis etiam vestris imprimatis, et, quae vestri esse officii intellexistis, ea alacriter et

certa in Deum fidacia cum seria opis suae divinae imploratione exsequamini et praestetis. Scio bonam ordinis vestri partem ab Aposcopis quibusdam occupari, qui interim pro Episcopis haberi volunt. Sed et inter eos spero esse, qui lucrifieri possint, praesertim si videant, non tam sui odio, quam promovendae potius Christi gloriae studio omnia geri. Ego enim etsi abusum nominis in illis improbo ac nihil minus quam Episcopos esse statuo, homines tamen ipsos, mihi praesertim incognitos, adeo non odi, ut me eis cuperem prodesse pos-(97)se pro tenuitate mea, quatenus sane scientes ac volentes regno Christi Domini non resisterent, si quo modo et ipsi in viam revocari queant. Ita et a vobis rationem illorum, citra Christi interim contumeliam, haberi optarim, quatenus sane non dant adhuc ullam manifestam obstinationis suae significationem. Qui vero praefracto destinatoque consilio caeci caecorum duces esse pergunt, de iis aliud non dicam, quam quod Christus Dominus de ipsorum maioribus dixit: Sinite illos vosque ab illis (iuxta Esaiae et Pauli doctrinam) in omnibus vestris, de religione potissimum, consiliis omnino separetis, ne vos poenarum, quae illos manent, participes vosmetipsi faciatis.

Deus Opt. Max. respiciat vos omnes totamque adeo nostram patriam oculis suae divinae misericordiae propter unice dilectum Filium suum, qui non minus pro nostra gente, quam pro aliis, sanguinem suum innocentissimum fundere non dubitavit. Largiaturque vobis Spiritum sanctum suum in vestris consiliis, ut sub tam conspicua pa-(98)triae nostrae visitatione, quae ad salutarem illam in Christo Domino pacem faciunt, statuere inter vos per eius gratiam possitis, ne quo modo fiat demum, ut, quae ullo modo ad eam ipsam pacem omnino pertinent, et a vestris ipsorum et a totius patriae oculis (quod absit!) iusto Dei iudicio abscondantur. Avertat hoc malum a vobis Dominus pro sua bonitate ac misericordia, cui vos et totam patriam supplex commendo, — et, quae pro mea in vos et patriam nostram fide atque observantia libere ac confidenter scribo, boni consulite, oro. Quodsi qua in re operam praeterea vobis meam usui esse posse intelligatis, ea vobis pro mea tenuitate et plus satis alioqui iam afflicta valetudine nunquam est defutura. Dominus vos servet regat et fortunet. Amen.

Francoforti, ult. Decemb. Anno 1555. (99)

III.

MAGNIFICI AC GENEROSI VIRI! DOMINI, FAUTORES AC FRATRES IN DOMINO OBSERVANDISS.!

Gratiam pacem ac salutaris consilii spiritum Vobis simul in coetu vestro omnibus et cuique vestrum supplex precor a Deo patre nostro coelesti, ut, quod divino istic beneficio, Vestri potissimum Ordinis auspiciis, agi coeptum esse audio, in promovenda doctrina Euangelii Christi, id maiores etiam indies suos progressus, vestra opera, habere possit, ad laudem ac gloriam adorandi nominis divini et perpetuum Ordinis istic Vestri ornamentum. Amen.

PRO mea in communem nobis patriam fide atque observantia, pro animi item mei gaudio plane incredibili, facere non potui, Domini Fautores ac Fratres mei observandiss.! quin ad vos, etsi mihi forte maxima ex parte ignotos, confidenter tamen atque etiam libere scriberem, collatamque in vestrum ordinem a Domino supra alios omnes eam gratiam, vobis et toti nostrae patriae maiorem sane in modum gratularer, quod vestrum istic potissimum ordinem elegerit, per quem, pressum hactenus Antichristiana Papae Romani cornutarumque eius creaturarum tyrannide, unigeniti filii sui Domini nostri Iesu (100) Christi regnum in doctrina Euangelii ipsius denuo permoveri atque a plusquam Cimmeriis Papismi tenebris vindicari velit. Est sane hoc peculiare Dei opus summaque, non gratulatione modo, sed etiam admiratione ac proinde aeterna quoque memoria dignum, quod, praetermissis aliis, qui maiore istic loco atque auctoritate habentur, sublataque adeo omni vera ab illis sapientia, qui sibi ipsam sapientiae cathedram arrogare conantur, vestrum potissimum ordinem respexerit Deus inque vestro ordine eos excitarit, per quos pudefaciat tandem sapientum illorum quantumvis turgens supercilium, ac sceptrum illud sacrosanctum regni sui in verbi sui divini doctrina attollat adversus Pharisaicos nostri temporis scribas ac sacerdotum

Baaliticorum principes. Est, inquam, hoc peculiare prorsus istic nunc Dei opus summaque apud vos gratulatione dignum, sed in quo Deus a vestro vicissim ordine hoc maiorem ergà se gratitudinem hocque maius vestrum in recte prosequendo eo ipsó opere suo (101) studium et maiorem praeterea fidem ac circumspectionem proculdubio requirat, quo maius atque excellentius hoc ipsius in vobis opus esse constat. Quare ut vestro ordini vobisque in illo omnibus non possum non supra modum et quidem vere atque ex animo gratulari divini huius operis in vobis nomine, ita vehementer opto etiam, ut et vos in prosequendo eo ipso Dei in vobis opere, non equidem negligenter — totum namque cor in suum obsequium deposcit Dominus — neque item praecipitanter et confusanee (ordine enim ac decenter oportet institui omnia), sed fideliter ac prudenter progrediamini. Fidem namque et prudentiam ante omnia Dominus in omnibus suis ministris requirit, ut ne quid sibi omnino sumant praeter manifestum divinae voluntatis suae in verbo ipsius testimonium, et in eorum ipsorum ministerio ac dispensatione prudentiam ac circumspectionem adhibeant, ut ad aedificationem, non autem ad confusionem omnia fiant. Fideliter igitur vos progredi opto in coepta per vos instaurandae religionis istic causa, ne, manu aratro ad-(102)mota, post tergum rursus sive amore sive odio cuiusquam, sive item spe ullius boni sive malorum metu respiciatis, memores alioqui uxoris Loth, cui exitiale fuit retrospexisse, cum alio iter suum ex mandato Domini cum marito suo instituisset. Sed opto vos prudenter etiam progredi, ne, dum Scyllam vitare conamini, in Charybdin, ut est in proverbio, forte delabamini, quod absit. Neque vero mundi hic prudentiam in vobis requiro, quae fidem alioqui nostram in ministerio aut vocat in dubium aut certe maxima ex parte remoratur. Hanc sibi habeant sapientes illi, qui rationis suae consiliis disquirunt, Deone magis an vero hominibus debeant obedire. Sed illud prudentiae genus vobis a Domino precor, quod Christus ipsemet Dominus fidelitati in ministerio adiungit: nempe ut, cum certi simus, Deo magis quam hominibus obediendum esse, ita inobedientiam nobis omnem vitandam esse intelligamus, ne, dum ab una parte nos in viam rediisse putamus, ab altera rursum parte a via recta deflectamus, hoc est, (103) ne, dum Papismi impietatem excutere conamur, aliis rursum sectis ipsique adeo Atheismo viam imprudentes aperiamus. Equidem non dormit Satan, dum regno suo periculum imminere videt. Et licet nonnunquam ferre id cogatur, ut, domo sua exactus, hac atque illac extorris vagetur domumque illam, ex qua est eiectus, ab aliis repurgari, quanquam invitus, ferat, non tamen cessat, postquam exactus est, sed novum sibi sodalitium multo etiam sceleratius adsciscit, cuius ope domum rursus

illam repetit, si quo modo illam custodia legitima vacuam reperire queat, atque illuc reversus postrema prioribus multo deteriora facit. Hac igitur in parte ego fidelitati vestrae prudentiam quoque, a Christo Domino laudatam, adiunctam esse cupio, nempe ut in suscepta per vos causa instaurandae istic verae religionis et fideles vos et prudentes Dei ministros esse declaretis. Fidei porro vestrae erit, ut modis omnibus Satanam istinc e domo Dei propelli omnino curetis, qui illam per Antichristianam Papae Romani rasique (104) sui satellitii tyrannidem hactenus illuc violenter occupavit omnique eam illius superstitione atque idololatria, in primis vero blasphemo ipsius sacerdotio, repurgandam prorsus esse cogitetis, sic, ut nullum eius vestigium — si id ullo modo fieri queat — omnino relinquatur. Nulla enim conventio Christo cum Belial, luci cum tenebris, cultui divino cum idololatria ac superstitione. Hoc, inquam, vestrae erit fidei, et ut nihil recipiatur, cuius fontes in verbo Dei iuxta unanimem scripturae consensum commonstrari non queant. Prudentiae autem vestrae erit, repurgatae ita iam domui Dei fidelem ac legitimam custodiam protinus adhibendam curare, ne quo modo fiat, ut eiectus ille Satan, non quidem cum agnito iam Antichristo amplius, sed cum multo adhuc sceleratiore sodalitio illam recuperet, siquidem eam vacuam forte, et sine fideli custodia dolis suis expositam videat. Atque spero equidem, vos et in fide et in prudentia hac vestro officio defuturos non esse per gratiam Dei, sed interim non inutilem fore iudicavi apud vos eam meam (105) admonitiunculam, ad quam etiam me alioqui rumor quidam istinc allatus induxit, quam etsi vanum ego atque ab adversariis confictum puto, tamen, posteaquam spargitur, de illo vos mihi commonefaciendos esse putavi, ut, quemadmodum vos et, qui vobiscum sentiunt, sedulo semper cavisse non dubito, ne cuiusquam offendiculi iustam aliquam occasionem praeberetis circa religionis instaurationem, ita hoc ipsum deinceps etiam hoc maiore attentione caveatis, utque alii item caveant, etiam atque etiam studeatis, quo vos adversariorum calumniis magis esse obnoxios et plures etiam adversarios habere videtis.

Duo sunt autem quae istinc sunt allata. Alterum, quod quisque virorum nobilium ritus Ecclesiasticos apud se pro suo arbitrio instituat, quae quidem res ad confusionem magis, quam ad instaurationem religionis spectare videretur. Alterum, idque etiam gravius, quod in coenae Dominicae administratione, perinde atque in symposiis, bibatur. Iam posterius hoc meram esse suspicor Papistarum (106) calumniam: proinde non est quod de eo multis agam. Caeterum de priore, etsi id quoque aliter se habere credo, nonnihil dicam. Scio nihildum istic de publicis Ecclesiarum ritibus consti-

tutum esse, ac proinde facile intelligo, oportere adhuc esse quandam rituum varietatem, potissimum autem in Coenae ceremonia. Sed non tam est noxia rituum hac in parte varietas — modo, quae sunt praecipua, non varient aut profanentur — quam est noxia frequens varietatis mutatio. Haec enim apud rudiores totam fere religionem, primum in dubitationem, deinde vero etiam in contemptum vocare solet. Quae enim crebro mutantur, ea sane populus pro firmis ac solidis habere non potest, atque ita demum facile illa in dubium vocat moxque etiam contemnit, id quod alioqui multis locis accidisse videmus. Quare, si quae sit inducenda rituum mutatio, eiusmodi induci optarem, quae alias rursum mutationes non amplius requirat, hoc est, ut Papistica quidem abominatio radicitus omnino tollatur, declarata impietate illius, — in instituendis vero aliis loco illius ritibus ad prim-(107)aevam illam Apostolicae Ecclesiae puritatem ac simplicitatem quam proximo contendatur, quae nullis deinceps alioqui correctionibus eget. Quanquam antem magis est noxia frequens varietatis mutatio, quam ipsa rituum varietas, tamen in varietate quoque est adhibenda moderatio, ne nimium magnam rituum dissimilitudinem inducat. Haec enim in plebe ét praeiudicia facile gignit, dum alii alios prae se rituum suorum nomine contemnunt, ét animos hominum ab invicem fere dissociat. Videndum igitur, quatenus sit alenda rituum varietas, ne et hic nobis omnia licere putemus. Varietas porro quaedam rituum hactenus duntaxat utilis est in ecclesiis, ut libertatem illarum adversus Pharisaicam ceremoniarum servitutem tueatur, et doceat, nos externa huius aut illius ritus observatione non fieri vel digniores vel indigniores apud Deum, quemadmodum Augustinus loquitur. Iam vero libertas Ecclesiae non equidem in eo consistit, ut quisque pro suo arbitrio instituat quae velit et pro eo ac velit in sua Ecclesia, non habita ulla aliarum (108) Ecclesiarum ratione, sed ut nemo decretis humanis salutis suae periculo ad certos ritus illos adstringatur, etiamsi speciosissimi esse videantur. Aliud est autem, non adstringi ad aliquid, aliud vero, licere quicquid libet. Etsi enim nullis humanis legibus ad ullas certas ceremonias adstringi possimus, spectanda est interim Ecclesiarum aedificatio, ad quam et Dei ipsius et charitatis mutuae lege adstricti ita sumus, ut nihil nobis licere putemus, quod illam aut impedire aut remorari ullo modo possit. Quatenus igitur rituum magna dissimilitudine ét praeiudicia gignuntur in plebe ét hominum animi ab invicem fere dissociantur, ad haec et offendicula etiam aluntur, — hactenus sane ea rituum varietas modis omnibus vitanda est, quae magnam dissimilitudinem in se habere videtur. Proinde hic eam moderationem observandam esse existimarem, ut nemo solus quicquam in suis in-

stituat Ecclesiis privata autoritate sua, sed, si qui in una aliqua provincia de instauranda religione consentiunt, hi ut ea de re unanimiter (109) deliberent et convocatis suis ministris praestantioribus parcissime et simplicissime aliquid instituant, tantisper observandum sine ullis cuiusquam praeiudiciis, donec publica autoritate totius regni certa totius ministerii forma ordinetur. Ad eam porro rem spero non fore inutilem libellum nostrum, quem eam potissimum ob causam Regiae isthic Maiestati et toti patriae dedicavi. Ac quemadmodum illum suae Maiestati atque item Amplissimo ipsius Senatui misi, ita vobis quoque pro mea in patriam nostram fide atque observantia literis hisce meis adiunctum mitto, et oro, ut meum hoc qualecunque officium, meam item hanc apud vos in scribendo libertatem, pro vestra pietate boni atque aequi consulere velitis, quibus pariter omnibus ac cuique singillatim me officiosissime commendo.

Francforti, ultima Decemb. Anno 1555.

Vestri pariter ac singillatim omnium studiosissimus,

Ioannes à Lasco. (110)

[BASILEAE, EX OFFICINA IOANnis Oporini, Anno Salutis humanae M.D.LVI. Mense Martio.]

BREVIS
AC COMPENDIARIA RESPONSIO, AD COLlectos certos quosdam ex Erasmo Albero, per Stanislaum Hosium, titulo Varmiensem Episcopum, articulos, de doctrina Ioannis à Lasco: atq; huc in Poloniam transmissos, simulque et ad libellum ipsius nuper editum De oppresso verius quam expresso verbo Dei.

Per ipsummet IOANNEM À LASCO.

Percutiat te Dominus, paries dealbate! Act. 23.

[s. a. l. et typogr.]

I L L U S T R I

AC MAGNIFICO DOMINO, DOMINO IOANNI,

Comiti in Tarnow, Castellano Cracoviensi: et summo apparatus bellici per universum Regnum capitaneo: Ioannes à Lasco S. P. D.

SPARSI sunt ante unum aut alterum mensem atque ad me demum etiam allati Articuli quidam, Illustris ac Magnifice Domine! de me meaque doctrina per Hosium ex Erasmo Albero, ut titulus habet, exscripti, et huc tandem in Poloniam ad traducendum nomen meum transmissi, quibus ego (1) unico sane verbo respondere possem, nempè aliud nihil esse quam mera et putida mendacia, quos alioqui libelli nostri, me etiam tacente, vanitatis atque impudentiae convincent. Sed, quoniam neque Alberi procax maledicentia et maledica procacitas perinde hic atque alibi est cognita et Hosianae item hypocriseos fucus nondum plane omnibus est detectus, putavi mihi ad singulos ordine, 28, potissimum eosdem ipsos Articulos, deinde vero obiter etiam ad virulentum Hosii libellum, „De oppresso verius quam expresso Dei verbo" paucis respondendum esse, ut et Alberi vanitas et Pharisaica Hosii malitia omnibus magis conspicua fiat. Atque Alberi eum quidem libellum, ex quo se Hosius suos hosce Articulos excerpsisse scribit, ego equidem non legi unquam, qui ab eius me alioqui lectione propter redundantem hominis ubique maledicentiam studio semper continui. Nimirum (2) nota iampridem est per totam Germaniam eius in maledicendo impotentia propter quam tandem nusquam diu consistere, atque non semper adeo omnibus domi suae adesse cogebatur. Sed, etsi affirmare neque possum neque etiam volo, Articulos ipsos, ut huc per Hosium sunt trans-

missi, ab Albero conscriptos esse — qua quidem in re Hosius falsi crimine se, si accusetur, liberare debebit — non mirarer tamen ab illo ita scriptos esse, cum ab eo multa multorum falso sugillata, ac ne illis quidem parsum esse sciam (nedum ut mihi parceret) per quos sane ipsum et gradum in studiis fecisse maximum et alias quoque peramanter adiutum fuisse constat. Quin et nunc nihil omnino ad eos ipsos Articulos responderem, si non ab Hosio obtenderentur et Alberi item ingenium ac linguam hic perinde atque alibi innotuisse scirem. Sed cum non usque adeo hic perspectos adhuc esse video Balthici maris (3) fremitus, qui Germaniam denuo concutere nituntur, et Hosii hypocrisis in pretio apud quosdam adhuc habetur, una atque eadem opera utrique larvam suam detrahendam, utile atque necessarium esse existimavi, imprimis vero Sanctulo Patri Caligulae, qui in suis somniis ita sibi placere videtur, ut ea a nemine prorsus perspici, nedum convelli refutarique posse credat.

Vellem autem quam mansuetissime ac modestissime cum Moria agere, sed cum ille, ruptis omnibus modestiae atque candoris septis, nihil praetermittat, quod ad nos proscindendos opprimendosque ac diris omnibus devovendos rapere undecunque potest, — postulat sane hoc innocentia nostra, ut ne maledicta ac praeiudicia effrenis suae impudentiae haerere in nobis patiamur, sed ea in ipsum vicissim retorqueamus, ut omnibus constet, ipsummet et suos in eorum omnium culpa haerere, quorum nos ille mendaciter et malicio-(4)se accusat, praesertim vero cum sint eiusmodi, ut sine intolerabili nominis Divini contumelia, sine gravissima item Doctrinae sanae verique cultus Divini et totius adeo Ecclesiae Christi infamia dissimulari haudquaquam possint. Christus Dominus, cum Divinae suae potentiae opera Satanae adscribi audiret, ferre id noluit ullo modo, neque ei satis erat dixisse, Ego Daemonium non habeo, sed in calumniatores suos idipsum retorsit etiam, cuius accusabatur, Vos, inquit, ex Patre Diabolo estis. Non enim hoc ferebat Divini nominis gloria, quam sane a piis omnibus propugnari necesse est, ut nomen Satanae potentiae Dei obtenderetur. Ita et nobis integrum non est, contumeliam Divini nominis doctrinaeque nostrae ex verbo Dei petitae et cultus Divini calumniosam traductionem propter modestiae opinionem dissimulare, cumque Hosius, nos a Catholica Christi Ecclesia de-(5)scivisse, nosque impuros ac deploratos haereticos et omnem nostram doctrinam aliud nihil quam Satanismum esse pronunciet, — imitandum hic nobis Christum Dominum esse existimamus, nempe ut nos non solum nullius hac in parte nobis rei conscios esse declaremus, sed culpam eorum criminum omnem in Hosium ac suos vere ac palam retorqueamus, quorum nomine potissimum nos et nostra omnia illi accusare et calum-

niari conantur, illisque exemplo Christi Domini dicamus, „Vos ex patre Diabolo estis"; ne et Divini nominis gloriam et doctrinae nostrae cultusque item salutaris veritatem et Ecclesiarum denique nostrarum dignitatem nostra praepostera modestia prodere voluisse videamur. Dabunt itaque veniam nobis, quibus forte nimis acerbe Hosio respondisse videbimur, et non tam nobis alioqui id, quam Hosio potius, qui nos suis calumniis ac praejudiciis huc adegerit, im-(6) putabunt.

Certe ego nunquam putassem in ore ac pectore bleso tantum virulentiae atque amarulentiae subesse, quam interim ita erupisse gaudeo, nam nisi erupisset, multo nocentior omnibus sub fuco hypocriseos futura erat. Neque vero singula ordine prosequar, quae in praedicto eius libello habentur, sed fontes duntaxat argumentorum suarum paucis excutiam, quibus ille sibi et nostra oppugnasse et sua praeclare propugnasse videtur. Subversis enim argumentationum suorum fontibus, reliqua suapte sponte corruent omnia, et non deerunt alii fortasse, qui versutiam ac fucum hominis, in detorquendis Scripturae et Patrum testimoniis, suis coloribus depingent. Primum autem ad exscriptos ex Albero 23 Articulos respondebo, ut ostendam vanissima esse, quae nobis adversarii nostri falso adscribunt. — Dominus illis ignoscat! Deinde vero descendam ad libellum ipsum Hosii, quod qui-(7)dem ad praecipuas in illo argumentationes et intentatas mihi calumnias attinet, ut gustum alioqui qualemcunque habeant pii vel inscitiae ipsius, etiamsi eruditissimus videri velit, vel certe extremae malitiae, si sciens ac volens agnitam, quod longe est gravius, veritatem oppugnat.

Sed mihi prius adhuc nonnihil est dicendum de Articulorum istorum ex Albero exscriptione et evulgatione, nempe quonam consilio illos exscripserit Hosius et huc demum, ut in vulgus spargerentur, transmiserit. Male forte habebat hominem, quod in patriam rediissem post exortam et hic praesertim Euangelii Christi lucem, quae oculos ipsius alioqui perstringit. Cur enim tantopere laboraret in denigrando apud omnes meo nomine, quantopere eum laborasse et literae ipsius ad multos scriptae et libellus ad extremum ipsius apertissime testantur? Est autem invisus homini reditus huc meus, quia (8) causae suae diffisit et metuit, ne iniquitatis suae suorumque mysteria magis ac magis omnibus innotescant. Hinc sane lachrymae illius omnes, utcunque id dissimulet. Alioqui si hoc bonus Pastor scilicet non metuit, cur adventu hoc meo offenditur? aut si non offenditur, cur nomen meum mendacibus et suis ipsius et aliorum calumniis infamat? Equidem id poscebat et vetus nostra amicitia, cuius ipse studiosissimus videri volebat, et Christiana alio-

qui dilectio, quam sibi et suis miro supercilio arrogat, ut, si quid in me non probasset, prius me eius admonuisset, aut saltem mecum expostulasset, quam nomen meum calumniose palam proscinderet. Dicet, non nisi ad aras alendam fuisse nostram amicitiam. Recipio atque aras ei ipsas oppono. Non ignorabat sane, priusquam se etiam in Italiam contulisset, multa mihi non in vita modo, sed etiam in doctrina Pseudoecclesiasticorum (9) nostrorum displicuisse, nec raro mecum, ut alia taceam, sermones suos ea de re miscebat. Cur tunc igitur arae ipsius nostram non dissolvebant amicitiam, aut aliquam saltem offensionis significationem dabant? Aliud illi tum sine infula suadebant scilicet, quam nunc cum infula suadent? Mira profecto metamorphosis, ut, qui sine infula aris etiam permittentibus amicitiam nostram colebat, nunc in fraudem mei nominis mendacibus adversariorum communium calumniis abutatur. Si ei non vacavit nostra legere, cur illi tempus non defuit ad excerpendas ac demum, ut hic spargerentur, transmittendas obtrectatoris nostri calumnias, quas alioqui vanissimas esse novit? Quodsi aliis de mea doctrina potius quam mihi ipsi credere maluit, cur non tantum apud eum valebant aliorum de me, gravium sane et piorum virorum testimonia, quantum exosi propter maledicentiam piis (10) omnibus obtrectatoris mendacia? Quodsi maiorem Albero de me mentienti fidem habet, quam plurimis aliis longe diversum testificantibus meisque ipsius adeo libellis, ex quibus de mea utique doctrina, si hoc ei malicia sua permisisset, rectius multo poterat iudicare, — facile iam inde pius quilibet malam hominis mentem et malum animum deprehendere potest, nempe quod apud hominem per totam fere Germaniam maledicentiae nomine infamem compendium calumniarum quaerere atque huc demum transmittere maluerit, ut nostrum nomen invisum suspectumque omnibus redderet, quam vel aliorum de me testimoniis credere, quorum alioqui probitatem modestiam pietatem atque eruditionem toti mundo spectatissimam esse constat, vel ex meis ipsius scriptis doctrinam meam aestimare, in quibus sane libere et sine hypocrisi mea profiteor omnia, id quod res ipsa declarat. Si vero tantundem (11) fidei Hosius habet Albero, quantum et nobis omnibus, hoc est nihil, cum nos pariter omnes e suo tripode impurae nescio cuius haereseos et accuset simul et damnet, qua fide, ne dicam hypocrisi, obsecro eius hominis calumnias ad nostri nominis invidiam obtendit, cui neque ipsemet credit, neque ab aliis credendum esse contendit? Aut si hactenus ei duntaxat credit, quatenus maledicentia ac praeiudiciis ipsius ad causae suae commodum abuti se posse videt, cur non illi credit etiam, dum et Papam ipsum et suas omnes rasas atque unctas larvas Antichristianismi palam accusat? Nimirum hac ratione prodi

conspicuamque omnibus reddi oportebat Pharisaicam Sanctuli huius Paterculi hypocrisim, cum pari eius vafricie et malitia coniunctam, quam ei character suus Episcopalis adflavit. Porro nunc Hosium omittemus, donec post depulsas Alberi calumnias ad eius obiter libellum „De oppresso Dei (12) verbo", quatenus me illic etiam maliciose perstringit, respondeamus. Articulos igitur iam ipsos, per Hosium in Albero observatos, intueamur.

Articulus primus.

„Lasco docet: Si nos edimus corpus Domini, sequitur quod Maria „proprium filium suum comedit, perinde atque feles et sues suam „quandoque prolem devorant". (13)

Responsio.

Haec a me ita non modo non sunt dicta scriptave unquam, sed ne cogitata quidem. Didici de Christo Domino et sacrosancto eius corpore loqui reverentius, gratia sit Domino!, quare Albero ipsi, non autem mihi imputetur haec verborum impudentia, quae nusquam apud me reperiri potest. Hoc me ego in meo de Sacramentis libello scripsisse fateor, quod controversa haec doctrina, de reali ac substantiali secundum speciem ipsam corporis Christi in pane ipso, aut sub pane Coenae delitescentia, multas in Scripturis pugnas serat. Atque inter alia id etiam commemoro, Scripturas id omnes consentienter docere, quod Christus Dominus corporis et sanguinis sui substantiam ipsam a nobis ex matre virgine autore Spiritu sancto acceperit in sua incarnatione, idque (14) per participationem. Non posse igitur duo haec simul consistere, ut eandem ipsam corporis et sanguinis sui naturalis substantiam simul et a nobis per participationem acceperit, ut illi nobiscum communis esset, et nobis etiam veluti de suo proprio donarit. Non enim dicimur unquam, aut accipere quae de nostro ipsi damus, aut de nostro, dare id, quod aliunde alioqui per participationem duntaxat acceptum commune cum aliis habemus. Hic vero addo, omnium id clarissime in ipso Matris virginis et Christi Domini exemplo perspici posse, quam dubium alioqui non esset Coena Domini una cum Apostolis usam esse. Quatenus enim extra controversiam est, Christum Dominum ex matre virgine de nostro proprio ipsam corporis et sanguinis sui naturalis substantiam accepisse, ut illi deinceps iam et cum matre et per illam nobiscum communis semper esset, — certe hactenus dici non potest, Christum Do-(15) minum de suo proprio eandem ipsam corporis et sanguinis sui na-

turalis substantiam matri suae, ex qua illam accepit, dedisse, quae illi alioqui secum communis semper erat, etiamsi personali unione *verbi* ipsius, quemadmodum veteres loquuntur, propria facta esset. Quid vero haec ad tragica Alberi verba illa de immani foetus proprii a felibus et suibus devoratione? nisi quod Alberi maledicentia aliis verbis loqui non potuit. Quodsi palatum Hosii, nimis alioqui in delectu ciborum anxium, doctrina hac nostra, ut illam exposui, offenditur, dissolvat nobis nostram ratiocinationem, ex Scripturis ipsis petitam, et ostendat pro admirabili sua, quam prae se fert, eruditione atque eloquentia, idem esse accipere et dare, aut nos id de nostro proprio his potissimum dare, quod ab illis accepimus? et quidem duntaxat per participationem, ut illud commune quidem eis nobiscum semper, nobis vero ipsis proprium nunquam (16) fuisse constet. Hic igitur Hosii acumen expectabimus, atque ad alia progrediemur.

Articulus 2.

„Christus ex nobis hominibus carnem accepit et sanguinem. Propterea, quae ex nobis accepit, eadem nobis reddere non potest."

Responsio.

Doctrinam quidem hanc pro mea agnoscerem, si verbis meis traderetur, sed Alberus mea verba suis commutat, pro suo candore scilicet, ut doctrinam nostram magis invisam reddat. Porro nos doctrinae iam hac in parte nostrae rationem omnem exposuimus in proxima primi Articuli responsione. Hanc igitur impugnet Hosius, si impugnare velit.

Articulus 3.

„Si edi oportet corpus Christi, necesse est illud primum minutatim concidi".

Responsio.

Hoc non solum non docui unquam, (17) sed diserte etiam impugnavi, dum ex Augustino perinde esse statuo, sive integrum hominis alicuius corpus sive in frusta concisum devorasse dicamur, cum Christus Dominus qualemcunque omnino carnalem corporis sui manducationem manifeste reprehendat. Mendacem hic igitur Alberi calumniam Hosius accuset, non autem nostram doctrinam sugillet.

Articulus 4.

„Si Christus manet nobiscum, ut quid necesse est accedere ad Sacramentum et sumere corpus Domini? Nam quomodo id accipis, quod prius habebas?"

Responsio.

Et hic nostra verbis suis depravat Alberus, nos enim usum Sacramentorum palam ubique commendamus et urgemus, modo ut legitime observetur in Ecclesia Christi, id quod libelli omnes nostri testantur. Neque est controversia de usu aut dignitate Coenae, quam nos modis omni-(18)bus commendatissimam esse, coelestis potissimum Mysterii nomine, optamus, sed de terrenis illius Elementis novam illorum doctrinam non recepimus, qui aut elementa ipsa in corpus et sanguinem Christi naturalem verti, aut eis corpus ipsum et sanguinem Christi Domini naturalem reipsa consubstantiari quoquomodo docent, quod istorum neque in scripturis, neque in patribus orthodoxis ulla usquam mentio fiat, et ea res nihil faciat ad efficaciam et dignitatem Sacramentorum, imo vero nobis secum invexerit manifestam idololatriam et Coenae Dominicae profanationem. Argumentatio vero mea, quam hic depravat Alberus, huc spectat, ut, qui corporalem in Coena corporis et sanguinis Christi ore carnali manducationem constituunt, nobis respondeant, num Christus illam instituerit, ut in nobis corpus iam deinceps ipsius perpetuo, corporaliter alioqui manducatum, maneat necne. Si id affirment, quae-(19)ro, cur repeti subinde voluerit Coenae usum, cum unius Coenae usus id efficiat — si quidem hoc fine institutam esse dicant — ut corpus ipsum et sanguis Christi naturalis in nobis iam deinceps corporaliter maneat. Nam ociose Christum Dominum Coenae suae repetitionem instituisse, cogitandum non est. Si vero id negent, tum peto, ut ad verba Christi Domini respondeant: Qui edit carnem meam et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. Peto item ut dicant, quandonam et quo, quo denique modo a nobis se subducant manducatum alioqui in pane aut sub pane, ore carnali, ipsum corpus et haustus ipse sanguis Christi, quemadmodum ipsi volunt. Quid vero haec ad contemptum Sacramentorum, quem hic Alberus obtendit? Imo vero ostendo, doctrina ipsorum infamari Coenae usum, quam sane non temere nec frustra repeti voluit Christus, atque eo ipso ostendit, se de corporali illa ore carnali in pane (20) aut sub pane Coenae corporis et sanguinis sui naturalis esu ac potu nihil omnino cogitasse. Et hic igitur cum Albero agat Hosius, non mecum, aut

si me vult impetere, ex meis me scriptis impetat, non ex mendacibus calumniis obtrectatorum.

Articulus 5.

„Si Christus est ubique, ergo est et apud inferos et in inferno „apud Daemones. Inde sequitur, omnes impios et Daemones esse „salvos".

Responsio.

Si verbis meis recitaret Alberus meam ratiocinationem, res esset perspicua, sed ita detruncat et demum confundit omnia, ut non tam equidem nostram doctrinam, quam suas ipsius calumnias accuset. Ea vero est doctrina nostra, ut immensitatem, non sane Christi Domini (hunc enim et Deum pariter et hominem ubique esse credimus atque etiam adoramus), sed corporis ipsius, palam oppugnemus. (21) In oppugnanda igitur immensitate ista non ita pridem invecta ad hunc modum argumentamur. Si Christi Domini corpus est ubique, sane et coelestem illius gloriam, in quam est assumptum, illi ubique coniunctam esse oportet, nisi si corpus ipsum Christi Domini aeterno iam coelestis suae gloriae splendore denuo spoliare velimus. Igitur quatenus Christi Domini corpus ipsum est ubique, sic ut et ab impiis et a Daemonibus excludi non possit, hactenus etiam neque impios omnes, neque ipsos adeo Daemones a coelestis gloriae splendore in Christi Domini corpore excludi posse. Certum autem est, coelestem corporis Christi gloriam neque ad impios neque ad Daemones pertinere ullo modo. Tam vanum esse igitur commentum hoc de immensitate corporis Christi, quam est vanum, coelestis gloriae splendorem, quo Christi Domini corpus iam in aeternum relucet, ad impios et Daemones ullo modo pertinere. Haec inquam est nostra (22) ratiocinatio, quam Hosius diluat, si potest. Nam ad ipsum et suos, non minus quam ad Albericos pertinet, cum et Papistica transsubstantiatio, perinde atque Albericorum consubstantiatio, sine immensitate ista corporis Christi defendi haudquaquam possit.

Articulus 6.

„Ubi Christus est, ibi est eius potentia. Sed Christus est ubique, „ubique igitur est eius potentia. Quodsi ubique est potentia illius, „ergo est et apud infideles, et omnes Daemones sunt participes po- „tentiae illius".

Responsio.

Etsi ego me ad hunc modum nusquam argumentatum esse scio, tamen, exceptá sola de Daemonibus appendice, de qua mihi alioqui ne in mentem quidem venit umquam, — non video quid vel Alberus, vel Hosius hic potuerit cavillari, nisi aut Christum ipsum divino Spiritu suo non esse ubique, aut eius spiritum Divina sua omnipotentia destitui posse somniant, id quod (23) alioqui Hosio levius forte videri potest (cum sit praesertim plurimis sui ordinis hominibus familiare), quam si Papae suo aliquid decedere patiatur usurpatae iampridem suae tyrannidis et impietatis. Quae de impiis et Daemonibus adduntur, verissima sunt, si recte accipiantur et verbis simplicioribus tradantur. Quis enim neget, Christum Dominum sua omnipotentia et apud impios et apud Daemones esse, ut vi ac iudicio ipsius in aeternum damnentur? Sed Alberus more suo depravat omnia, dum a nobis doceri fingit, Daemones participes esse potentiae Christi, quasi eandem cum Christo Domino potestatem sibi habeant communem, quod sane a me nunquam cogitatum fuit.

Articulus 7.

„Christus non dixit: *Cum hoc pane* accipite corpus meum, — „propterea corpus eius non datur in Coena".

Responsio.

Impudens mendacium est, quod (24) doceam, corpus Christi Domini nobis in Coena sua non dari seu exhiberi, cum ego in omnibus libellis meis contrarium doceam. Expresse cum Paulo profiteor, Coenam ipsam esse veram ac salutarem corporis et sanguinis Christi communionem, ac proinde panem et poculum Coenae esse symbola corporis et sanguinis Christi. Alioqui neque Coena ipsa esset communio corporis et sanguinis Christi, si Coenae elementa istorum symbola non essent, neque item panis et vinum Coenae symbola vera esse possent corporis et sanguinis Christi, et Coena ipsa non esset vera ac salutaris communio corporis et sanguinis Christi, quae alioqui sine ipso Christi Domini corpore ac sanguine consistere non potest. Sed Alberus controversiam de Coenae elementis ad ipsum Coenae Sacramentum artificiose transfert, quasi idem sit prorsus, Coenae elementa et Coenae sacramentum. Etsi igitur nos diserte negemus corpus Christi Do-(25)mini nobis re ipsa dari, dum Coenae participamus, in pane aut sub pane aut cum pane aut per panem

Coenae, ut Ministri manibus porrigatur et ore carnali a piis pariter atque impiis sumatur, non ideo tamen efficitur, negari a nobis, corpus Christi Domini nobis in Coenae usu legitimo dari aut exhiberi iuxta naturam atque proprietatem Sacramentorum ex Divina institutione. Aperte namque profitemur, pios omnes in Coena vero corpori et sanguini Christi Domini vere etiam communicare fide, etiamsi constantissime negemus, ipsum corpus et sanguinem Christi Domini in ipso pane ac vino Coenae seu sub pane ac vino vel per panem ac vinum sive cum pane ac vino ita exhiberi, ut corporeis Ministri manibus et piis simul et impiis prostituantur oreque carnali a piis pariter atque impiis sumantur. Id porro si non probatur Hosio, in arenam hic nobiscum descendat, non minus enim hic oppugnatur suorum (26) transubstantiatio, quam consubstantiatio quaedam, quae ab Albero et suis syncretistis propugnatur.

Articulus 8.

„Recordatio est rerum praeteritarum, non praesentium. Cum ergo „Christus dicit: Hoc facite in meam commemorationem, — oportet „praesens non esse corpus Domini."

Responsio.

Vellem mihi Hosius hic pro Albero responderet, an recordatio rerum sit praesentium, an vero praeteritarum. Quodsi rerum est praeteritarum, siquidem Platoni fidem adhuc habendam esse putat, ostendat, eum hic nobis in terra corporaliter adesse oportere, in cuius recordatione ex ipsiusmet institutione versamur, tametsi hic mala fide Alberus nostra omnia recenset. Quanquam enim fatemur, Coenam a Christo Domino institutam esse ad ipsius recordationem, diserte tamen docemus, signa Sacramentorum esse signa rei praeteritae, prae-(27)sentis et futurae, nempe communionis nostrae cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius. Praeteritae inquam, quatenus dudum iam incarnatus est, mortuus est, resurrexit et in coelum ascendit. Praesentis, quatenus illa etiamnum fruimur per fidem, omnium autem significantissime in Coenae usu. Et futurae, quatenus illius complementum adhuc in nostra resurrectione futurum expectamus. Sed haec forte videre noluit Alberus, multo minus autem exscriptor ipsius Hosius, quandoquidem struendae nobis per eos calumniae non subserviebant.

Articulus 9.

„Vult ut sedentes celebrent Coenam Domini, nam et Christus Dominus Apostolis suis sedens celebravit".

Responsio.

Male habet Alberum, sed prius multo Hosium, quod pios omnes horter ad sequendum Christi Domini exemplum in observando mystico accubitu circa Coenae usum. Ni-(28)mirum Hosio, Missa ipsius, vere horrendum propter blasphemiam sacrificium, protinus perierit. Haeresis est Hosio igitur redire ad Christi Domini eiusque Apostolorum exemplum in observanda ipsius institutione. Contra vero pietas est, illam mutasse violasse ac profanasse, etiamsi Christus Dominus huic suae institutioni mandatum expressum addiderit „hoc facite", nempe, ut non aliud, quam quod ipse fecit, faceremus, non autem ab illius imitatione pro nostro arbitrio discederemus. Neque enim Hosio est iam Dei Verbum „hoc facite", quandoquidem illi sensus ac consensus, hoc est, coniurata adversus Christum Dominum conspiratio, tyrannide Antichristiana constabilita, reclamat. Porro ego non iubeo imperiose, sed moneo tantum et suadeo, quatenus id cum pace Ecclesiae fieri queat, ut accubitus circa Coenae usum propter mysterii sui excellentiam in usum revocetur, diserteque doceo, cur et (29) quatenus id suadeam. Sed hoc non oportebat commemorari ab Hosio, ne suae calumniae locum sibi ipsemet praeripuisse videretur. Sed olim experiemur, uter nostrum, Domino ac iudici nostro consilium suum approbabit, ego ne qui pios omnes, quod in me est, exhorter ad Christi Domini et eius Apostolorum imitationem in ipsius institutione, — an vero Hosius, qui Coenae violationem profanationem inque sacrificium sacrilegum commutationem ac nefandissimam demum cauponationem, non solum non patitur corrigi, sed ferro etiam propugnandam esse clamat, dignus videlicet, qui a suo creatore in novam eamque purpuratam creaturam accepto pileo transformetur!

Articulus 10.

„Christus dixit: hoc est corpus meum, — non: substantia corporis mei".

Responsio.

Ingens piaculum profecto, si a Christo Domino dictum esse nego,

quod (30) ab illo nusquam dictum esse constat, nisi si et Christum ipsum in ius vocare volunt, quod aliter, quam isti vellent, sit loquutus. Me vero non pudet negare a Christo dicta esse, quae ab illo dicta nunquam esse scio. Viderint autem Alberus et Hosius, ut eorum omninm Christum Dominum autorem esse olim probent, quae sub eius nomine obtrusa nobis habemus.

Articulus 11.

„In Euangelio Matthaei scriptum est, quod Christus dederit suis „discipulis calicem, antequam protulisset illa verba: Hic est sanguis „meus, — igitur biberunt illi vinum simplex, et non sanguinem Domini"?

Responsio.

Et hic non potuit similis sui in calumniando non esse Alberus. Primum dum, quae ego ex Marco profero, ea me ipse ex Matthaeo protulisse scribit: deinde, quod ego per interrogationem sciscitor, de eo me ipse iuxtà capitis sui somnium pronunciasse scribit. (31) Certum est autem Marcum affirmare, quod Apostoli prius de poculo Coenae bibissent, quam Christus verba Coenae, quae vocant consecratoria, pronunciasset. Quin et Matthaeus, et idem Marcus etiam, eo ordine panem a Christo Apostolis datum esse referunt, ut non prius verba de pane pronunciata esse scribant, quam panis iam distributus esset. Inde vero ego argumentor, non equidem adversus veram ac salutarem corporis et sanguinis Christi in Coena participationem, quemadmodum Alberus calumniatur, sed adversus doctrinam Albericorum simul et Hosianorum de Elementorum Coenae consecratione, quam illi constituunt in operativa nescio qua per Ministrum verborum Coenae enunciatione, cum nos elementa Coenae, non equidem humano opere ullo, sed virtute primae illius Dominicae institutionis sanctificari, seu in sacrum usum segregari et mystica symbola (32) effici doceamus. Argumentatio porro mea sic habet: Si elementorum Coenae consecratio constet verborum Coenae enunciatione, et Marcus de poculo expresse testatur, Apostolos prius bibisse, quam verba ipsa a Christo Domino pronunciata essent, atque idem Marcus etiam et Matthaeus praeterea de pane eodem spectare videntur, — quidnam ederunt et biberunt Apostoli ante factam consecrationem per verborum recitationem? Petoque ut doctores operatoriae illius per Ministrum consecrationis hic mihi respondeant, qui aliud sane respondere non possunt, quam aut simplicem omnino panem et simplex etiam vinum ab Apostolis sumptum esse ante illam consecrationem, aut, si ipsa Coenae elementa

simplicia iam non erant, sed Mystica, ante consecrationem, — iam esse manifestum, sanctificationem Elementorum Coenae priorem esse ipsa consecratione. Certum est autem Apostolos, non simplicia, sed Mystica iam Coenae ele-(33)menta sumpsisse simulque et corpori et sanguini Christi communicasse. Certum esse igitur etiam, elementorum Coenae consecrationem non esse positam in verborum ulla per Ministrum enunciatione. Quod si verum est, videat Hosius ut suum nobis Sacerdotium simul et Sacrificium (cui supra modum metuit) approbare possit.

Articulus 12.

„Filii Israel biberunt de spirituali petra, ideo nos quoque spiritua„liter accipere oportet."

Responsio.

Fateor eam argumentationem esse meam, sed ab Albero concise nimium et truncate recitari, ut calumniae ipsius patere possit. Argumentatio vero nostra est eiusmodi. Ad quem modum unus duntaxat est Deus, una Ecclesia et una fides, etiamsi duplicem Ecclesiam, veterem inquam Israelis et nostram nunc post Christum Dominum Apostolicam, esse agnoscamus, quarum altera in venturum (34) adhuc Messiam, typicorum rei futurae rituum et Sacramentorum testimonio, credebat, altera vero iam exhibitum esse profitetur, — ad eundem modum etiam omnia veteris et nostrae Ecclesiae Sacramenta in suo potissimum Mysterio esse unum atque idem Sacramentum, nec alio sensu a Paulo doceri, Patres nostros eundem nobiscum cibum spiritualem edisse et idem bibisse poculum, nempe Christum, qui et alibi item Mosen fide Pascha peregisse affirmat. Nimirum Moses non tantum in typicum illum agnum intuebatur, cuius carnibus iuxta praescriptum a Deo ritum vescebatur, sed in Christum ipsum, quanquam adhuc venturum, et salutarem iam tum etiam suae Ecclesiae corporis et sanguinis ipsius communionem, quam et nos in Coenae Dominicae usu fidei nostrae oculis potissimum intuemur. Unde et ab Augustino expresse scriptum habemus, Sacramenta veteris et nostrae Ecclesiae signis quidem esse (35) diversa, caeterum virtute ac mysterio paria esse atque eadem. Si igitur utriusque Ecclesiae Sacramenta unum atque idem Sacramentum sunt in suo Mysterio, et Sacramentorum in veteri Ecclesia aliud non erat praestantius ullum mysterium, quam corporis et sanguinis Christi, venturi adhuc, spiritualis communio per fidem, quae et praeterita et futura omnia, tanquam praesentia intuetur, — perspicuum est, Coenae quoque Dominicae Mysterium nullum praestantius posse constitui, quam spiritua-

lem corporis et sanguinis Christi communionem. Jam hanc nostram argumentationem convellat Hosius, si potest.

Articulus 13.

„Aegre fert, sub specie panis includi corpus Christi, et dicit oportere in Christo poni duo corpora, unum de quo scribitur Joannis sexto, alterum vero, de quo scribunt Matthaeus, Marcus, Lucas et Paulus."

Responsio.

Localem corporis Christi in pane (36) Coenae inclusionem a me improbari, libenter agnosco, simulque et immensam, quemadmodum in sexti Articuli responsione apparet, sed de duobus Christi corporibus nihil me unquam vel cogitasse memini. Proferantur loci igitur, si qui sunt in scriptis meis, quibus id doceam, aut ne falso mihi adscribantur, quae nunquam docui. Caeterum non solus ego localem corporis Christi in pane Coenae inclusionem accuso, quin potius Syncretistae Alberici eam multo minus admittunt, qui immensam constituunt, ne quid de illis dicam, qui neque localem, neque immensam profiteri audent, sed tertiam nescio quam comminiscuntur, quae non sit huius seculi neque huius mundi, hoc est, quae neque vitae hic nostrae tempore, neque in hoc mundo haberi forte possit. Tot videlicet sopha pharmaca adhiberi oportet rationis humanae somniis, quae Verbo Dei non nituntur, circa divina praesertim.

Articulus 14. (37)

„Illa verba: Hoc est corpus meum, esse nudam literam, — litera autem iuxta Paulum occidit."

Responsio.

Hoc tam impudens mendacium dignum non est ulla responsione alia, nisi quae nugatoribus istiusmodi dari solet. In omnibus meis scriptis aperte profiteor et subinde repeto, verba haec Christi Domini verissima esse. Sed eis addi dico interpretationes novas quasdam, Catholicae Christi Ecclesiae plane incognitas et de quibus Christus Dominus nunquam cogitavit. Inter eas autem hanc quoque numero, quae verba Christi haec nude simpliciter et iuxta literam, ut sonant, vult intelligi, cum ea a nemine adhuc proferri potuerit, neque proferri etiamnum possit. Vellem equidem Hosium expedire hic nobis

suam eloquentiam, ut verborum Christi istorum nobis proferat nudam ac simplicem iuxta literam ipsam ut sonant interpretationem, quam menti ipsi Scripturae respondere constet. (38)

Articulus 15.

„Omnes cibos edi oportet in Christi recordationem, — ergo et hoc „Sacramentum."

Responsio.

Pergit Alberus suis se oblectare mendaciis, ut longum Articulorum catalogum texere possit. Quorsum vero attinebat in re manifesta ita futiles quaerere argumentationes? Christus ipsemet Dominus Coenam suam in sui recordationem se instituisse testatur: non potest igitur Coena haec peragi, nisi in eius recordationem utcunque tandem aliis cibis vescamur. Ego sane omnes cibos, perinde atque Coenam ipsam, in Christi Domini recordationem ordinatos esse, nunquam me dixisse scio. Agnoscendam quidem esse, dum cibis quibuslibet vescimur, Dei in nobis pascendis beneficentiam, ac proinde cum invocatione et gratiarum actione sumendos esse, quae sane Christi quoque Domini memoriam in se complectitur, — id vere a me ego do-(39)ceri libenter fateor. Sed longe aliud est cibos quosvis, ad corporis alioqui alimoniam ordinatos, sumere cum Christi Domini recordatione, aliud vero, cibum Mysticum, non tam equidem corporis nostri nunc vitaeque hic nostrae pabulum, quam potius ad animarum vitaeque aeternae cibum fide percipiendum institutum esse. Suum ipsius igitur mendacium, non autem meam doctrinam hic oppugnat Alberus.

Articulus 16.

„Fides non est rerum, quae creduntur, sed quae non videntur, unde sequitur, fide nos non debere Sacramenta percipere, sunt enim „visibilia."

Responsio.

Tria splendida mendacia in Articulo hoc continentur. Primum, fidem non esse rerum quae creduntur, alterum non debere fide percipi Sacramenta, tertium Sacramenta esse visibilia. Nescio autem, Alberumne hic an vero Hosium malae fidei accusem. Certe vix adduci possum ut credam, (40) hunc Articulum ab Albero ita formatum esse, cum idipsum sit praecipuum in tota hac controversia no-

stra, quod nos doceamus, fide potissimum nos in Coena communicare corpori et sanguini Christi, hocque esse summum Coenae mysterium, in quo pondus alioqui omne Coenae ipsius consistat, id quod equidem libelli omnes mei palam testantur. Quis vero ita est demens, ut neget, fidem esse earum rerum quae creduntur, cum fidei opus aliud non sit, quam credere? Quis item dicat, Sacramenta visibilia esse, siquidem duabus rebus constant, terrena videlicet et coelesti? Sed aut Albero visae sunt forte arbores etiam ipsae, cum haec scriberet, ambulare, aut Hosius, odio utriusque nostrum excaecatus, Articulum hunc depravavit. Argumentatio porro mea, ex qua Articulus hic est conflatus, sic habet: Fides iuxta Paulum est rerum in spe positarum adhuc ac proinde absentium quoque et inconspicuarum, etiamsi tanquam praesen-(41)tes propter certam fidei persuasionem apprehendantur. In Coenae autem usu fide communicamus corpori et sanguini Christi, quatenus quidem hic a Domino peregrinamur perque fidem cum ipso versamur et non per speciem seu re ipsa, ut Tertullianus exponit. Igitur in Coenae usu fide duntaxat, non autem per speciem aut re ipsa hic praesenti, nedum pani Coenae incluso Christo Domino eiusque corpori et sanguini communicamus. Haec nostra est argumentatio, quae quantum sit aliena ab hoc Articulo, facile quisque videre potest. Quodsi est cordi Hosio propugnare, sive suorum transubstantiationem, sive Albericorum consubstantiationem, diluat nostram hanc argumentationem, qua utrunque id subverti videt.

Articulus 17.

„In Articulis nostrae fidei nihil scriptum extat de Sacramentis, — „ergo Sacramenta non sunt necessaria."

Responsio. (42)

Et hic sane tantum abest, ut istum Articulum pro meo agnoscam, ut me contrarium plane docuisse palam constet. Quo pacto autem dicerem, nihil in fidei Articulis scriptum extare de Sacramentis, cum in Symbolo diserte commendari nobis doceam insigne Ecclesiae elogium, a qua sane notae illius propriae per Christum Dominum additae separari haudquaquam possunt? Doceri quidem a me ego ingenue profiteor, quod in Scripturis nusquam extent fontes ulli, tam Hosianae transubstantiationis, quam Albericae consubstantiationis, nedum ut doctrina illorum pro fidei articulis haberi debeat, — sed interim ostendo etiam, adeo nihil propterea detrahi dignitati atque effi-

caciae Coenae, ut eam ab Hosiana et Alberica profanatione per nostram doctrinam vindicari constet, nisi quod Alberici controversiam de Coenae elementis ad totum Coenae Sacramentum trahere semper conantur, et idem esse contendunt Coenae ele-(43)menta et Coenae Sacramentum, qua de re iam est dictum in quarti et septimi Articuli responsione.

Articulus 18.

„Antiqui scriptores non contendebant de Sacramentis, — cur nos „igitur contendamus?"

Responsio.

Forte Alberus in veterum lectione non ita multum laboravit, atque ita ex seipso alios quoque metitur, ut existimet, quod ipse de veteribus iudicat, aliis quoque persuasum esse. Ita videlicet a me quoque doceri ait, veteres de Sacramentis non contendisse, cum id ego nusquam dixerim, imo cum affirmarem atque etiamnum affirmem, omnes veteres nobiscum facere, tam adversus immensitatem corporis Christi, quam [adversus] nudam illam ut sonant ac simplicem iuxta literam verborum Coenae interpretationem, id quod ipsorum alioqui monumenta apertissime testantur. Sed dixi sem-(44)per et dico, neque in Scripturis, neque apud Veteres haberi quicquam de controversa nunc Christi in pane Coenae delitescentia, nedum ut veteres pro illa contenderint unquam, etiamsi vim ac dignitatem Coenae omniumque adeo Sacramentorum adversus haereticos olim diligentissime et constantissime propugnarunt, ac proinde mihi nunc etiam non probari, quod haec controversia de corporis Christi delitescentia tantopere exaggeretur, sine qua alioqui, quemadmodum apud Veteres inconcussa permansit Coenae dignitas atque efficacia omnis, ita et nunc consistere proculdubio retinerique potest, nisi quod Alberici non facile de eo quicquam remittunt, quod sibi propugnandum semel susceperunt, et Hosius intelligit, siquidem aut transsubstantiatio aut consubstantiatio cadat, hac Helena crepta, universum Ilium, hoc est, Papae sui regnum, una cum Sacerdotio et Sacrificio ipsius corruere omnino (45) oportere. Hinc enim lachrymae eius omnes, quibus de crassiore nescio qua cunei sui parte misere queritatur.

Articulus 19.

„Sacramenta digna non sunt, ut pro eis contendamus."

Responsio.

Neque hoc a me dictum est unquam, sed Alberus sui et hic similis esse pergit, et, quod nos de Coenae duntaxat elementis docemus, id totum ille suo et suorum more ad totum Coenae Sacramentum per calumniam detorquet. Ego porro doceo indignum plane ac indecorum esse, ut, posteaquam de mysterio Sacramentorum inter omnes convenit, pro illorum elementis interim ita sibi quidam contendendum, denique et digladiandum omnino esse putent, ruptis omnibus societatis Christianae legibus, ut Ecclesias scindant, contra institutionem alioqui et naturam adeo ipsam omnium Sacramentorum.

Articulus 20.

„Neque utile neque necessarium est (46) credere, quod sit in Coena „Domini corpus et sanguis Christi. Imo vero non tantum utile aut „necessarium non est, sed est etiam periculosum ita doceri, — et „aequum esse, ut haec doctrina ex omnibus Regnis Christianis pelle„retur."

Responsio.

Toties mihi repetendum est, me adeo nunquam exclusisse a Coenae Sacramento corporis et sanguinis Christi praesentiam, ut eam diserte constituam, modo ne Coenae usus terrenis illius elementis ita alligetur, ut fidei oculos sursum attollere non liceat ad participandum fide coelesti eius mysterio iuxta veterem Ecclesiae cantionem „Sursum corda." Caeterum realem corporis Christi naturalis in ipso pane aut sub pane Coenae, sive localem, sive immensam praesentiam, hanc sane a me negari nihil dissimulo, cum illius fontes neque in Scripturis, neque in priscis alioqui Catholicae Ecclesiae Doctoribus vere usquam commonstratos (47) videamus Multo minus autem dixi unquam, aequum esse, ut doctrina Albericorum ex omnibus Regnis Christianis pelleretur, sed colloquia modesta et Christiana de hac controversia non solum apud Doctos, sed apud viros etiam Principes palam expetivi, semperque optavi adeoque et nunc optarim, ut advocatis utriusque partis Doctoribus tota haec controversia legitimo Ecclesiarum ex verbo Dei iudicio discuteretur. Quid? quod pro fratribus semper et ipse habebam et habendos esse docebam, qui hic a nobis dissentirent, — modo ne ab eis etiam condemnaremur. Id vero erat scilicet, velle, ut doctrina Albericorum ex omnibus Regnis Christianis pelleretur? Sed quoniam Alberici sunt plane hostili in

nos animo (quod eis Dominus ignoscat!), nos quoque ex sua ipsorum animi impotentia aestimant ac metiuntur, cum nihil huius cogitemus.

Articulus 21.

„Christus fatetur ipse, quod caro (48) non prodest quicquam."

Responsio.

Quid hic Alberum offenderit nescio, neque divinare etiam volo. Si quid tamen illum offendit, Joannem Apostolum, non me accuset, qui Christum Dominum huius articuli autorem esse testatur. Miror autem nihil haberi in hoc Articulo amplius, nisi si Hosius studio illum ita detruncavit, ne quid forte ex illo contra seipsum proferret. Nostrum porro non est, de iis quae non vidimus iudicare, multo minus autem ad illa respondere.

Articulus 22.

„Vocat Sacramentum hoc rotundum Deum et igne coctum Deum."

Responsio.

Et hoc perinde verum est atque reliqua quae praecesserunt fere omnia, hoc est, vanissimum prorsus. Sacramentum Coenae ego voco, non sane panem ipsum per se aut vinum Coenae, sed mysticam Coenae, ut a (49) Christo est instituta, una cum suo Mysterio actionem. Si igitur ipsum Coenae Sacramentum rotundum Deum voco, equidem ipsam Coenae actionem rotundum a me Deum vocari oporteret, id vero a me neque est dictum neque cogitatum unquam. Aut igitur locus proferatur, ubi ad hunc modum sum loquutus, — aut malitiosam uterque hic suam agnoscat calumniam, et Alberus simul, et Hosius, alter quidem in formato hisce verbis, alter vero in excerpto ac demum huc odio mei nominis transmisso hoc Articulo, quem in scriptis meis nusquam alioqui legerunt. Nos certe multo honorificentius de Sacramentis et sentimus et loquimur, quam faciant, vel Alberici, vel Hosiani. Nimirum eam illis dignitatem atque efficaciam tribuimus, quae est, non sane ex hominibus ullis ullove prorsus humano opere, sed quae est ex ipso vero atque aeterno Deo Divinaque eius institutione. Isti vero omnem Coenae dignitatem atque effica-(50)ciam constituunt in nescio qua elementorum Coenae per Ministrum consecratione, quae quidem constet operativa quadam

verborum Coenae solemnium, ut vocant, recitatione, atque ita demum consecratum eo modo panem ipsum Coenae Sacramentum esse putant, et quicquid de pane ipso Coenae dici a nobis audiunt, id totum nos de ipso Coenae Sacramento dicere arbitrantur, cum nos Coenae elementa a Coenae Sacramento ita discernamus semper, ut, etsi millies sint per Ministrum consecrata, in nulla tamen Sacramenti parte ea censeamus, priusquam institutae per Christum Dominum actioni Mysticae adhibeantur. In ipsa autem actione, tam elementa ipsa, quam externam totam illam Coenae observationem sanctificari vimque ac dignitatem Sacramenti obtinere docemus, propter adiunctum illi coeleste mysterium, nempe corporis et sanguinis Christi communionem, qua quidem in Coenae usu vere fruimur per fidem ex (51) Christi Domini institutione. Hic vero iam habet Hosius summam doctrinae meae de Coena ex mea ipsius confessione, et sentire potest, si quid modo sensus habet, non obscure hic impeti suum et Sacerdotium simul et Sacrificium, pro quo misere sollicitus esse videtur. Propugnandum igitur sibi hic suscipiat, meamque doctrinam, si libet, non ex adversariorum calumniis, quod sane non est hominis ingenui, sed ex mea ipsius confessione, petitis alioqui ad eam claris ac consentientibus Scripturae testimoniis et rationibus, oppugnet. Nos enim unanimem totius Scripturae Canonicae mentem, cui Ecclesiam quoque inniti oporteat, verum illud atque aeternum Dei verbum esse non dubitamus, quam interim peculiari dono Spiritus Sancti revelari, quibus ille vult et pro eo ac vult, cum Paulo Apostolo profitemur.

Articulus vigesimus tertius qui et ultimus. (52)

„Cum Sanctus Paulus docet: Panis, quem frangimus, nonne par„ticipatio corporis Christi est?, debemus verba haec „Participatio „corporis Domini" accipere pro „Catholica Ecclesia.""

Responsio.

Quae a mendaciis initium suum habuerunt, non potuerunt etiam nisi in mendacia desinere. Est autem duplex in hoc articulo mendacium. Alterum, dum Panem Coenae hoc Pauli loco vocari ait participationem corporis Christi, — alterum vero dum eam ipsam participationem a me accipi dicit pro Catholica Ecclesia. Tantum enim abest, ut unquam docuerim vel coenonian eo Paulo loco pro participatione vel participationem pro Catholica Ecclesia debere intelligi, ut ipsam participationis vocem in vulgata versione palam ex Chrysostomo reprehenderim, qui amplius aut plenius quiddam esse do-

cet coenonian, quam participationem. Quin (53) et hoc addo, Pauli ipsiusmet verba et argumentationem non permittere ut coenoniam eo quidem loco, sive pro distributione, ut quidam volunt, sive etiam pro participatione accipiamus, sed pro societate adeoque et unitate quadam nostra cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius, quam a Chrysostomo synapheian, ab aliis vero metousian et synousian vocari videmus iuxta illud," Unus panis, unum corpus sumus etc. Quo pacto igitur ego sociale ius nostrum illud ipsamque adeo unitatem nostram cum Christo in corpore et sanguine ipsius Ecclesiam vocarem, etiamsi ad illam ius hoc sociale ipsamque cum Christo unitatem proprie pertinere scio, nisi si nihil sit omnino discriminis inter id, quod nos ipsi sumus, et quod ad nos dicimus quoquomodo pertinere? Sed et hic intendi nobis ab Albero calumniam oportebat, ut et in ipso Articulorum istorum initio et rursum in fine etiam sui se (54) perpetuo similem esse declaret, quamquam nondum video quid in me hic vel ab Albero vel ab Hosio reprehendi merito posset, etiamsi participationem pro Ecclesia accipi voluissem, cum hanc interpretationem apud Cyprianum, Sanctum Dei Martyrem, ac nonnullos praeterea Veteres, et nunc rursum apud insignes pietate atque eruditione plerosque Ecclesiae Christi doctores extare, neque unquam reprehensam merito esse constet.

HABES ecce iam, Illustris ac Magnifice Domine! et Articulos ipsos ab Hosio huc in fraudem mei nominis transmissos, et meam ad illos responsionem, qualem alioqui mihi nunc, melioribus praesertim occupato, et temporis inopia et ipsa etiam valetudo permisit. Et puto illam sufficere ad cognoscendam et Alberi calumniatricem maledicentiam et Pharisaicae Hosii malitiae odium, qui talibus calumniis conatus sit nomen hic meum denigrare. (55) Adiectae sunt autem hisce praeterea Articulis duodecim quaedam opiniones — ita enim vocantur — de Eucharistiae Sacramento et nonnullae item aliae de Verbi ministerio et Baptismo, sed indignae prorsus, quibus a me respondeatur, nedum ut destinatas rebus melioribus bonas horas male perdere velim. Primum enim quae a me de verborum Coenae interpretatione per aliarum Sacramentalium loqutionum collationem dicta sunt, ea illic omnia ad ipsum Coenae Sacramentum calumniose detorquentur. Deinde addita sunt multa, quae neque ex me sunt unquam audita, neque in scriptis meis usquam habentur. Postremo quae ego de aliis Sacramentis, non quidem iisdem semper verbis, sed uno nihilominus atque eodem sensu dicta in Scripturis esse ostendo, per donorum Spiritus Sancti opulentiam, ea ita depravantur, ut una

quaeque loquutio peculiaris nescio quae opinio vocetur. Haec nimirum ita in Albero operatus (56) spiritus ille, qui a calumnia nomen habet. Porro ego expertus iam didici (sit Deo gratia!) has esse eiusdem ipsius spiritus artes, ut ea nobis perpetuo obtrudat, quibus progressus nostros in restituenda vera religione remorentur quoquomodo atque impediant. Quare conatus hosce ipsius plane contemnam, neque in eius obsequium ullam temporis iacturam deinceps faciam scribendis ad tam putidas calumnias responsionibus ullis. Habeant sibi calumniarum plaustra, qui illis sese oblectare volunt. Pios vel sola libellorum nostrorum lectio facile ab eis liberabit. Satis erit gustum nunc dedisse Pharisaicae Hosii malitiae, ut, quam tibi dudum alioqui cognitam esse puto, eam nihilominus adhuc et tibi et piis sub tuo nomine omnibus magis ac magis conspicuam facerem, ne sua hypocrisi simplicioribus imponat. Finem igitur faciam meae ad Articulos praedictos responsionis, praesertim cum ex libellis nostris, quae ad com-(57)probandam nostram innocentiam ullo modo pertinent reliqua omnia facile peti possint.

Venio iam ad eum Hosii ipsius libellum, quem de oppresso (per se) verius, quam de expresso Dei verbo emisit, in quo me alioqui etiam more suo mendaciter ac maliciose perstringit. Neque vero prosequar singula, quae in eo libro habentur, sed praecipuas duntaxat doctrinae suae rationes obiter attingam, et, quorum me etiam falso accusat, ea a me paucis depellam. Quod igitur ad publicam religionis causam imprimis attinet, in hoc potissimum cardine controversia tota verti videtur, quod Scripturas, quas nostri ad oppugnandum Papismum adferunt et pro indubitato Dei verbo habent, ille contendit non esse verbum Dei, sed Diaboli potius. Ita enim loquitur homo verecundus, ut nobis exemplo suae modestiae praeluceat scilicet maledicen-(58)tiaeque nos prae se accuset. Huius autem suae assertionis eas potissimum rationes adfert.

Prima.

Quod Scriptura in se ipsa non sit verum illud atque expressum Dei verbum, cui nos obedire oporteat, nisi iuxta sensum et consensum Catholicae Ecclesiae exponatur.

Secunda.

Quod, cum sensus et consensus duntaxat Ecclesiae sit verum atque expressum Verbum Dei, tum sane non possit etiam Verbum Dei ipsum nisi intra Ecclesiam haberi.

Tertia.

Quod Hosius ipse cum suis, imprimis autem cum suo creatore Papa, sint ea ipsa Ecclesia, cuius sensus ac consensus sit vere oppressum — expressum dicere debebam — verbum Dei.

Quarta.

Quod veri Ecclesiae Doctores invehantur in peccata populi, Prophetarum et Apostolorum exemplo, et ad-(59)dant Divinae in illa severitatis comminationes. Id vero a suis fieri, a nostris vero negligi affirmat, ac proinde apud nostros (ut falsos Doctores scilicet) non haberi verum et expressum Dei verbum.

Quinta.

Quod omnis verbi Divini doctrina in uno hoc potissimum verbo consistat „dilige", a quo cum nos ipso iudice quam longissime absimus, tam longe nos etiam a vero atque expresso Dei verbo abesse, etiamsi Scripturas habeamus, quam longe absumus nostris invicem dissidiis a mutua invicem dilectione.

Sexta.

Quod cum nostri et ab Ecclesia separati sint scilicet et inter seipsi discordes, quisque illorum nihilominus suam doctrinam expressum Dei verbum contendat, atque ita demum se in doctrina quisque sua, velut idolum quoddam, quodammodo adorari velit, — fieri sane non possit, ut ulla omnino in-(60)ter suos et nostros conciliatio sine gravissima idololatriae culpa iniri queat.

Septima.

Quod nostra doctrina, quam etiam ex Scripturis ipsis petimus, non alio loco sit habenda, quam quo loco Satanae Christum Dominum tentantis verba illa habentur „Mitte te deorsum."

Haec sunt praecipua, in quibus omne totius libelli pondus consistere videtur, quibus sublatis, reliqua per se omnia suapte sponte collabentur, adeoque et in caput ipsius recident omnia, quae in nos ex Scripturis impudenter contorquet. Quanquam autem quae de Scripturis et Ecclesiae autoritate sensuque et consensu illius adfert,

ita sint iam a multis nostrorum refutata, ut nullam amplius responsionem mereantur: nostros autem voco, quicunque iam, non equidem a Catholicae Ecclesiae unitate, quemadmodum mentitur Hosius, sed a Papi-(61)stica apostasia atque abominatione per Dei gratiam secessionem fecimus eamque unanimiter aversamur ac detestamur, etiamsi in quibusdam inter nos ipsi nondum plane consentiamus, — tamen et hic dicemus obiter, quae huc pertinere videntur. Ad primam igitur Hosii rationem breviter ita respondemus.

Ad primam.

Diximus iam in Articuli vigesimi secundi responsione verum aeternum atque expressum Dei verbum positum esse in sensu ac consensu unanimi, non tam equidem Ecclesiae, quam potius Scripturae ipsius, quam ut Divinitus inspiratam esse constet, ita Divina etiam virtute suffultam non requirere ullam ullorum hominum, quibus ipsa alioqui etiam Ecclesia constat, approbationem. Alioqui non tam Ecclesiam a verbo Dei adeoque et Deo ipso, quam potius et verbum Dei simul et Deum ipsum ab Ecclesiae autoritate testimonio atque approbatione (62) pendere oporteret. Cum tamen Christus Dominus in verbi doctrinaeque suae approbatione ab hominibus nullum se testimonium ne accipere quidem, nedum requirere profiteatur, atque alibi rursum oves suas, hoc est, Ecclesiam ipsam, ex vocis suae seu verbi sui obedientia vult agnosci, et eos duntaxat pro fratribus atque amicis suis habendos esse docet, qui in sermonis doctrinaeque ac verbi sui observatione atque obedientia perdurant, — ut perspicuum sit, non equidem Christum Dominum verbumque illius ab ullo sensu ac consensu Ecclesiae, sed ipsam potius Ecclesiam a verbi Divini, Scripturis nobis proditi, sensu consensu atque obedientia dependere, — ac proinde Hosium libello hoc suo prodere, suam ipsius et suorum omnium antichristianam plane impietatem, dum sub ementito Ecclesiae titulo, Christum Dominum sibi, non autem se Christo Domino in verbi sui Divini doctrina subiicere conatur. Possemus autem multa hic profer-(63)re et ex scripturis ipsis ad doctrinae nostrae confirmationem et ex Patribus, quorum alioqui Hosius videri quidem vult esse studiosissimus, cum interim eorum testimoniis, perinde atque Scripturarum autoritate, impudentissime abutatur. Caeterum, posteaquam id est iam per alios factum locupletissime, nos actum agere nolumus, quod aiunt. Omissa itaque doctrinae hic nostrae plus satis dudum approbatae confirmatione, ad excutiendam primam hanc Hosii rationem descendemus. Quanquam autem constat, eam in sensu Hosiano subsistere haudquaquam posse, tamen ut res tota dilucidior fiat, quaedam ab Hosio sciscitabimur. Primum, dum de Catholica seu universali

Ecclesia loquitur, quidnam intelligat sub Catholicae seu universalis Ecclesiae nomine. Deinde, quaenam in ea ipsa Ecclesia vocationum discrimina et quosnam illarum gradus constituat — inde enim apparebit, quantum ponderis sint habiturae ipsius ratiocinationes. Quodque (64) ad Catholicae primum seu universalis Ecclesiae nomen attinet, aut sane Hosio Catholica Dei Ecclesia universum populi Dei corpus cum omnibus membris illius ab initio usque ad finem mundi complectitur, aut non complectitur. Sistatque hic paulisper gradum Hosius neque hinc se, nisi fracta, quod dicitur, nuce proripiat. — Etenim si ea est illi duntaxat Catholica Ecclesia, quae universum plane populi Dei corpus, ut dictum est, complectitur, tum sane ab illa neque Patriarchae, neque Prophetae, neque ipsemet adeo Christus Dominus eiusque Apostoli excludi ullo modo possunt, multo minus autem sensus ac consensus illorum a sensu et consensu Ecclesiae Catholicae separari omnino potest. Si autem aliam nescio quam Catholicam Ecclesiam somniat Hosius, eam nobis commonstret, et doceat Catholicam revera esse, etiamsi ab illa caput ipsum humerique ac manus illius abscindantur. Nos enim nullam aliam Catholicam agnoscimus Dei Ec-(65)clesiam, nisi quae universum a principio usque ad finem Dei populum cum omnibus membris ipsius complectitur. Hinc igitur se primum expediat Hosius, ut diserte nobis cum sensu et consensu suae Ecclesiae, aut assentiatur, aut reclamet. Alterum est quod ab illo etiam sciscitari velimus, an non etiam in ea ipsa Catholica Ecclesia — ad utrumlibet modum eam accipiat — in publico praesertim verbi ac doctrinae ministerio certa quaedam discrimina certosque gradus constituat, et quidem eos, quos nobis scripturis proditos habemus, nempe alios esse, quorum doctrinam Deus ipse pro Ecclesiae suae fundamento haberi velit, alios vero, qui nonnisi huic ipsi fundamento iam posito sua omnia superstruere debeant. Et hic igitur se explicet Hosius. Etenim si duos hosce gradus in publico verbi ac doctrinae in Ecclesia ministerio agnoscit, gladium, quem in nos vibrare conatus est, iam nobis ipsemet porrigit, quo illum conficiamus. Sin minus, (66) non equidem iam nobiscum res erit illi, sed cum Prophetis, Apostolis adeoque et cum ipsomet Christo Domino, quemadmodum mox dicetur. Deligat Hosius igitur, nobiscumne consentire plane velit, tam in Catholicae Ecclesiae voce, quam in dictis eius ministerii gradibus, an vero, infulae suae confisus, cum Prophetis, Apostolis et ipso denique Christo Domino in certamen descendere. Atque Hosius quidem quidvis potius facturus esse videtur, quam ut nobiscum ulla in re consentiat. Metuit sibi ab idololatria scilicet, in quo interim quantus est demersus iacet. Nobis autem maior est Prophetarum atque Apostolorum autoritas, in summo

alioqui lapide illo angulari Christo Domino obfirmata, cui primarium, hoc est, fundamenti locum in Catholica ipsius Ecclesia libenter tribuimus, quam coniurati sensus ac consensus, quem tantopere urget Hosius, centies mille suarum Ecclesiarum. Malumus Propheticam de Apostolis testimonium sequi, (67) qui pro Patribus filios nobis natos (Apostolos inquam) atque per universum orbem terrarum salutaris Doctrinae principes constitutos esse docent, ut omnis alioqui sensus ac consensus Ecclesiae ab autoritate doctrinae Apostolicae, quam Scriptis suis potissimum ad nos transmiserunt, non autem doctrina Apostolica a sensu ac consensu ullius etiam, nedum Hosianae nescio cuius Ecclesiae, dependeat omnino. Malumus item Apostolicum de prophetis vicissim audire testimonium, quo nobis Prophetica oracula ita commendantur, ut ea non equidem humana ulla persuasione industria ac voluntate, sed ipsomet Spiritu Sancto auctore adflata nobisque ita demum tradita esse constet, ut intelligamus illorum veritatem, non sane ab hominibus ullove sensu ac consensu ipsorum, sed ab ipso eorum autore, omnis alioqui veritatis Doctore, petendam et expectandam esse, sine cuius alioqui dono nemo vere potest dicere „Dominum (68) Iesum", etiamsi sensum ac consensum omnium Hosianarum Ecclesiarum praetendat. Ac rursum nemo per Spiritum doctus potest dicere „Anathema Iesum", etiamsi illi sensus ac consensus omnium Hosii Ecclesiarum modis omnibus reclamet. Praeterea credere malumus Paulo Apostolo, quam Apostatae Hosio, non tam equidem caput a corpore, quam potius a capite corpus totum pendere, cum alioqui non corpus capiti, sed caput corpori iuxta mensuram unius cuiusque partis seu membri incrementum praebeat ad eius aedificationem, cum in vita, tum vero multo maxime in salutari doctrina ipsius. Postremo cum Christus ipsemet Dominus pro iis duntaxat precetur, qui, non sane per sensum ac consensum ullius omnino, ne dicam Hosianae, Ecclesiae, sed per doctrinam Apostolorum in ipsum aliquando credituri essent, mirum videri Hosio non debet, si nos ipsam Apostolorum doctrinam, ut ad nos Christi illa Domi-(69)ni precatio pertineat, omni sensui ac consensui omnium etiam Hosii Ecclesiarum modis omnibus anteponendam esse statuamus, ut interim taceam, quod olim iudicem omnis nostrae vitae ac fidei habituri sumus, non equidem sensum ac consensum Hosianicae Ecclesiae, sed ipsum sermonem ac doctrinam Christi, quam nobis per Apostolos se ipsemet tradidisse testatur. Ut igitur ad primam Hosii ratiocinationem respondeamus, fatemur, sensum ac consensum Catholicae Christi Ecclesiae nobis sequendum modis omnibus esse, quandoquidem illa perpetuo et Christum Dominum pro suo unico summo atque aeterno capite et se pro Mystico ipsius corpore, Pro-

pheticam item atque Apostolicam doctrinam pro suo fundamento, cui ipsa perpetuo inniti debeat, reverenter agnoscit sequiturque vocem Pastoris sui, non autem illi sensu ac consensu suo praecurrit. Negamus ergo, sensum ac consensum ullius omnino Ecclesiae, nedum (70) eius, quam Hosius propugnat, pro vero legitimo atque aeterno Dei verbo habendum esse, si non vocem Pastoris sui sequatur, non item a capite suo tota dependeat, et Propheticae atque Apostolicae doctrinae non omni ex parte nitatur. Imo vero, ubi id non observetur, larvam sane pestilentem Catholicae Ecclesiae et furum ac latronum speluncam nocentissimam esse, Christi ipsius Domini voce affirmamus. Tantum abest, ut, quam Hosius obtendit, pro Catholica Christi Ecclesia ipsumque adeo Hosium pro membro illius ullo modo habeamus, multo minus autem ut coniuratum Hosianae Ecclesiae sensum ac consensum unanimi scripturae totius menti anteponi patiamur.

Ad secundam simul ac tertiam

ita respondemus, quod, eversa prima Hosii ratiocinatione, utranque hanc etiam corruere oportet. Catholica nimirum Ecclesia suam erga caput suum subiectionem, suam (71) erga Pastorem suum obedientiam, suum in Prophetica atque Apostolica doctrina fundamentum prorsus immutabile perpetuo agnoscit, inque omnem sensum ac consensum suum censuram Christo Domino reverenter submittit in doctrina ac verbo ipsius. Quod posteaquam Hosius in sua creatorisque sui Papae Romani Ecclesia facere detrectat, reipsa declarat, suam et Papae sui Ecclesiam esse sine controversia Apostaticam plane a Catholica, ac proinde Antichristianam quoque Ecclesiam, cuius alioqui sensus ac consensus aliud nihil sit, quam coniurata adversus Christum Dominum et Catholicam eius Ecclesiam furum ac latronum conspiratio, nedum ut in ulla parte Catholicae Christi Ecclesiae universa Hosii et Papae sui Ecclesia censeri sensusque ac consensus illius pro expresso Dei verbo haberi quoquomodo, aut debeat, aut etiam possit. Tantum abest, ut in hac Hosii et Papae sui Ecclesia doctrina verbi Divini locum habere (72) ullum, nedum ut eius veritas ab illius sensu ac consensu nefario peti expectarique queat. Videt igitur Hosius, aut si is videns videri nolit, vident interim pii omnes, eversa prima sua ratiocinatione, simul quoque et secundam et tertiam subsistere haudquaquam posse, cum aliud nihil sint, quam prioris veluti appendices quaedam.

Ad quartam.

Dum dicit, verae vocationis in verbi ministerio hanc esse notam

certissimam, ut exemplo Prophetarum atque Apostolorum in populi vitia graviter invehantur atque subinde ob oculos omnium ponant divinae adversas peccata severitatis comminationes, — non reclamamus. Sed dum a suis id potissimum fieri dicit, a nostris non item, more suo cornicari illum affirmamus. Utri enim magis laxant frena obsecro sceleribus ac flagitiis omnibus, nosne, qui unicum duntaxat levissimi etiam cuiusvis peccati nostri (73) remedium constituimus, et quidem non in hominis ullius operisve nostri qualiscunque merito dignitate aut satisfactione, sed in solo duntaxat mortis Christi filii Dei vivi merito et satisfactione, quae interim iudicii Divini adversus peccatum severitati opponi non potest, in adultis praesertim, nisi vera & viva minimeque hypocritica fide apprehendatur, — an vero Hosius cum suis, qui nullum non flagitii genus bullis et ampullis Papae, meritisque non congruis modo, sed etiam condignis (sic enim loquuntur) et tam propitiatoriis, quam etiam superogatoriis satisfactionibus expiari redimi atque aboleri docent. Quid vero hic dicam non de vivorum modo, sed mortuorum quoque donationibus? quid iterum, non de praeteritorum inter vivos tantum, sed et futurorum criminum indulgentia? quae sane omnia Hosius adeo negare non potest, ut plena istorum haberi passim in libris suorum fateri cogatur, et facile vel digito, quod (74) aiunt, etiamsi ipse neget, passim commonstrari possunt. Et tamen nos (si Deo placet!) peccatis hominum indulgemus, illis blandimur, illis pulvillas substernimus Hosio iudice, qui, solo Christi Domini merito excluso, omnia esse exitialia omnino clamamus, qui iterum destinatum ac rebellem illius contemptum, non tantum plagis externis multo gravissimis, sed aeterna etiam animae excaecatione atque impoenitentia puniri iusto Dei iudicio docemus. Hosius vero et sui acerbissime in peccata invehuntur scilicet, qui nullum usque adeo grave atque enorme flagitium committi patrarique posse arbitrantur, cui creator ipsorum Papa, non protinus, ut nummus aureus tinniat, mille remedia e pectoris sui scrinio proferre possit. Nos porro hanc talem peccatorum reprehensionem neque apud Prophetas neque apud Apostolos usquam legimus, et proinde illam apud Hosium ac suos nihil moramur, satisque est nobis, cum ad solandos pios, tum ad ter-(75)rendos impios atque item ad agnoscendum mundi huius circa Divina ingenium, Simeonis illud apud Lucam de Christo Domino ad Virginem matrem vaticinium, quo illum Simeon in multorum partim resurrectionem, partim interitum et in signum perpetuo alioqui hic antilegomenon positum esse testatur. Et, quemadmodum nullos olim graviores atrocioresque adversarios Christum Dominum habuisse legimus, quam Principes Sacerdotum, Scribas et Pharisaeos, ita nihil mirum est et nunc eos

esse summos atque implacabiles propemodum hostes atque adversarios Christi, qui pro Sacerdotum nescio quorum Principibus Scribisque ac Pharisaeis haberi volunt, per quos sane, si unquam alias, nunc proculdubio multo gravissime accusari, affligi ac denuo crucifigi in doctrina vivisque membris ipsius palam videmus, etiamsi Hosius camino huic oleum oppressi hoc verbi Divini libello non addidisset, ad cuius sycophanticam quartam argu-(76)mentationem hoc ita paucis responsum esto.

Ad quintam.

Multo libentissime fatemur cum Paulo, finem legis esse dilectionem, sed hanc doctrinam Apostolicam, aut non intelligi ab Hosio, aut, quod multo est gravius, malitiose depràvari dicimus. Aut enim ostendat Hosius, sola lege omnem Verbi Divini doctrinam ita circumscribi, ut extra illius praecepta nulla usquam extet verbi Divini doctrina — tum demum enim valeret haec ipsius argumentatio, ut unum etque eundem scopum et legis et verbi Divini esse oporteret — aut si id se ostendere non posse videt, culpa se hio vel inscitiae vel malitiae liberet, aut illam ingenue agnoscat. Atque inscitiam forte sua hac Episcopali scilicet amplitudine atque existimatione indignam esse putabit, praesertim cum Papismi hic totius Atlas videri nunc velit. Pharisaicam igitur maliciam agnoscat reverendus pater, nisi doceat, (77) omnem verbi Divini doctrinam ed sola legis praecepta ita alligatam esse, ut latius patere non possit. At vero Paulus Apostolus multis ostendit, verbi Divini doctrinam de salute ac iustitia nostra in Christo Domino latius multo patere, quam ut intra legis praecepta constringi ullo modo debeat, dum promissiones salutis ac iustitiae nostrae non tantum extra legem constituit, sed etiam legi ipsi opponit. Paulum hic Apostolum igitur haereseos convincat Hosius, aut in sua malitia, nisi velit resipiscere, contempletur. Deinde, si Hosii argumentatio procedere debeat, ut omnem Verbi Divini doctrinam legis duntaxat praecepto anacephalaioumeno de dilectione includamus, eo quod Paulus finem ac scopum totius in dilectione constituit, cur et nobis vicissim adversus Hosii theologiam argumentari non liceat, ut ostendamus non tam equidem in nostra invicem dilectione, quam potius in donato nobis gratuito a Patre Deo Christo Domi-(78)no positam esse omnem verbi Divini doctrinam salutarem, siquidem idem ipse Paulus Christum Dominum perinde atque nostram inter nos dilectionem, ne dicam evidentius multo legis totius finem ac scopum esse docet, atque alibi rursus, ad Ioannis Baptistae testimonium de Christo Domino alludens, negat,

ab ullo homine unquam Deum ant esse visum aut videri etiam posse, nedum ut nos ulla nostri invicem dilectione, ut eum videamus, efficere possimus, sed ex plenitudine Christi Domini nobis a Patre donati petere nos atque expectare oportet, quicquid omnino in verbi Divini doctrina vere scire aut docere postulamus. Quo pacto igitur omnem verbi Divini doctrinam in unico hoc verbo „dilige" positam esse, dicit Hosius, cum ne dilectionem quidem ipsam inter nos mutuam nosse etiam vere, nedum habere possimus, nisi patefacta nobis prius, ex Christi nobis gratuito donati plenitudine, verbi Divini doctrina de ipsa (79) dilectione? Iam et hoc scire ex Hosio velim, num fidem etiam legi Divinae includat, dum Deos nobis alienos coram facie Domini habere, dum nullum illius simulachrum, sive in coelo superne, sive hic in terra sub coelo, sive sub terra in aquis, facere et colere verbis expressis prohibemur. Si negat, Christo hic Domino, non mihi respondeat, qui ut ipsam legis totius anacephalocosin ex Mose recitatam probat, ita eiusdem ipsius Mosis explicationem Satanae se tentanti opponit. Dominum, inquit, tuum adorabitis et illum solum coles. Aut igitur neget Hosius fide imprimis coli Deum, ut fidem legis totius praedicto compendio illo excludat, aut fateatur, fidem in illo, aeque atque dilectionem, ne dicam magis multo requiri, quatenus sane idem ipse Paulus, qui charitatem fidei alibi certa quadam ratione anteponit — quam et nos libenter amplectimur — id quod non ex fide esset, peccatum esse, ac proinde Deo placere non posse pronunciat, quic-(80)quid illud omnino esset. Et Christus ipsemet Dominus, etsi multis elogiis dilectionem ornet passim atque etiam inculcet, non tamen ita illi salutem nostram alligat, quemadmodum fidei facit. Qui credit, inquit, habet vitam aeternam, ac vicissim, Qui non crediderit condemnabitur. Videmus igitur vanam esse, quod urget Hosius, omnem verbi Divini doctrinam in unico verbo „dilige" positam esse. Nos porro docemus, omnem verbi Divini doctrinam consistere, primum in efficaci per Spiritum Sanctum de bona Dei erga nos in donato nobis Christo Domino voluntate et complacentia testificatione, quo sane nomine Euangelium cum Paulo virtutem ac potentiam Dei salutarem esse profitemur, — deinde in doctrina de fide, quam Deus a nobis ad attestandam nostram erga se gratitudinem, requirit, ne inter obstinatos ac rebelles ipsius contemptores numeremur, quo quidem etiam universum verbi (81) et Sacramentorum ministerium spectare imprimis docemus, — postremo in doctrina de officiis omnium ac singulorum membrorum in Ecclesia iuxta mensuram fidei cuiusque et vocationem, quo equidem potissimum loco mutuam inter nos dilectionem reponimus, ut sit verae nostrae fidei, tam intra nos ipsos, quam extime etiam

apud alios, et in Ecclesia et extra Ecclesiam, index conspicuus et testis. Haec nos ita, inquam, de dilectione mutua inter nos hic docemus. Sed ut donemus Hosio, omnem verbi Divini doctrinam ex unico hoc verbo „dilige" aestimandam esse, an non hoc unico verbo etiam comprehenditur ea dilectio, qua Dominum Deum nostrum pro tot tantisque donis ac beneficiis ipsius in toto corde, in tota anima ac mente nostra diligere iubemur? Si non comprehenditur, reprehendat hic Christum Dominum ac Mosen Hosius, quod proximi dilectioni Dei dilectionem anteponant. Si vero comprehenditur, (82) an non rursum ex Dei dilectione potius proximi dilectionem, quam Dei dilectionem e proximi dilectione aestimabimus, ut nos, non tam equidem Deum propter proximum, quam proximum propter Deum potius diligendum, nec tanti nobis proximi, quanti Dei dilectionem faciendam esse intelligamus? Hic si reclamat Hosius per nos id illi licebit, cum aliud non possimus, ut suam ipse insaniam prodat. Sin minus, tum sane negare non potest, hactenus nobis proximi dilectionem observandam esse, quatenus id nobis Divinae gloriae dignitas ac dilectio Dei permittit, ut, si proximi dilectio aliquid in fraudem dilectionis Dei postulare quoquomodo videatur, magis multo nos ad Dei gloriam ac dignitatem nominis Divini retinendam, quam ad proximi commodum atque obsequium attentos esse oporteat. Quodsi Hosius non esse veram dilectionem putat, quae Dei gloriae dignitati ac dilectioni non plane omni ex parte (83) respondeat, assentimur multo libentissime, qui iam olim istiusmodi consociationes in nulla alioqui parte verae dilectionis ponimus, sed pro coniurata adversus Christum Dominum furum ac latronum conspiratione indubitato habemus. Hic iam igitur ostendat Hosius, quod plenis buccis iactat, nempe, a se et suis veram observari dilectionem ac proinde apud se quoque et suos, omnem verbi Divini doctrinam veram ipsumque adeo expressum Dei verbum petendum atque expectandum esse, — contra vero, nos ab ea vera dilectione abesse quam longissime ac proinde nos nullum Dei verbum vere habere. At vero Hosio, pro Episcopali scilicet sua dignitate, satis est pronunciasse, sive vera, sive falsa pronunciet, quae praesertim de se suisque asseverat. Nostrum erit igitur ostendere, neque nostros a vera ac Christiana dilectione ita esse alienos, ut Hosius fingit, etiamsi nos hic homines esse fateamur, et apud Hosium ac su-(84)os ne vestigium quidem rectae verae ac Christianae dilectionis, ac proinde iuxta ipsiusmet Hosii ratiocinationem, non esse apud ipsum et suos omnes locum ullum vero atque expresso verbo Dei, etiamsi quid bleso ore suo e scripturis balbutiat, sed potius esse os, vocem ac verbum Diaboli, quod per ipsum et suos omnes ex detortis depravatisque

Scripturae locis docetur et sonat. Ut ergo id omnibus conspicuum fiat, etsi multa hic dici possent, tamen, ut rem in pauca contrahamus, abunde satis fore putamus hac in parte, si, quae Hosius potissimum obstare docet, quominus dilectio Christiana inter nostros retineri omnino possit, ea ipsa apud Hosium ipsummet et suos familiarissima esse adeoque et regnare apud ipsos, a nobis vero ac nostris quam longissime aliena esse doceamus. Duo autem constituit Hosius ipsemet, quae a nostris propulerint scilicet veram dilectionem, neque ei locum apud nos ullum permittant: secessio-(85)nem ab Ecclesia et mutua inter nos dissidia, etiam quod ad doctrinam ipsam attinet. Iam si constet, non equidem nos ac nostros, sed ipsummet Hosium, una cum suo creatore Papa et universo ipsius grege a Catholica Christi Domini Ecclesia se subduxisse novamque sibi, Christo Domino adversariam, Ecclesiam instituisse, — si iterum constet, Papisticos Doctores omnes, non equidem ideo tantopere inter sese non dissidere, quantopere nos illis dissidere inter nos invicem videmur, quod eis inter ipsos de vera religione doctrinaque salutari Euangelii Christi melius, quam nobis inter nos conveniat, sed quod, abiecta omni cura ac custodia gloriae Dei cultusque veri et salutaris doctrinae in Ecclesia, animum totum ad erigendum stabiliendumque ac demum etiam propugnandum Regnum suum, laxatis omnibus idololatriae ac blasphemiarum frenis, adiecerunt, — an non ipsiusmet Hosii argumentatio in ipsum suosque omnes sua-(86)pte sponte recidet, nempe nullum omnino locum esse reliquum inter ipsos verae dilectioni ac proinde ne verae quidem verbi Divini doctrinae, quatenus sane eos et a Catholica atque Apostolica Christi Ecclesia perfide descivisse et coniuratam edversus Christum eiusque doctrinem conspirationem inter sese alere constat? tametsi in ea quoque tali istorum conspiratione plena dissensionum odiique plane implacabilis ac rixarum ubique omnia esse, qui oculos modo habent, videre proculdubio possint? nos vero et nostros omnes eadem ipsa Hosii argumentatio omni eorum culpa liberabit, quorum ab illo falso ac malitiose accusamur? Quodque ad defectionem primum a Catholica Christi Ecclesia attinet, diximus in primae Hosianae argumentationis responsione, Catholicam Ecclesiam non esse aliam, quam quae universum Mysticum filii Dei corpus cum omnibus ubique membris ipsius ab initio ad finem usque orbis intra se complecta-(87)tur, atque in ea ipsa Ecclesia certos esse vocationum gradus, quod ad publicum imprimis ministerium attinet; nempe alios datos esse, qui eiusdem ipsius Ecclesiae fundamentum in doctrina sana cultuque vero iuxta capitis summi sui proportionem collocarent, — alios autem, qui posito semel fundamento suam superstruerent, non autem fines fundamenti illius excederent

quoquomodo illudve aut restringerent aut etiam laxarent, nedum ut illud vel movere suo loco vel minima etiam ex parte mutare omnino possent. In eam porro Ecclesiam cum nos pro nostra infirmitate omnes, deserta Antichristiana Papae Romani totiusque rasi et uncti ipsius satellitii apostasia, Dei beneficio includamur eiusque aeternam henadem sub unico etiam eodemque aeterno capite nostro Christo Domino unanimiter omnes profiteamur, et in ea ipsa henade omnem nos subiectionem et obedientiam unico illi atque aeterno capiti nostro Christo Domino in tradita (88) nobis per Prophetas et Apostolos doctrina ipsius debere modis omnibus agnoscamus, denique cum extra eam ipsam Propheticam atque Apostolicam doctrinam nihil nobis credi ac ne audiri nos quidem velimus, — Hosius vero et sui, disrupta aeterna illa sub unico duntaxat eodemque aeterno capite henade, cum novum sibi suoque gregi toti caput nescio quod succedaneum in Christi Domini, aeterni alioqui sine ulla cuiusquam successione capitis nostri, contumeliam erexerint adorent et propugnent, cum item Prophetici atque Apostolici fundamenti pertesi, novi sibi canonis condendi potestatem atque autoritatem arrogent (ita enim loquuntur); praeterea cum hactenus duntaxat suam erga Christum Dominum in prodita nobis Scripturis sanctis salutari doctrina ipsius obedientiam agnoscant, quatenus per sensum ac consensum coniurati coetus ipsorum approbetur; ad haec cum novum sibi quoddam ex Iudaismo atque (89) Ethnicismo conflatum sacerdotium, novum item sacrificium, contra vim meritum ac dignitatem naturamque adeo ipsam aeterni atque ἀπαραβάτου, ut Paulus ait, Sacerdotii et Sacrificii Christi, impudentissime constituerint novumque sibi Deum Mayzim ex crustulo panis confectum formarint, in quo alioqui omne robur ac praesidium Antichristianae ipsorum abominationis consistit, quemque illi, cum aliud non possint, auro atque argento colunt iuxta Danielis vaticinium et ferro ac flammis propugnant, ut sub eius nomine et Agno ipsi, quemadmodum Ioannes docet, et omnibus, qui illum sequuntur, sanctis Dei bellum inferant; postremo cum, revocata ex Judaismo adversus doctrinam Apostolicam prosopolipsia, quam in magicis suis unctionibus rasuris et nescio quibus consecrationibus positam esse volunt, panis Mystici ac corporis in Ecclesia uniusque adeo nostrum omnium in Christo nominis henadem (90) nefandissime violent ac convellant; cum haec ita, inquam, faciant omnia, — id quod alioqui res ipsa et doctrina ipsorum apertissime testatur, — quis non videat obsecro, non equidem nos nostrosve, sed Hosium ipsum una cum Papae universa caterva ab unitate Catholicae Christi Ecclesiae maliciose descivisse, suaeque isti defectioni callide, ne dicam fraudulenter obtendere titulum ementitum Catholicae

Ecclesiae Christi? quae alioqui ita foeda ac perfida apostasia omnem ab illis veram ac Christianam dilectionem ac proinde omnem etiam salutarem verbi Divini doctrinam excludet proculdubio iuxta ipsiusmet Hosii argumentationem. Iam quod ad mutua nostrorum invicem dissidia attinet, exagerat illa quidem Hosius quantum potest omnino, sed multa admiscet, quae ad nos nihil omnino pertinent; nimirum non erat multa habiturus, quae de nostris dissidiis diceret si non eorum nobis quoque luem calumniose asperge-(91)ret, cum quibus nos nihil alioqui commune neque habuimus unquam neque etiamnum habemus. Eodem namque loco nos haberi vult cum Nestorianis, Servetianis, Anabaptistis, Svencfeldianis, Campanistis et aliis haereticis nescio quibus, quorum nomenclaturam interim sibi adhuc in calumniarum suarum scrinio prorsus Episcopaliter reservavit, cum nobis acrior multo, quam ipsi suisque omnibus, pro doctrinae Apostolicae puritate dimicatio cum istis subinde fuerit, nedum ut ullam cum eis unquam circa Divina praesertim societatem haberemus. Levius illi erat scilicet, nos cum istis omnibus coniungere, etiamsi id falso se facere non ignoraret, quam si collata nostra et illorum doctrina nos ab illis discrevisset. Sed ita rhetoricari voluit Reverendus Pater pro candore suo Episcopali, hoc est Pharisaico, ut, qua parte cum haereticis pugnamus, non tam equidem ab eis dissentire, quam inter nos ipsos dissidere potius videremur. At vero hic memorem (92) esse illum oportebat eorum, quae alibi in eodem ipso libello docet, siquidem verbis suis fidem adstruere volebat. Dicit alibi, me a Calvino non dissentire ac demum utrumque nostrum cum Zwinglianis et Tigurinis (quasi et isti non iidem sint) coniungit. Hosce vero simul omnes Lutheranis seu Saxonicis mox opponit, et ita opponit, ut alios ab aliorum omni prorsus societate excludat. Id autem si verum omnino esse credit Hosius, cur nos rursum ita utrosque coniungit? imo cur Nestorianos, Servetianos, Anabaptistos, Svencfeldianos et Campanistos nobis adnumerat, a quibus et Lutheranos et eos, quos ipse uno atque eodem loco censet, nostros videlicet, non minus quam a Papismo separatos prorsusque alienos esse novit? Hoc ei nimirum suggessit Episcopalis ipsius spiritus, qui in Bubonis specie pingi solet. Age vero, sanctule hypocrita! habeamur sane uno atque eodem loco, quos tu in doctrina eadem consentire fateris, nem-(93)pe Zwingliani, Calviniani, Tigurini et quos a meo nomine Lascanos vocas. Qua fronte igitur, veluti tui oblitus, eos, qui in patria hac, non tam equidem tua, quam mea, a vestra se impietate atque apostasia segregarunt, aut Calvinianos aut Lascanos esse fingis, si tibi ego et Calvinus consentire inter nos videmur, ut scribis? Cur nos hic ita divellis, ut alios Calvinianos, alios vero Lascanos

facias? tibi hoc videlicet insolens non est, ut e tuo tripode, pro eo ac tibi commodum est, uno atque eodem ore et frigidum simul et calidum flare possis. Ut autem tibi me, quam te mihi, aequiorem esse intelligas, fac ut et Lutheranos et Picardos seu Waldenses Boemicos nobis adiungas, etiamsi non per omnia inter nos consentiamus, sintque inter nos partim Lutherani, partim Zwingliani, qui te ipso iudice, iidem sunt cum Calvinianis, Tigurinis et Lascanis, partim vero Waldenses Boemici, quid igitur te hac istorum omnium consociatione effe-(94)cturum esse putas? Dicis tot et tanta esse inter nos dissidia atque odia, ut nullus verae ac Christianae dilectioni locus inter nos esse possit. Haec vero abs te quidem satis hostiliter dicuntur, sed quam sint vera, res ipsa mox testabitur. Primum autem, si, quae intercedunt dissidia, omnem protinus dilectionem ac proinde omnem quoque verbi Divini doctrinam a nobis propellunt, quemadmodum Hosius argumentatur, tum sane inter ipsos Apostolorum Principes, Petrum inquam et Paulum, dum alter alteri in faciem resisteret, neque dilectio neque verbi Divini doctrina iudice Hosio locum ullum habebat, nisi si resistere in faciem coram omnibus Hosio non est dissidere aut dissentire. Rursus dum inter Paulum et Barnabam ita acris orta esset disceptatio, ut alter alterum desereret; num paroxysmus ille et dilectionem omnem et veram item verbi Divini doctrinam utrique tum omnino ademit? Id si affirmat Hosius, accuset sane Lu-(95)cam, qui sub illa ipsa Pauli a Barnaba separatione Ecclesias interim a Paulo per Syriam et Ciliciam in verbi hauddubie Divini doctrina confirmatas fuisse docet. Sin minus, relingat igitur ac resorbeat suam argumentationem Reverendus Pater, quam Episcopali spiritu suo evomuit, nempe, ubi sunt dissidia, ibi non esse locum neque dilectioni, neque verbo Dei. Dicet non de doctrinae controversia certamina illa inter Apostolos exorta fuisse. Admittimus. Sed nullis aliis praeterquam doctrinae dissidiis dilectionem violari, id vero ab Hosio probari velim. Esto autem, non violetur dilectio nisi doctrinae dissidiis. An etiam quibuslibet omnino doctrinae dissidiis et dilectionem pariter et omnem verbi Divini doctrinam repelli a nobis Hosius arbitratur? Si id putat, tum equidem universam post Apostolos Christi Ecclesiam et dilectione et doctrina verbi Divini spoliabit. Neque enim quisquam veterum post Apostolos Patrum fuit, cu-(96)ius modo germana monumenta extant, qui non inter se se alicubi et quidem graviter dissenserint in ipsis etiam doctrinae capitibus. Et nostris hisce temporibus, quandonam ita felix Ecclesiae facies fuit, ut nulla inter praestantissimos quosque illius Doctores etiam doctrinae dissidia essent? Conciliorum item, quae Hosius alioqui tantum non adorat, quanta et quam diuturna fuit unquam

consensio? Si vero in ipsis etiam doctrinae dissidiis discrimen aliquod constituit, ut sint quae una cum dilectione ac proinde incolumi quoque verbi Divini doctrina consistere simul possint, sint item quae non possint, an non hic Pauli Apostoli doctrinam sequamur, qui per eos duntaxat societatem Ecclesiasticam ac proinde dilectionem quoque violari ac dirimi docet, quos fundamentum doctrinae ipsum non amplius tenere, sed ab eo descivisse, denique et oppugnari ab eis illud constet? Ostendat Hosius igitur, nos nostris invicem dissidiis doctrinae sa-(97)nae fundamentum non tenere, sed ab illo descivisse, se vero et suos illud inter se inviolatum retinere. Aut si hoc non potest facere, quemadmodum sane revera nunquam potest, desinat tandem Ecclesiam Christi Pharisaica hypocrisi sua fallere. Quo pacto autem probaret, retineri a suis inviolatum doctrinae fundamentum, cum ipsemet eo sublato aliud constituat, et non tam in Propheticis atque Apostolicis scripturis, quas Paulus fundamentum Ecclesiae esse profitetur, quam potius in sensu ac consensu Apostaticae suae Ecclesiae verbi Divini veritatem ponat? Dicet, non de Scripturis, sed de earum mente controversiam esse, se enim, perinde atque nos, agnoscere nullum in Scripturis mendacium extare, sed meram veritatem, sed omnem controversiam versari in syncera aut detorta ipsius interpretatione. At vero, si vere ita sentit ut scribit, non extare ullum in Scripturis mendacium, sed meram veritatem, cur unanimi Scripturae menti, ex le-(98)gitima collatione locorum collectae, in qua nullum est mendacium, sensum ac consensum nescio cuius Ecclesiae anteponit, quem non modo variasse pluries, sed secum etiam pugnasse negare non potest? Excuset se hic Hosius igitur, aut agnoscat, duo haec quae docet consistere simul non posse: nempe ut et nullum in Scripturis reperiatur mendacium, et vera nihilominus in eis verbi Divini doctrina, non tam ex unanimi illarum mente, quam ex Ecclesiae sensu ac consensu nescio quo petatur et colligatur. Deinde quomodo retineat Hosius cum suis omnibus inconcussum Doctrinae sanae fundamentum, posteaquam Apostolicae de Christo Domino confessioni, ore Petri Apostoli proditae, re ipsa reclamet, etiamsi id mira hypocrisi dissimulet? Ac velim ut mihi paulisper hic ipse unus pro suis omnibus respondeat, num cum Petro et universa apostolica Ecclesia indubitato credat, Dominum Iesum esse vere Christum illum filium Dei (99) vivi. Annuet proculdubio, nisi si suis ipsemet verbis a vera se Ecclesia Christi descivisse, fateri velit. Caeterum si id credit, eadem sane opera credat necesse est, eum et Deum pariter verum et verum hominem esse. Esse item, quod ad delegatam ei a Patre Deo functionem attinet, unicum summum atque aeternum Pontificem Regem ac Doctorem seu Pro-

pbetam Catholicae Ecclesiae Dei. Dicet, se et suos omnia haec credere. Utinam vero id vere et ex animo possit dicere, id equidem illi ego et suis omnibus perinde optarim, atque mihi ipse Divino beneficio gratulor. Sed si haec vere credit, ad meas mihi pauculas obiectiones breviter etiam et perspicue respondeat. Ac primum de persona ipsa Christi Domini, si Christum Dominum Deum verum esse credit, cur operi ipsius in procuranda salute nostra, ubi carnem nostram assumpsisset, non tribuit omnem ac plenam perfectionem, cum Scriptura doceat, omnia Dei opera perfectis-(100)sima absolutissimaque esse, quandoquidem in eum, qui illa operatur, Deum, nulla imperfectio cadere potest. Si vero operi huic Divino Christi Domini omnem ac plenam perfectionem tribuit, ubinam consistent subsidiaria illa, quae Hosius propugnat, salutis nostrae remedia, nempe satisfactiones nostrae pro peccatis? opera item nostra non tantum meritoria, sed etiam supererogatoria, et quidem quae non solum nobis adiumento sint, sed etiam aliis tam vivis quam mortuis? Quid enim subsidiariis ullis omnino adminiculis ad salutem nostram opus habemus, si opus filii Dei vivi incarnati in procuranda nostra salute modis omnibus perfectum atque absolutum esse non dubitamus? Aut quomodo opus id filii Dei modis omnibus perfectum atque absolutum esse non dubitamus, si illud nobis sine nostris adminiculis sufficere non posse dicamus? Hinc igitur primum se expediat Hosius cum suis omnibus, ut se fundamentum doctri-(101)nae Apostolicae retinere declaret. Deinde si eundem ipsum Christum Dominum verum quoque in carne nostra hominem personali unitione coniunctum Deo filio esse credit, nobis alioqui naturae nostrae communione ita coniunctum, ut per omnia sit nostri similis, excepto duntaxat peccato, quemadmodum Paulus docet, — ubinam quaeso manebit Doctrina ipsius suorumque omnium de crustuli panis in corpus Christi naturale reali ac substantiali transitione, sive per sesquipedalem illam transubstantiationem, sive per panis evanescentiam ac corporis Christi substitutionem? ubi item doctrina de corpore Christi insensibili immenso ac nusquam non praesenti? Novimus sane hic latebras verborum, quibus haec omnia involvere Hosiani soleant, novimus et artes ipsorum, quibus vel ad fallendum, vel (si aliud non queant) ad absterrendum saltem simpliciores ab eius rei sciscitatione utantur, sed hic locus non est, ut de istis disputemus. (102) Tantum postulamus, ut simpliciter et perspicue ostendat Hosius haec duo simul posse consistere, nempe ut vere et indubitato credamus, Deum filium in sua incarnatione similiter, hoc est per naturalem, sine viri contactu interim ex matre virgine virtute Spiritus Sancti, generationem, nostrae carni nostroque sanguini participasse, esseque nobis in naturae nostrae

communione per omnia similem, excepto peccato, et nihilominus tamen statuamus eam panis in verum ac naturale humanitatis nostrae Christi Domini corpus transitionem, quaecunque ea tandem modo statuatur, quae nullam cum nostris corporibus omnino convenientiam ullo prorsus modo habeat habereque in aeternum unquam possit, ac rursum, ut corpus Christi Domini insensibile immensum et aperigrapton formemus, cum nihil huius nostris corporibus Scriptura ipsa promittat, et tamen doceat, corpora nostra fore conformia glorioso Chri-(103)sti Domini corpori post nostram resurrectionem, imo vero diserte testetur glorificatum alioqui iam Christi Domini corpus sensuum testimonio potissimum vere agnoscendum atque a quovis Spiritu adeo discernendum esse. Atque haec quidem de Persona Christi Domini.

Quod vero ad demandatam illi a Patre Deo in carne nostra functionem attinet, si credit Hosius, typicas omnes Ecclesiae veteris unctiones in Christo Domino nostro completas consummatasque esse, ac velut umbras luce exorta cessasse, simul quoque credat necesse est, Christum Dominum a Patre Deo per Spiritum Sanctum in unicum summum atque aeternum Pontificem Regem ac Prophetam Catholicae suae Ecclesiae unctum esse. Hoc autem si credit, velim mihi clare de Papae sui suoque ipsius ac suorum omnium Sacerdotio Regno Doctrinaeque sane iure, quod praetendit, sive autoritate respondeat. Ac primum de Sacerdotio. Si Hosio et suis Christus (104) Dominus vere est unicus ille summusque atque aeternus Catholicae Ecclesiae Pontifex, in quo typicum omne Aaronis Sacerdotium completum consummatumque cessavit, omnisque propitiatoria oblatio unica illius victima per partam alioqui plenisufficientem omnium toto orbe peccatorum remissionem abolita est, et cuius Sacerdotium sine ullo temporis ullius principio aut fine est heri hodie et in secula prorsus aparabaton, sic ut nulla neque successione, neque translatione, ad quenquam omnino transeat, — si hoc, inquam, cum suis iuxta Doctrinam alioqui Apostolicam credit Hosius, ubi iam obsecro manebit suum Papaeque sui, ac suorum omnium semiiudaicum et semiethnicum Sacerdotium, de quo magnus hic alioqui dicendi campus esset, si et res ipsa et tempus pateretur. Sed ut compendium faciam, si Christus Dominus unicus est duntaxat Sacerdos Catholicae Ecclesiae Dei, unde est alius, quisquis ille tandem sit, in eius Sacerdo-(105)tio socius aut collega, praesertim cum nemo sibi societatem in propitiatorio Christi sacrificio arrogare possit, nisi cum illo quoque mediatorem se Dei et hominum adversus Doctrinam Apostolicam constituere velit, quatenus sane, quemadmodum unus est Deus, ita unum duntaxat etiam Dei et hominum mediatorem in sacerdotio et sacrificio ipsius esse docemur. Si item

summus est Sacerdos Christus Dominus, quo pacto vel parem vel etiam maiorem se alium quemcunque Sacerdotem feret? nisi si Papa maiorem se Christo Domino non facit, dum Christum Dominum suo Sacerdotio pariter ac Sacrificio culpam duntaxat, et quidem non omnium tota vita nostra peccatorum, sed originalis tantum peccati, se vero et culpam simul et poenam omnem omnium etiam peccatorum expiare posse, quoties illi libet, affirmet, cum alias quidem semper, tum vero maxime in confectitio sacrificio suo, fabricato videlicet in contu-(106)meliam mortis Christi meritique ac efficaciae ipsius. Postremo si Christus Dominus est aeternus quoque Sacerdos (ut est dictum) Catholicae Ecclesiae, unde nobis (quaecunque tandem illa sit) in eius Sacerdotio successio? Equidem in aeternitatem ut nulla est cessatio, ita et nulla successio, nedum ut, si Christum Dominum aeternum alioqui Catholicae Dei Ecclesiae Sacerdotem esse credimus, succedaneum ullum omnino eius Sacerdotium, sive in Papa, sive in creaturis suis omnibus, ullo modo agnoscere possimus. Intueatur se hic igitur Hosius in suo Papaeque sui ac suorum omnium Sacerdotio, de quo, si Dominus volet, alias plura.

Iam quod ad Christi Domini Regnum in eius Ecclesia attinet, si Hosius cum suis Christum Dominum in unicum summum atque aeternum Ecclesiae Catholicae Regem unctum esse credit, quod ad gubernandas praesertim hominum conscientias erga Deum attinet, ubinam erit potestas illa (107) plusquam regia Papae, quam Hosius defendit in Ecclesia, ut novam sibi cum suis in conscientias hominum inque ipsam adeo Christi et Apostolorum doctrinam nomothesiam usurpet, affirmetque, se Divinae etiam legis laxandae adstringendaeque per suas dispensationes, — ita enim loquuntur, — ius atque autoritatem habere, denique et novum in causa religionis canonem condere posse? Haec sane omnia in libris Papistarum obvia ita passim habentur, ut vel pueris iam nota sint, nedum ut ab Hosio aut suis negari ullo modo dissimularique possint.

Quod porro ad Propheticam Christi Domini functionem attinet, si Hosius cum suis credit, Christum Dominum esse etiam unicum illum Divinorum omnium summumque ac aeternum enarratorem seu Doctorem, qui in una atque eadem cum Patre ac Spiritu Sancto Divinitatis henade est ab aeterno et in aeternum verbum ac proloquutor Patris, in quo etiam solo reconditi sint omnes thesau-(108)ri sapientiae et scientiae Dei, ut ex illius solius plenitudine omnes, ut cuique ipse dederit, accipiamus, et qui suam doctrinam ipso etiam coelo ac terra solidiorem diuturnioremque et aeternam adeo fore testatur, si haec Hosius inquam cum suis credit, quo pacto quaeso lucem ac veritatem doctrinae Prophetarum atque Apostolorum in Scripturis ipsis adimit, per quos nobiscum se alioqui aeter-

num illud verbum, aeternus inquam atque unicus ille Patris aeterni proloquutor, loqui profitetur? atque eam in sensum et consensum suae Ecclesiae ita artificiose transfert, ut Scripturas ipsas neget esse verbum Dei, nisi e sensu illo et consensu suae Ecclesiae lucem ac veritatem suam mutuentur, cum interim ne Catholica quidem ipsa, nedum larvata Hosii et suorum Ecclesia, quicquam omnino lucis ac veritatis habere possit, nisi quantum ob unigena illo verbo, unico videlicet summoque et aeterno capite ac Doctore suo, Christo Domino Scriptu-(109)rarum testimonio donatum concessumque habet, — ut adversus Hosianum hunc sensum et consensum Ecclesiae rectissime dictum sit ab Augustino, in scripturis, non autem in sensu et consensu Ecclesiae, nos didicisse Christum et Ecclesiam ipsam, ac proinde in iisdem ipsis Scripturis et Christum et Ecclesiam communiter retinendam esse, — atque item Chrysostomo, qui, commemorata agnoscendae verae Ecclesiae difficultate, qui ergo, inquit, vult cognoscere, quae sit vera Ecclesia Christi, unde id cognoscet, nisi tantummodo per Scripturas? Dum igitur Hosius de suorum inter sese consensu ac dilectione gloriatur, nostra vero inter nos dissidia usque adeo exaggerat, ostendat nobis ante omnia, nostram a Christo Domino Propheticaeque atque Apostolicae Doctrinae fundamento dissensionem, suam vero ac suorum cum eodem ipso Christo Ecclesiaeque ipsius fundamento consensionem, quam iactat, et concordiam, (110) ut vere doceat, apud se suosque duntaxat esse veram illam ac Christianam dilectionem, quae Dei gloriae serviat, apud nos vero non item. Alioqui si in hoc tantummodo inter se se sunt concordes Hosiani omnes, ut a Christo Domino Ecclesiaeque suae fundamento consentienter et obstinate dissideant, perfidamque suam apostasiam per coniuratam suam conspirationem stabiliant et propugnent, equidem nos rebellem hanc talem adversus Christum Dominum et eius Ecclesiam Hosii et suorum omnium concordiam tanti non facimus, neque per Dei gratiam facturi unquam sumus, ut nostra inter nos quamlibet atrocia videri possint dissidia, in quibus interim omnes pariter pro captu nostro, ut cuique Dominus dedit, gloriam ac regnum Christi promovere Scripturarumque autoritatem inviolatam retinere conamur, cum scelerata ista Hosianorum concordia nefariaque coniuratione permutare quoquomodo velimus, — et Deum precabimur, ut (111) nos ab Apostolicae confessionis fundamento, in omnibus nostris dissidiis desciscere ne patiatur, sed ea pro bona sua erga nos in Christo Domino voluntate semel aliquando ad gloriam sui nominis componat, certi alioqui iuxta Doctrinam Apostolicam, non fore nobis exitialia nostra inter nos dissidia propter nostras stipulas nostraque ligna ac foenum, tantisper dum confessionis Apostolicae fun-

damentum, ut nostra fert infirmitas, retinemus, a quo Hosii creatorem Papam et omnem ipsius rasum et unctum gregem una cum ipso Hosio palam, ut ostendimus, ac foedissime descivisse constat.

Sed contra assurgit Hosius et, dissimulata hic sua ac suorum apostasia, nostra dissidia ita exaggerat, ut odia inter nostros plane hostilia atque implacabilia illis nimium rhetorice adfingat. Etsi enim verum est, Saxonicos quosdam gravissimis in nos odiis praeter meritum nostrum exarsisse — quod nobis alioqui vehementer dolet, non tam (112) sane nostro, quam Euangelii Christi nomine — cur tamen pari nos pariter omnes odii istius culpa obstringit? Et hic sane illum magis paulo eorum memorem esse oportebat, quae in eodem ipso libello suo scribit. Fatetur enim, eos, quos ipse Lutheranos vocat, non prorsus inter se consentire, denique et alios ab aliis veluti degeneres iudicari, cum propter alia quaedam, tum vero imprimis etiam, quod, cum plerique illorum nobis sint aequiores, praecipitem aliorum censurae in nos severitatem, ne quid aliud dicam, probare nolint. Nunc vero omnes sine ulla exceptione Lutheranos ita nobis opponit, ut neminem illorum esse videri velit, qui nos cum nostra doctrina ferendos ullo modo esse patet, cum nos non unis modo uniusve etiam aut alterius Lutherani, ut ab Hosio quidem vocantur, et literis et scriptis publicis, sed multis multorum testimoniis facile docere possimus, neque nos illis omnibus, neque illos nobis tam esse (113) invisos, quam distorta haec Caligula, ut Episcopoliter rhetoricetur, ingeniose asseverat. Sed esto, oderint nos Lutherani ad unum omnes prorsus capitaliter, an vero iam illorum odii culpam praestari etiam a nobis oportebit? Dicit, nos vicissim paribus in Lutheranos flagrare odiis, sed inopiam nostrorum obstare quominus paria cum Lutheranis hac in parte facere possimus. Audimus id quidem satis Hosianice, hoc est, futiliter et impudenter dici. Caeterum unde probabit, se utrorumque facultates recte dimensum esse? Et ut ea omittamus, quae ad nostram arenam nihil pertinent, unde quaeso docebit, eodem plane loco haberi a nobis Lutheranos, quo nos ab illis haberi scribit? Fatetur ipsemet, nos ab aris et focis ipsorum arceri omnino. Aut igitur simile exemplum a nostris in Lutheranos designatum proferat, aut mendacem istam suam calumniam Reverendus Pater agnoscat. Atque ut de me primum aliquid (114) dicam, quod ne ipsi quidem Lutherani diffiteri sane possunt. Cum Bremae relicta Frisia, iter in Angliam facturus, hybernarem, ut ostenderem tanti a me non fieri sacramentariam hanc controversiam, quanti ab aliis parum necessario fieret, ubi fidem ac doctrinam meam primario illic Pastori exposuissem, ipsomet me deducente ad Coenam Domini una cum illo et plerisque aliis ex eius Ecclesia palam accessi, haudquaquam profecto id facturus, si eodem

loco Lutheranos omnes habuissem, quo nos ab illis sine discrimine omnibus haberi Hosius scribit. Et cum in Frisia Orientali per decennium antea aut eo amplius essem illicque in publico Ecclesiarum ministerio versarer, illi ipsi qui ex Witebergensi Academia eo ad me veniebant atque etiamnum forte vivunt, illi, inquam, ipsi testari facile possunt, quam amanter illos exceperim et quam diligenter etiam curaverim, non sine multorum quandoque invidia, ut Ecclesiastico Ministerio (115) praeficerentur. Rursus cum in Anglia essem, quid in gratiam Lutheranorum fecerim pro hominis alioqui peregrini ratione, id sane viris etiam Principibus quibusdam ita notum est, ut a me commemorari non oporteat. Quae omnia facturus eram scilicet, si quo loco a Lutheranis quibusdam ego cum meis sum habitus, eodem ipsos loco etiam habuissem? ne quid hic de Danico nostro itinere dicam, quod certe testatur, longe nos meliora nobis de Lutheranis omnibus pollicitos fuisse, quam praeter meritum nostrum obvenerunt. Iam ut de aliis quoque dicam. Post dispulsos a Carolo Caesare in Germania Lutheranos Ecclesiarum Ministros, arcebanturne ab aris et focis Helveticis, qui se ad illos sub gravissima cruce illa conferebant? Rogentur illi ipsi et tum facile Hosio, me etiam tacente, respondebunt. Postremo si eodem plane loco a nobis Lutherani omnes haberentur, quo nos loco apud illos omnes esse Hosius affirmat, cur vel ego (116) in meo hue reditu Witebergam (obliquato sane itinere meo) ad Lutheranos diverti, vel illi me etiam non privatim modo sed publice quoque inclitae Academiae suae nomine et quidem peramanter atque honorifice exceperunt. Hoc est Hosio scilicet paribus nos utrosque invicem odiis laborare, ut nos utrinque ab aris ac focis nostris arceamus. Id quidem agit Hosius rhetorices suae artificio, quasi fucus illius impudeusque calumniandi nostra omnia libido a piis gravibus et cordatis viris agnosci hic non possit. Duas autem causas praecipuas adfert nostri huius tanti inter nos odii, alteram, coniunctam cum invidentia ambitionem quandam, alteram vero, Sacramentariae potissimum causae controversiam. Quae de ambitione et invidentia adfert, ea maxime ad Lutherum et Calvinum pertinere videntur, quod alter sibi parem, alter vero se maiorem ferre non posset, quemadmodum de Pompeio et Caesare Lucanus elegan-(117)ter scribit. Ait igitur Calvinum invidere Luthero Joannis Baptistae exuvias, hoc est, novi nostro hoc seculo Heliae titulum, quandoquidem ei par aut ipso maior etiam haberi velit. Caeterum si et ex editis utriusque libris et familiaribus item scriptis manu ipsorum ad amicos Epistolis doceatur, praeposterum hoc laudis genus tam ipsi Luthero, quam etiam Calvino semper displicuisse, quo ipsis supra legitimam eorum vocationem sublimius quiddam nonnulli tribuere

valebant, — etiamne Hosius maiorem sibi adhuc fidem in nectendis suis calumniis haberi volet, quam libris et manus utrius ipsorum testimoniis? Atque Episcopalis quidem Hosii pudor et modestia id forte postulabit, sed non tanti iam fiunt (gratia sit Domino!) larvarum Episcopalium praestigiae, ut propter illas plus sit credendum mentienti Episcopo, quam vel publicis eorum monumentis, vel scriptis etiam manu ipsorum ad amicos Epistolis, ad quos sane, quae in animo (118) habemus, libere confidenter et sine hypocrisi ulla scribere solemus. Porro ipsa Hosii argumentatio prodit hominis in struendis calumniis vanitatem atque impudentiam. Ait, Calvinum aegre ferre, quod Luthero prae se tribuatur Heliae titulus, quia illi invidet, invidere autem, quia id reprehendit. Praeclara sane atque Hosio Episcopo digna prorsus argumentatio, sed quae in ipsum eadem opera retorqueri potest. Aut enim laudat, aut reprehendit Hosius, Luthero tribui Heliae titulum. Si laudat, suam ipse impietatem accusat, quod doctrinam illius damnat, quem pro Propheta agnoscit. Si reprehendit, iam iisdem retibus captus tenetur, quae Calvino tetendit. Invidet nimirum Luthero titulum Heliae, quia illum reprehendit, et quia invidet, aegre fert illum prae se Luthero tribui, quandoquidem se hoc elogio ornari mallet. Excipiet, multa reprehendi posse, quae non invidemus. At vero hac ipsa exceptione se (119) ipsemet vanitatis atque impudentiae in traducendo Calvini nomine coarguet et convincet. Etenim si reprehendi a nobis multa possunt, quae non invidemus, tam sane est in manu Calvino, quam ipsi Hosio, reprehendere in Luthero Heliae titulum, etiamsi eum illi non invideat; nedum ut ei illum prae se tribui aegre ferat, nisi si ea est purpuratae Caligulae praerogativa, ut sibi arroget propter bifidam suam infulam, quod aliis haudquaquam permittit. Atque sane sunt multa, quae neque per invidentiam, neque per ullam omnius malevolentiam alii in aliis, sed solo gloriae Dei studio reprehendimus adeoque et damnamus, nedum ut, quae ad eum modum in aliis accusamus, ad nos ipsos transferri ullo modo non dico velimus, sed etiam patiamur. Sic propheta usque adeo abominatur malevolorum coetum, ut sibi nullum apud illos locum omnino reliquum esse velit, et tamen de sua, cum erga Deum, tum erga proximum dilectione, (120) nihil eo quidem nomine remittit. Quare si et Calvinus nosque pariter cum illo omnes non alio sane, quam tuendae Christi Domini gloriae et Doctrinae Apostolicae studio, praeposterum hunc quorundam erga Lutherum affectum in delato illi Heliae titulo merito reprehendimus, eo quod istiusmodi titulos hoc tempore in Christi Ecclesia haudquaquam omnino ferendos esse sine ulla aliqui moderationis alicuius significatione statuamus, — etiamne adhuc Hosius nostrae huic

tali reprehensioni nostra inter nos odia nostramque invidentiam atque ambitionem obtendet? Sed ille ex sese forte nos omnes aestimat et metitur, cumque in omnibus suis reprehensionibus, non tam se gloriae Christi, quam Papae sui tyrannidis retinendae cura ac studio tangi sentit, non fert id eripi Papae suo et sibi, multo minus autem cuique alteri tribui, quod hactenus Papa sibi per suam tyrannidem usurpavit. Nimirum sibi ipsemet iam de sede illa apostatica Ro-(121) mana ita alioqui meritus esse videtur post susceptum praesertim eo iter nunc suum, ut sibi deberi non dubitet vel triplicem coronam illam, ut se supra Christum ipsum efferat, vel sericam saltem auro intertextam infulam, qua lineam alioqui suam permutare in creatoris potissimum sui conspectu possit. Quemadmodum igitur ipse, non tam se gloriae Christi Domini, quam tyrannidis Papisticae propugnandae studio per odium atque invidentiam titulum in Luthero Heliae reprehendere sentit, ita et Calvinum ex sese metiens, eodem affectu illum et nos simul omnes ferre non posse existimat in Luthero eum ipsum titulum, quem nos interim non modo in Luthero, sed in nemine prorsus, qui modo in Christi Ecclesia censeri velit, sine aliqua praesertim mitigatione, ferendum ullo modo esse docemus. Et quamquam pietas atque eruditio Calvini spectatior sit orbi toti, quam ut vel minima talis ambitionis suspicio cadere in illum possit, tamen si quid hic (122) humanum ipse etiam Calvinus pateretur, nihilo sane levius a nobis, quam Lutherus ipse hac in parte accusaretur. Neque enim ullos hic intuemur homines, sed Christi Domini gloriam et Doctrinam Apostolicam, quae id non permittit, ut post firmatum semel per Prophetas et Apostolos Ecclesiae Christi fundamentum, ullam amplius Propheticam aut Apostolicam vocationem in Christi Domini Ecclesia, aut requiramus omnino, aut etiam exspectemus. Quare vehementer fallitur Hosius, dum Calvini et nostram omnium reprehensionem in delato Luthero Heliae Prophetae titulo ab odio nescio quo in Lutherum nostraque invidentia et ambitione profectam esse calumniatur, cum nos, ut dictum est, non modo in Luthero, praeclaro alioqui Dei organo, sed in nemine prorsus mortalium usquam parem Propheticae et Apostolicae vocationi praerogativam in Christi Ecclesia ferendam ullo modo iam esse iudicemus. Sed vi-(123)derit Hosius ipse, quo animo ac consilio et Lutherum tituli Prophetici et Calvinum invidentiae atque ambitionis accuset, et ne eorum ipsorum, quorum nos accusat, culpa ipsemet coram Dei iudicio teneatur. Quodsi id cum Christi gloria ipse etiam Apostolicaque doctrina consistere non posse putat, ut quisquam omnino sibi iam arroget in Christi Ecclesia parem cum Prophetis atque Apostolis praerogativam et autoritatem, quo pacto, obsecro, non

offenditur maiore multo, ac proinde minus ferenda in Ecclesia etiam, vicaria nescio qua in Papa suo, Christi Domini praerogativa atque autoritate, cui universam alioqui Scripturam reclamare palam, si verum fateatur, negare omnino non potest? Certe si Propheticae atque Apostolicae vocationis autoritas ferenda non est in ullo iam prorsus homine in Ecclesia Christi, tanto equidem minus ferenda est vicaria illa in Papa Christi Domini sacerdotii, regni ac doctrinae praerogativa, (124) quanto maius discrimen Christus ipsemet Dominus constituit inter eum qui ablegat et qui ab ipso ablegantur. Nimirum legati testes sunt duntaxat ac nuntii eorum, quae in mandatis sibi data acceperunt, sed ab illo ipsomet praestari oportet omnia, qui legatos ablegat, de quibus legati testificantur, sive quid imperetur per illos sive etiam promittatur. Aut igitur Hosius damnet in suo Papa vicariam illam Christi Domini functionem atque autoritatem, si Propheticam atque Apostolicam praerogativam, post positum alioqui aeternum iam Ecclesiae fundamentum, in nemine mortalium ferendam nullo modo esse putat, aut, ne fucum simplicioribus Pharisaica hypocrisi sua faciat, se studio retinendae Christi gloriae et Propheticae dignitatis ferre non posse in Luthero Propheticam praerogativam, postenquam longe maiorem ac proinde minus etiam tolerabilem in Papa suo, non modo ferendam, sed propugnandam quoque esse (125) statuit, quae sine manifesta in Christum Dominum contumelia ac blasphemia in eius Ecclesia ferri haudquaquam potest, ut vel hinc iam appareat, ipsummet Hosium per invidentiam atque ambitionem ferre non posse Propheticam in Luthero praerogativam, ne videlicet per illam Papae sui tyrannidi usurpatae aliquid detrahatur aut derogetur, atque ita ipsummet Hosium ac suos ea ipsa odii invidentiae atque ambitionis culpa teneri, quam et Calvino et nobis cum illo omnibus falso irrogare conatur, et proinde non equidem a nobis nostrisve, sed ab ipsomet Hosio ac suis violari legem et vinculum Christianae dilectionis in reprehendendo Prophetico illo Lutheri titulo, cum eam ipsius reprehensionem non aliunde, quam ex odio invidentia atque ambitione proficisci constet. Quatenus igitur odio invidentia atque ambitione Hosii et suorum dispulsam ab illis esse apparet Christianam omnem dilectionem, et Hosius ipsemet do-(126) cet, non esse ullum omnino apud eos locum verbo Dei salutarique doctrinae illius, qui Christianae dilectionis vinculum abrumpendum sibi esse statuerunt, — hactenus sane omnem Hosii et suorum doctrinam, non equidem pro verbo Dei salutarique doctrina illius, sed pro ipsa voce verbo et doctrina exitiali Satanae ipsomet Hosio censore haberi proculdubio oportere, negari omnino non potest. Eat vero nunc Hosius et nostris inter nos reprehensionibus obtendat odia

nostra invicem nostramque invidentiam et ambitionem, quibus se ipsemet suosque omnes liberare non potest.

Iam quod ad ipsa doctrinae dissidia inter nostros attinet, quaenam sunt illa tanta tamque multa doctrinae dissidia inter nostros, de quibus tantopere Hosius gloriatur? Recessimusne usquam ab Apostolicae confessionis fundamento, a quo alioqui ipsummet Hosium in Papae sui obsequium turpiter ac perfide descivisse defecisseque ostendimus? Vio-(127)lavimusne item ullum eius Symboli caput, quod Apostolicum vocamus, quod sane ab Hosio et suis omnibus et quidem varie factum esse facile commonstrari potest? Docemusne postremo aliquid pugnans cum unanimi consensu Scripturae totius et Catholicae Ecclesiae Christi, ad quem modum multa et pestilentia Papismi tyrannide dogmata in Ecclesiam contra Scripturas et Catholicae Ecclesiae consensum invecta esse constat? Horum aliquid in nobis commonstret Hosius, si potest, — aut, si non potest, quemadmodum sane neque potest vere, neque per Dei gratiam poterit unquam, pudeat illum saltem eiusmodi calumniarum, quae vel conductos ad maledicendum histriones minime decerent. Sed nobis obiicit Sacramentariam controversiam eamque ita exaggerat, ut et proram simul et puppim totius religionis constituere in illa videatur, atque a Lutheranis quidem levius multo quam a nostris Sacramenta ipsa impeti labefactarique (128) fingit. Ita id tamen facit interim, ut se in ipsa causa Sacramentaria etiam nihil intelligere omnino, nedum de eius controversia iudicare posse ipsemet testetur. Quodque ad causam primum ipsam attinet, non satis constat, quidnam sub voce Sacramenti in Coena Domini potissimum, aut ipse intelligat, aut ab aliis intelligi velit, hoc est, Elementa ne ipsa, quae institutae a Domino Coenae actioni mysticae adhibentur, an vero potius coniunctam cum suo mysterio sacram actionem ipsam. Quodsi voce Sacramenti Elementa Coenae ipsa, Panem et Vinum inquam, designari putat, ostendat ex Scripturis et olim in circumcisione cultellum ipsum per se praeputiive pelliculam, in typici item Agni Paschalis coena ipsam carnis agnellinae substantiam extra institutum a Domino istorum omnium usum pro Sacramentis habita esse, et nunc in nostro Baptismo etiam aquam ipsam per se extra imperatam a Christo tinctionem mysticam pro (129) Sacramento haberi, — nos enim id ex Scripturis colligere nequaquam possumus, ac proinde neque in Coena Domini Panem ipsum per se aut Vinum Sacramenta vocamus. Si vero sub voce Sacramenti mysticam illam et cum suo mysterio coniunctam actionem vult intelligi propter Christi institutionem, tum certe, ad quem modum, quod in ipsa actione positum non est, in ipsa etiam Sacramenti parte censeri non potest, ita neque Panis ipse per se ac

Vinum Coenae, etiamsi varba consecrationis, ut vocant, super illis millies recitentur, voce Sacramenti designari quoquomodo possunt, cum et Panis et Vini substantia in sese sub mystica actione illa censeri non queat. Neque ignoro vocem Sacramenti varia a Patribus subinde pro temporis atqua auditorum ratione usurpatam esse, sed nemini id mirum videri debet, quandoquidem illi de ea, quae nunc est exorta controversia, ne cogitarunt quidem, nedum ut ab illo sibi metuerent. (130) Atque ita nihil mali hac in parte suspicati sub voce Sacramenti alias externum illius Symbolum, alias vero coeleste eius duntaxat Mysterium atque alias rursum et Symbolum pariter et Mysterium intelligi volebant. Caeterum in confirmanda doctrina ipsa Sacramentaria consentienter docent omnes, Sacramenta duabus rebus constare, terrena videlicet et coelesti, quemadmodum Irenaeus de Eucharistia loquitur. Hinc igitur Hosius sese ante omnia expediat. Etenim si voce Sacramenti sacram actionem ipsam, cum suo coniunctam Mysterio, ut est a Domino instituta, designari dicat, simul quoque fateri illum oportebit, violatis profanatisque mysticis Coenae Dominicae in sua suorumque omnium Ecclesia Symbolis, nullum apud se et suos amplius Coenae Domioicae Sacramentum extare. Quatenus enim certum est, Symbolis pariter et Mysteriis iis Sacramenta ipsa constare ex Divina institutione, hactenus equidem (131) dubium etiam esse non potest, violatis profanatisque atqua adeo abolitis Coenae Symbolis, ipsum quoque Coenaa Sacramentum violari profanarique et aboleri, ut eius Mysterium etiam non amplius ad eos pertineat, qui illius Symbola, quod in ipsis est, in autoris Coenae contumeliam scientes ac volentes violarunt profanarunt et aboleverunt, unde alioqui negari proculdubio non potest, in Papae Romani et Hosianicis Ecclesiis nullum omnino Coenae Dominicae Sacramentum haberi propter multiplicem Symbolorum pariter ac Mysteriorum illius violationem profanationem et abolitionem. Aut igitur nobis commonstret Hosius in sua suorumque omnium Ecclesia ét Symbola ét Mysteria Coenaa Dominicaa iuxta Christi Domini institutionam, aut fateatur ei luto se et suos omnes immersos prorsus esse, quod nobis homo ingeniosus inspergera conatur, nempe non equidem per nos nostrosve, sed per sa et (132) suos potius Ecclesiam Christi Coenae Sacramento spoliatam esse, quo potissimum nomine nostram Confessionem falso et malitiose accusat, discatque prius recte de Sacramentis secundum Scripturas sentire et loqui, quam de eorum controversiis re nondum intellecta pronunciet.

Quodque ad nostram et Saxonicorum quorundam da Coena Domini controversiam attinet, facile est videre, Hosium ipsum non intelligere, in quo alioqui cardine controversia omnis nostra versetur, dum in eo

nostrae imprimis controversiae scopum constituit, quod Saxonici illi Sacerdotium duntaxat et Sacrificium Papisticum in suis subvertant Ecclesiis, nos vero non subvertere modo ista, sed ipsis etiam Sacramentis Christi Ecclesiam spoliare impura nostra haeresi conemur, quasi vero aut nostri a Saxonicis in subvertendo Papae et suorum Sacerdotio iuxta ac Sacrificio, aut Saxonici a nobis in accusanda sub Papismo Sacramentorum vio-(133)latione profanatione et abolitione, quod in Papistis est, studioque restituendi veri ac legitimi usus Sacramentorum dissentiant ullo modo. Damnamus pariter utrique idololatricam in Papismo transubstantiationem seu transelementationem, quod doctrina hac ét Symbola Coenae surripi, sine quibus Sacramenta consistere haudquaquam possunt, ét inauditam seculis omnibus frustuli panis Dei ipsius loco artolatrian erigi constat. Palam enim in abominandis suis illis circumtonsi panis circumgestationibus clamant „Non est panis, sed est Deus, etc". Damnamus item pariter utrique sacrilegam Calicis in Coenae usu surreptionem, eo quod per illam et Symbola et Mysteria Coenae non solum violentur profanenturque et in fraudem totius Ecclesiae nefandissime adulterentur, sed in blasphemum etiam in mortem Christi Domini Missarium illud Papistici Sacerdotii sacrificium insidiose commutentur. Postremo utrique pariter etiam damnamus (134) natam demum ex istiusmodi et Symbolorum simul et Mysteriorum Coenae violationem, prodigiosam Missae, ut nunc habetur, impietatem et cauponationem. Haec inquam utrique pariter atque consentienter, ut alia omittam, in Papismo damnamus, neque in Christi Ecclesia ullo modo ferenda esse docemus. Ubi sunt tot igitur tantaque inter nos, quam Hosius vult videri, de Coena Domini dissidia? Dicet, nos quidem in subvertendo Papismo omnes unanimiter consentire per nescio quam adversus suam Papam conspirationem, a quo unitatem Ecclesiae dependere somniat, sed in tradenda de Coena Domini doctrina nostra gravissime nos invicem belligerari, quasi vero in damnanda Papistica Coenae Dominicae violatione profanatione et adulteratione non bona iam ex parte doctrinae nostrae consensio approbetur. Sed de doctrina nostra mox, ubi de conspiratione pauca dixerimus. Nos nullius nobis omnino conspirati-(135)onis sumus conscii, sed ab apostatica Papae et suorum, cum eam immedicabilem esse cerneremus, impietate, segregasse nos Divino beneficio libere et ingenue profitemur, atque ita demum ad Catholicae Dei Ecclesiae unitatem, cuius unicum atque aeternum caput et nullum aliud unicum item in Prophetica atque Apostolica doctrina fulcrum est Iesus ille Christus filius Dei vivi, per Dei misericordiam revocatos esse. In qua sane Catholicae Dei Ecclesiae unitate constituti, facere iam non possumus pro fide nostra nostroque debito

atque officio, ut apostaticam Papae et larvarum suarum impietatem, idololatriam ac tyrannidem, non palam accusemus ac detestemur, praesertim cum illam non solum nulla ex verbo Dei admittere remedia, sed facta etiam nefaria coniuratione, sua eam omnia carceribus ferro et flammis crudelissime propugnare videamus. Equidem qui conspirant, caelant quantum possunt sua consilia, neque nisi (136) inviti illa patefaciunt. Constat autem nostra nos in Papismo accusando consilia, post agnitam alioqui Christi Domini in Scripturis sanctis doctrinam, adeo noluisse caelare unquam, ut, pro eo ac Dominus cuique nostrum dedit, aperte illum impugnaverimus ex verbo Dei, — Papam vero cum suis omnibus, ut conatum suorum impietatem caelaret, fucum illis longe speciosissimum ementitae cuiusdam vicariae Christi Domini successionis fraudulenter obtendisse. Quare non equidem nos adversus Papisticam abominationem conspiravimus unquam, sed apostaticam Papae suique totius satellitii, admirabilis etiam iurisiurandi fascino dementatam, adversus Christum Dominum conspirationem secundum Scripturas accusamus adeoque et digito, quod aiunt, commonstramus, estque perspicuum, non sane nos, sed Hosium potius ipsum et suos iusto olim, nisi resipiscant, Dei iudicio coniuratae adversus Christum Doctrinamque et Ecclesiam de-(137)niqne suam conspirationis proculdubio damnandos esse.

Iam ut ad Coenae Dominicae dissidium, quod tantopere exaggerat, descendamus, audio nos culpari, quod illius autores simus. Respondeo nos nullo ullius hac in parte dissidii culpa teneri, cum nullius novi dogmatis circa Coenam Domini nobis conscii simus. Aut igitur ostendat Hosius, nos novi hic alicuius dogmatis autores esse, aut fateatur, se ipsum et suos in ea ipsa culpa esse, cuius nomine nos accusat. Nos enim et Papam autorem et Hosium propugnatorem novi de Transubstantiatione dogmatis accensamus, quae demum nobis peperit panis nescio quam apotheosim et idololatriam. Docet, maximam esse inter nos et Lutheranos de Coena Domini controversiam. Respondeo, nobis quidem dolere, quod eo usque sit progressa, ut societatem Ecclesiae violet, sed nostrum non esse, culpam illorum praestare, qui, dum ex musca, ut est in proverbio, (138) elephantum conantur facere, Ecclesiam perturbant. Nos sane semper testati sumus, minorem esse de Coenae Elementis controversiam, ubi praesertim de eius Mysterio convenit, quam ut propter illam scindantur Ecclesiae. Quodsi hic non audimur, etiamsi audiri postulemus, quid restat aliud, quam ut bene alioqui nobis conscii causam ipsam Domino committamus? Certe nobis doctrinae Apostolicae puritas prodenda non est in hominum gratiam, multo minus autem per silentium dissimulanda, etiamsi hic pessimam hoc nomine gratiam passim, ut est mundi ingenium,

reportemus. Diximus autem paulo asperius, Hosium ipsum non intelligere, in quo potissimum cardine nostra cum Lutheranis controversia versetur, quare id nobis exponendum imprimis erit, non sane propter Hosium, qui vult videri scire omnia, sed propter infirmiores, ne Hosianicis tendiculis irretiantur.

Origo ac fons totius nostrae cum Lutheranis contro-(139)versiae coepit ab ipsis Coenae Elementis, Pane et Vino inquam, quae tamen, nisi in instituta a Christo Domino mystica Coenae actione ipsa versentur, etiamsi millies consecrentur, ut vocant, in nulla Sacramenti parte censeri ullo modo possunt. Mystica enim illa a Christo Domino instituta Coenae actio facit, ut qui ante cibarius corporis duntaxat panis erat, in ipsa Coenae actione fit iam Symbolum veri corporis Christi, et quidem eiusmodi Symbolum, ut dum pani illi iuxta Christi institutionem participamus, simul quoque vero proculdubio corpori Christi per fidem autore Spiritu sancto, vere etiam, ad salutem nostram communicemus. In hoc vero scopus erat atque etiamnum est totius controversiae, quod, quemadmodum nos, cum Lutheranis coniuncti, idololatricam illam in Papismo Panis in ipsum Christi corpus naturale Transubstantiationem accensamus, ita in Lutheranis rursum Panis cum ipso corpore Christi natu-(140)rali realem alioqui substantialemque consubstantiationem seu connexionem probare non possumus ullo modo. Neque vero dubium est, Lutherum ipsum et in oppugnanda Transubstantiatione et in statuenda, ut ita nunc loquar, consubstantiatione Dei gloriae vere et ex animo servire voluisse. Offendebat virum Dei illum circa Transubstantiationem, primum idololatria, quae excusari non potest, deinde vero facti ex pane veri, ut credebatur, corporis Christi propitiatoria oblatio in Missa. Altera vero ex parte metuebat, ne Coenae dignitas atque efficacia periclitaretur ac demum etiam interiret, nisi loco reiectae iam Transubstantiationis aliqua saltem Sacramentalis Mysterii cum signis unio in ipsis Coenae Elementis statueretur. Utrobique igitur optimo haudubie gloriae Dei zelo agebatur Lutherus. Sed ut zelus non efficit, etiamsi sit optimus, quin interim simus homines ac proinde in ipso quoque zelo nostro (141) quandoque humanum aliquid patiamur, — ita, etsi in oppugnanda Transubstantiatione modis omnibus assentimur Luthero, ut organo Dei, in statuenda tamen rursus Consubstantiatione nullo modo ei possumus assentiri, etiamsi optimo illam zelo constitutam ab ipso esse haudquaquam dubitemus. Nam etsi non tantum in se mali initio visa est habere Consubstantiatio, quantum Transubstantiatio, quemadmodum sane non habet, et magnum erat praesidiario Papismi totius Deo tantum vulnus ita inflixisse, ut ab eo resurgere nequaquam possit, — tamen, quoniam ne ipsa quidem consubstantiatio ab artolatria

nos liberare prorsus potest et alios secum praeterea errores trahit, nobis illam recipere integrum non est. Videmus autem vim ipsam ac dignitatem Sacramenti in Coena sartam tectam manere, etiamsi reiectae iam Divino beneficio Papisticae Transsubstantiationi realis haec cum Coenae Elementis corporis et sanguinis Chri-(142)sti consubstantiatio non substituatur, quemadmodum sane Baptismi Sacramento nihil derogatur, cum utriusque huius Sacramenti unum atque idem sit alioqui Mysterium, etiamsi nulla istiusmodi consubstansiatio, sive Spiritus Sancti, sive sanguinis Christi cum Baptismi Elemento constituatur. Imo vero ad quem modum non solum nihil efficaciae ac dignitatis perit Coenae Sacramento, sed accedit potius, reiecto somnio illo Papisticae Transubstantiationis, ita neque oppugnata consubstantiatione quicquam omnino vel efficaciae salutaris, vel dignitatis perit Coenae Sacramento, quin potius et natura ipsa et vis et dignitas Sacramentorum sublata hac consubstantiatione asseritur et illustratur. Quodque ad artolatriam in ea ipsa corporis Christi cum pane Coenae consubstantiatione attinet, qui eam constituunt, fatentur ipsummet panem Coenae quodammodo adorabilem esse, id quod alioqui editi ipsorum libelli palam te-(143)stantur, et res ipsa loquitur, si verba Coenae illa, quae consecratoria vocant, nude ut sonant ac simpliciter accipi debeant, ipsam panis in Coenae usu substantiam oportere simul aliam esse substantiam corporis Christi, ac proinde adorandum iam Christi Domini corpus oportere etiam in ipsa panis Coenae substantia adorari. Qua equidem re offensi quidam plausibiliorem adhuc esse putarunt doctrinam Transubstantiationis, si non ei abominanda illa propitiatoriae oblationis impietas adiuncta fuisset. Neque enim in Transubstantiatione post panis evanescentiam artolatria ulla potest constitui, qua sese Consubstantiatio ipsa liberare haudquaquam potest. Non est autem huius loci nunc, errores omnes recensere velle, quos secum trahit necessario doctrina haec de consubstantiatione, quam alioqui vetus Ecclesia prorsus ignoravit, sed tres tantum attingam, ut omnes intelligant, iustissimas nos habere causas, quominus doctrinam (144) hanc de consubstantiatione recipere possimus. Primum igitur errorem esse dicimus immensitatem corporis et sanguinis Christi, quae sola alioqui longam rursus aliorum errorum catenam secum trahit et a vetere Patrum orthodoxorum Ecclesia unanimiter impugnatur. Alterum errorem esse dicimus, corporis Christi apud impios ignominiosam plane prostitutionem, quaeque illud aeterno iam prorsusque individuo coelestis gloriae splendore vivificandique virtute spoliet omnino. Tertium vero errorem esse dicimus, Sacerdocii Christi Domini obscurationem, dum, quatenus adhuc in terra corporaliter versaretur, verus sane ille Pon-

tifex dici non posset, quemadmodum Paulus ratiocinatur, qui videlicet e tribu Iuda natus, in qua nemo unquam astitit altari, factusque Sacerdos secundum ordinem Melcisedecis, ut Sacerdotii sui neque initium neque finem habeat ullum, non equidem amplius sit in terris corpore suo, sed pro (145) Sacerdotii sui prae Aaronico excellentia, relicta terra, ingressus sit post propitiatoriam corporis sui pro nobis in mortem traditi oblationem coelum ipsum, ut illic conspicuus apud Patrem suum in coelesti iam gloria post partam adversus peccatum, mortem et Satanam victoriam resideat ad dexteram Patris sui illincque demum suo olim tempore ad iudicium descensurus, a piis interea omnibus, donec ita veniat, quemadmodum visus est ascendisse, corpore videlicet suo, expectetur.

Constat ergo qua de re et quas ob causas cum Lutheranis in doctrina de Coena Domini controvertamus, nempe de reali ac substantiali panis Coenae et corporis Christi connexione seu coniunctione, quam nos, quatenus sane secundum substantiam ipsam coalescere dicuntur, consubstantiationem vocamus, et quae a nobis tota nostra conscientia recipi non potest. Sed hic nobis occinet Hosius, nihil nos reliqui facere in Coe-(146)nae Sacramento, posteaquam ab illo propellimus et Transubstantiationem suam et Lutheranam quoque Consubstantiationem. Ego vero respondeo, neutrum a nobis propelli, quandoquidem neutrum unquam vere ad ipsum Coenae Sacramentum pertinebat, sed doceri a nobis, neutrum ad Coenae Sacramentum, neque pertinuisse unquam, neque pertinere posse, cum omnium alioqui et veteris et nostrae Ecclesiae Sacramentorum dignitas atque efficacia sine utroque eorum constiterit semper et constare etiamnum possit, unde quoque perspicuum est, vanam esse Hosii calumniam, qui nos de ipso Coenae Sacramento dissidere scribit. Cum enim universum Coenae Sacramentum, ut antea quoque est dictum, in instituta a Christo Domino Mystica actione sit positum et haec istiusmodi Consubstantiatio perinde atque Transubstantiatio in nulla Mysticae illius actionis parte a Christo Domino institutae potest constitui, tantum certe (147) absunt ab ipso Coenae Sacramento et Consubstantiatio simul et Transubstantiatio, quantum eas abesse constat a Mystica per Christum Dominum instituta Coenae actione. Aut igitur Hosius commonstret eam Mysticae in Coena actionis partem, ad quam vel sua Transubstantiatio vel controversa haec inter nos Consubstantiatio referri necessario debeat, aut, si id non potest facere, temperet hic sibi a Pharisaicis suis quiritationibus, quas comprobare non potest. Dicet, per Lutheranos referri ipsorum Consubstantiationem ad institutam a Christo operativam scilicet illam verborum, quae consecratoria vocantur, pronunciationem. At vero nos

ostendimus in undecimi Alberici articuli refutatione nullam omnino posse constitui Elementorum Coenae consecrationem in ulla omnino verborum illorum per Ministrum recitatione, sed hoc esse commentum Papisticum ad erigendam ipsorum idololatriam confictum, tametsi ne (148) hic quidem Papisticae sibi constant omnino. Alioqui si in ipsa verborum illorum enunciatione omnem consecrandi, vel, ut Hosii ipsius verbis utar, conficiendi, ex pane proculdubio, corporis Christi vim positam esse volunt, cur non est valida haec ipsa verborum enunciatio, nisi per unctum atque rasum in hoc peculiariter satellitem fiat? Dicunt oportere Sacerdotali charactere insignitum esse, qui Christi Domini corpus, si Deo placet, conficere possit. At vero eadem opera vim illam conficiendi in characterem suum nescio quem ab ipsa enunciatione transferunt. Quid? quod ne ipsi quidem charactери huic suo eam potestatem tribuunt omnino, dum intentionem conficiendi corporis Christi accedere oportere docent? Nam etiamsi Sacerdos sit, ut illi vocant, qui verba illa enúnciet, non valere tamen ipsius confessionem dicunt, nisi habeat intentionem consecrandi. Produnt igitur Hosianici fucum suum operatoriae il-(149)lius per verborum recitationem consecrationis, dum eam sine charactere, ac characterem rursum sine consecrandi intentione efficacem non esse docent, nedum ut vel suam Transubstantiationem, vel Lutheranam Consubstantiationem in parte aliqua institutae a Christo Domino Mysticae in Coena actionis monstrare ullo modo possint. Atque ita simul testantur etiam, utraque haec tam nihil ad Coenae Sacramentum pertinere, quam nihil pertinent ad institutam a Christo Domino Mysticam Coenae suae actionem. Sed nondum forte quiescet Hosius, et dicet, impugnata vel sua Transubstantiatione, vel Lutherana Consubstantiatione, violari simul etiam per nos et Signum et Mysterium Coenae, ac proinde universum quoque eius Sacramentum. Respondeo, per nos nihil huius fieri, cum utraque haec nihil omnino ad ipsum Coenae Sacramentum ostendimus pertinere, sic ut et mysterium Coenae et signum etiam invio-(150)latum inconcussumque maneat, etiamsi neque de Transubstantiatione Hosianica, neque item de Consubstantiatione quicquam omnino cogitemus, sed per Hosium ac suos id fieri potius, qui, dum Transubstantiationis suae impietatem vel Deo ipso invito tueri atque urgere statuerunt, et Mysterium simul et Symbolum Coenae Dominicae violare supprimereque et inventis suis commutare conantur. Nos cum Paulo Coenae Mysterium esse dicimus nostram cum Christo Domino communionem societatemque individuam seu coadunationem aeternam in corpore et sanguine ipsius. Ideo enim Paulus nos de uno et eodem Pane in Coena participare extime docet, quod intime per fidem simus unus Panis et unum

corpus cum Christo, et invicem simul etiam sub capite nostro Christo per suam nobiscum et nostram secum in corpore et sanguine suo communionem. Hanc porro salutarem communionem nobis constare firmissime in (151) Coena dicimus, etiamsi neque de Transubstantiatione Hosianica, neque de controversa Consubstantiatione quicquam omnino imaginemur, quemadmodum et veterem alioqui Israelis Ecclesiam in suorum Sacramentorum usu vere ad salutem corpori et sanguini venturi adhuc et subsequuturi suo tempore Christi Domini communicasse et nos in Baptismo nunc nostro communicare, iuxta doctrinam Apostolicam non dubitamus. Aut ergo hic Paulum accuset Hosius, cuius nos doctrinam sequimur, — aut agnoscat, nihil decedere Coenae Mysterio, etiamsi ab illa omnem prorsus imaginationem, tam de Transubstantiatione, quam de Consubstantiatione reiiciamus. Et, si salvum nobis atque intactum manet prorsus Coenae Mysterium salutare sine ulla vel Transubstantiatione vel Consubstantiatione, si item neutra earum in Symboli Mystici in Coena parte ulla commonstrari potest, in instituta inquam a Christo Domino Mystica Coe-(152)nae actione, unde iam docebit Hosius de ipso nobis Coenae Sacramento cum Lutheranis controversiam esse? ac non potius de eo, quod iam ostendimus neque ad Mysterium, neque ad Symbolum, ac proinde neque ad ipsum etiam Sacramentum Coenae quicquam omnino pertinere. Scio quid hic Hosius et sui argutentur, tam de Pane ipso Coenae, ut eum in parte Sacramenti constituant, quam de verbo *faciendi*, ut ex Sacramento sacrificium faciant, sed nos hoc ipsorum acumen nihil omnino moramur, facileque permittimus, ut quidlibet ex quolibet comminiscantur, quemadmodum in scholis dici solet. Nimirum nobis satis est Apostolicum et Euangelicum testimonium, quo docemur, Christum Dominum, non equidem in ipsis Coenae Elementis per se, sed in Mystica illorum distributione simul ac perceptione Coenae suae Sacramentum constituisse, dum ait „Hoc facite", ut neque Panem neque Vinum Coenae in ulla Sacramen-(153)ti parte ponenda esse intelligamus, etiamsi millies per verborum recitationem consecrentur, nisi dum et distribuuntur et percipiuntur iuxta Christi Domini, mandato ipsius obfirmatam, institutionem. Tum demum enim, et non prius, in Symboli Mystici parte censentur Coenae Elementa, dum iuxta Christi institutionem et distribuuntur et simul etiam percipiuntur et quatenus ipsum Coenae Sacramentum, hoc est Mystici iam per Christi institutionem et spiritualis Panis ac Poculi Coenae participatio, est verum atque efficax Symbolum ad salutem communionis nostrae cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius, ut eis in ipso Coenae usu vere ad vitam aeternam pascamur per fidem, — hactenus sane et Panis ille iam

et Poculum Coenae in Mystica illa sui distributione et perceptione non sunt amplius nuda et vulgaria Elementa, sed sunt fidelibus omnibus vera et sacra veri etiam corporis et sanguinis Christi (154) Symbola, ut dum illis participamus, simul etiam cum eis vero illi et Sacrosancto corpori, pro nobis in mortem tradito, et sanguini Christi pro nobis fuso per fidem communicemus. De voce vero *faciendi*, simpliciter et sine sophistica iuxta usum Scripturae in argumento Sacramentario dicimus, quod, quemadmodum illam in aliorum Sacramentorum institutione accipi in Scripturis videmus, ita et in Coenae institutione accipi debeat, cum sit una atque eadem natura omnium Sacramentorum ex Divina institutione. In circumcisione custodia pacti seu mandati Divini posita erat in Mystica actione, nempe praeputii accisione, quae sane, etiamsi mandato Dei peragebatur, nullam tamen habebat, qualem nunc Papistae in Missa sua somniant, sacrificii rationem. In Coena item Agni Paschalis, dum ait Dominus, „Omnis coetus Israel faciat ipsum" nulla sacrificii propitiatoria observatio instituitur sub voce faciendi, sed tantum (155) Mystica illa a Deo imperata Agni Paschalis, per singulas familias Israelis, participatio universo Israeli praescribebatur, cum alioqui tunc in populo illo non sane quibuslibet, sed Levitis duntaxat, et quidem non per familias, sed in loco sancto ad id peculiariter designato, postea in templo duntaxat Hierosolymitano sacrificare licebat, unde etiam non equidem Aaronem, sed ipsum Mosen fide Pascha fecisse legimus apud Paulum, ut intelligamus voce *faciendi* illic, non sane sacrificium expiatorium ullum, sed ritum ipsum mactandi atque edendi Agni Paschalis, hoc est, universam Mysticam illam a Domino institutam actionem fuisse designatam. Sic in Baptismo nostro, dum ritus illius praescribitur, nullum equidem sacrificium instituitur, quale Papistae surrepto calice Coenae in Missa sua comminiscuntur, quae aliud nihil est, quam aversanda plane fidelibus omnibus Coenae Dominicae, non modo profanatio, sed blasphe-(156)ma etiam sacerdotii pariter ac sacrificii Christi ad cauponandum adhuc mortis suae salutaris meritum prostitutio, tanto etiam fraudulentior magisque exitialis, quanto speciosiorem pietatis larvam illi obtendi videmus, sed Mysticae actionis forma, tinctionis inquam in nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti, nobis imperatur. Ad quem modum igitur in aliis omnibus Sacramentis, quae in Ministerio Ecclesiae sunt posita, vox *faciendi* opusque adeo ipsum, seu praescripta a Domino Mystica actio, ad nullum omnino expiatorium Sacrificium referri ullo modo potest, ad eundem sane modum neque in Coenae Dominicae Sacramento voce *faciendi* sacrificandi munus ullum, iuxta usum ac mentem Scripturae in Sacramentario hoc potissimum argumento de-

signari posse docemus, neque hic moramur ea exempla, in quibus vox ipsa *faciendi* pro sacrificatione usurpatur, loquitur enim illic Scriptura de institutis a Domino sine contro-(157)versia publicis Sacrificiis, quae per Leviticum duntaxat Ministerium imolari debebant. Ubi sane cum opus Levitarum aliud non esset, quam Domino imolare, nihil etiam mirum est, Scripturam voce *faciendi* ipsam imolationem Domino subinde designasse. At vero iam ostendimus, longe aliam et olim fuisse in Israelis Ecclesia, et nunc multo magis esse Sacramentorum, quam Leviticorum Sacrificiorum rationem, et proinde inepte ad Sacramentorum institutionem detorqueri, quae de Leviticis sacrificiis in Scripturis leguntur. Ubi sunt igitur tot illa tantaque inter nos et Lutheranos de ipso Coenae Sacramento dissidia, quanta esse Hosius plenis buccis clamat, quorum nos quidem autores esse merito dici possimus? Quodsi dissidii autor est, qui novum aliquod dogma et Scripturis alioqui ipsis et Catholicae Christi Ecclesiae incognitum in Ecclesia invectum reprehendit, quanto maiore excitati dissidii culpa (158) tenebuntur, qui non sane novum dogma ullum, quod alioqui examinari in Ecclesia semper oportet, sed sacrum testamenti Filii Dei sigillum, non modo reprehendunt, sed, servi Domino suo maiores, violant mutant profanant sacrilegaque calicis surreptione ad erigendum, propugnandumque blasphemum suum Christoque Domino plane adversarium sacerdotium simul et sacrificium nefandissime abutuntur. Hic igitur se primum intueatur Hosius antequam nos dissidiorum nostrorum accuset, et prius se apostatici a Christo Domino dissidii et defectionis a Catholica eius Ecclesia culpa liberet, quam nos ab omni Christiana dilectione excidisse, ac proinde a verbi Divini doctrina quam longissime abesse dicat. Nos enim, ut iam exposuimus, neque ab Apostolicae confessionis fundamento Catholicaeve Ecclesiae unitate, post relictam Haeresim Papisticam, descivimus usquam, neque Symboli Apostolici caput violavimus ullum, sed et nul-(159)lius novi dogmatis, cuius fontes aliques manifestos in Scripturis et Catholicae Ecclesiae Patribus non commonstremus, autores sumus, quemadmodum gravissima istorum omnium culpa Papisticos Doctores omnes teneri ostendimus. Et in nostra cum Lutheranis de corporis et sanguinis Christi cum Elementis Coenae consubstantiatione controversia nulla prorsus ex parte violari docuimus vim ipsam ac dignitatem Sacramenti in Coena, posteaquam illam, neque ad Mysticam Coenae a Christo Domino institutae actionem, symbolum Coenae inquam, nisi quatenus Elementa quoque Coenae in ipsa actione sub parte Symboli consentur, neque item ad ipsum Coenae Mysterium pertinere demonstravimus, nostram videlicet cum Christo Domino, iam demum aeternam et salutarem communionem

in corpore et sanguine ipsius, quam Hosius et sui, aut non agnoscunt, aut, si agnoscunt, malitiose proculdubio non caelant modo supprimuntque (160), sed blasphemo etiam Sacerdotii sui sacrificio infamant ipsumque adeo corpus et sanguinem Christi in Missa sua, quod in ipsis est, et ipsimet pedibus suis conculcant et aliis conculcandum prostituere conantur. Video me proliziorem fuisse, quam putaram, in depellendis a nobis Hosii et suorum de nostris inter nos odiis dissidiisque et nostra item invidentia, calumniis, simulque etiam exponenda ipsius et creatoris sui Papae suorumque omnium apostatica in Christum Dominum et eius Ecclesiam perfidia ac coniurata conspiratione. Semel enim ad hoc respondendum erat, ut omnibus constet, meras nugas esse merasque calumnias tali alioqui caligula dignas, quibus nos et nostros omnes, non modo praeter meritum nostrum, sed etiam falso traducit. Atque haetenus de Christiana dilectione. Iam ad sextam illius argumentationem veniamus, de idololatria. (161)

Ad sextam.

Quae de idololatria nobis obiicit, sine risu legere non potui, et, quamquam bona ex parte iam quae de Luthero et Calvino confinxit refutavimus, tamen adhuc de ea quam nobis impingit idololatria dicemus. Negare non potest Hosius inter alias gravissimas nostrae a Papismo separationis causas hanc etiam non postremam fuisse, quod nos praeter Scripturas nihil omnino per quemquam constitui in Ecclesia posse professi simus, — Papa vero se, non modo supra Ecclesiam, sed supra Scripturas etiam, et supra Christum Dominum denique ipsum extulerit, dum non tam se ab Ecclesia, quam Ecclesiam a se pendere potius oportere contendit, id quod Acta ipsa Basiliensis Synodi et eorum mox abrogatio, atque Tridentinae non ita pridem Synodi Bononiam repentina translatio manifeste testantur, dum item non equidem sua menti atque consensui Scripturarum vult subiicere, sed (162) Scripturas adeo ipsas suo sensui ac consensui suaeque approbationi sub fuco Ecclesiae subiicere conatur, quae una alioqui haec Hosio causa fuit etiam, ut devota creatori suo creatura, spe maioris adhuc praemii, dignum plane et se et creatore suo libellum hunc de everso apud se et suos verbo Dei scripserit. Postremo dum suum Sacerdotium simul et venale Sacrificium Sacrosancto Christi Domini aeternoque Sacerdotio et Sacrificio impudentissime anteponit, quatenus quidem id suo et Sacerdotio et Sacrificio homo scelerosus tribuit, plenariam inquam omnium prorsus peccatorum a culpa simul et poena omni, tam inter vivos quam inter mortuos, remissionem, quod Christi Domini gratuito ac vere salutari sacrificio adeo non

permittit, ut deploratae haereseos damnet omnes, quicunque id Christo Domino tribuendum esse docent. Eas inquam nobis causas fuisse nostrae a Papismo separationis iuxta Propheticam et Aposto-(163) licam doctrinam, cum non ignoret Hosius, qua fronte obsecro nos eius idololatriae accusat, quae ei non permittat ullam nobiscum conciliationem? Hosio idololatria est scilicet, eum honorem Spiritui Sancto, Scripturarum auctori, deferre, ut sine earum doctrina, quae eadem Spiritus Sancti doctrina est, nihil neque constitui in Ecclesia neque recipi possit, et est summa Sanctulo Hypocritae pietas, Dominatum sibi in Ecclesiam, in Scripturas, denique et in Deum ipsum, sub fuco Ministerii arrogare. Habeat vero sibi et suis Hosius pietatem hanc suam, dum volet, nos in eo per Dei gratiam persistemus, ut Dominatum in Ecclesiam nullo plane modo ferendum in ullo homine, ne dicam nobis usurpandum quoquo prorsus modo aut praetextu esse statuamus, quod quidem ad cultum Dei in publico Ecclesiae Ministerio attinet. In scripturas vere Canonicas tantum abest ut nobis iuris aliquid autoritatisve censoriae arrogemus arrogari-(164) ve, non iam ab ullo uno homine seu Synodo ulla, sed ne ab universa quidem orbis totius, omnium temporum ac locorum Ecclesia etiam posse credamus, — quin potius unanimi scripturae menti ac consensui quatenus illum Spiritus sanctus, nullis alioqui locis, personis aut successionibus ordinariis ut vocant alligatus, nec quibus nos volumus, neque quando volumus, neque pro eo ac nos volumus, sed quibus ille vult, quando vult et pro eo ac vult, iuxta Divinae providentiae suae nobis incognitae consilium patefacere dignatur, nostra subiicimus omnia et, praeclaram Magni Basilii sententiam sequuti, apostaticum a fide delapsum et liquidum superbiae crimen esse docemus, aut respuere aliquid, quod in Scripturis continetur, aut quicquam omnino inducere, quod non continetur. Contineri autem dicimus, non ea tantum, quae verbis illic expressis scripta habentur, sed quae etiam per legitimum atque unanimem (165) locorum collationem peti inde velut e fontibus ac rivulorum instar deduci colligique possunt. Postremo in eo quoque Divinis auspiciis persistemus, ut cum vetere Israelis Ecclesia supplices dicamus" Omnia verba, quae loquutus est Dominus, faciemus " hoc est, debiti id officiique nostri esse profiteamur, obedire Domino Deo nostro in omnibus mandatis atque institutionibus ipsius, quatenus quidem in Scripturis sanctis, ut diximus, continentur, etiamsi neque mandatis per infirmam alioqui nostram obedientiam, neque promissionibus item per adnatam nobis incredulitatem satisfacere ad plenum unquam omnino possimus. In hac inquam, ut Hosius quidem iudicat, idololatria persistemus per Dei gratiam potius, utcunque frendat ringaturque Hosius, quam

ut illam cum Pharisaica, hoc est Christo Domino adversaria, Hosii et suorum omnium pietate, si quidem sui similes pertinaciter esse pergant, permutare ullo modo ve-(166)limus. Caeterum artificiose id agit Hosius adhibita in consilium sua Rhetorica et, cuius culpa, non dico medius, sed quantus plane est, cum suis omnibus tenetur, id ipsum in nos Sophisticae suae praesidio contorquere conatur. Non ignorat et non tam pridem rursum ex libello D. Petri Pauli Vergerii, viri sane et docti et pii, ad haec in multis et magnis rebus gerendis non vulgariter exercitati, intellexit, hanc unam etiam inter alias causam obstare, quominus conciliatio ulla in religione inter nostros et Papistas sperari expectarique possit, nempe multorum iam capitum idololatriam, cuius in Papismo plena ubique sunt omnia, quatenus sane templo Dei in Christi Ecclesia cum idolis nulla prorsus consensio socialisve eorum approbatio, neque sit omnino iuxta Paulum, neque esse etiam quovismodo possit, ac proinde Christum Dominum cum Papa Romano, simul omnis apud suos idololatriae autore et propugnato-(167)re, regnum in Ecclesia suum omni ex parte non posse retinere, nisi Papa et sui omnes, abiectis suis omnibus idololatriae, blasphemiarum atque abominationum in cultu Dei generibus, genua sua palam flectant Christo Domino illumque, abolito suo inter sese et sacerdotio simul et sacrificio, ut unicum summum atque aeternum Catholicae Dei Ecclesiae Pontificem, Regem ac Doctorem agnoscant et adorent. Haec inquam novit et iam sensit Hosius, etiamsi neque videns videre, neque sentiens sentire se fateri velit, ac proinde in nostros idipsum invertit homo, ut sibi videtur, ingeniosus, et ut se manifestae totque generum idololatriae culpa liberare non cogatur, in nos illam, si Deo placet, contorquere conatur. At vero nihil hic agit inauspicata nostra Caligula cum omnibus Apospopalis Sophistices suae praesidiis. Retorsimus enim et retorquere semper, Divino Spiritu nos docente, parati sumus in ipsum et suos omnes, non (168) huius modo quam in nostros contorquet idololatriae culpam, sed praeter infinitae idololatriae crimen apertissime etiam apostaseos ipsius a Christo Domino perfidiam coniurataeque eius et suorum in Christum Dominum conspirationis impietatem accusare, siquidem ea quae in proximi Articuli responsione et de idololatria et de apostasia et de coniurata Hosianorum omnium adversus Christi Domini sacerdotium, regnum ac doctrinam conspiratione diximus, sufficere sibi non putabunt. Os nostrum aperiet Dominus per Spiritum Sanctum suum et cor nostrum dilatabit proculdubio — fidelis enim est et verax — Hosianorum vero corda simul et ora ita coangustabit in ipsismet ad Divini nominis sui gloriam, nisi tempori resipiscant, ut neque auribus audientes intelligere, neque

ocalis videntes cernere ad salutem suam amplius, atque ita demum per poenitentiam servari etiam, iusto Dei iudicio possint. Non (169) est igitur, quod somniet Hosius de nostro ad speluncam suam reditu, neque enim canes sumus, qui ad vomitum per Dei gratiam redire unquam velimus, patiemurque facile, dum aliud non possumus, ut Reverendus Pater in suis Papaeque sui ac suorum omnium vomitionibus dilicietur dum volet, atque, Ibis Aegyptiae instar, suam ipsius illis suorumque alvos medicetur et curet. Nos neque tales medicos, neque tam speciosa remedia salutis nostrae postulamus, quibus unicus animarum medicus, Christus Dominus, unicumque salutaris doctrinae ipsius remedium abunde satis est, etiamsi nullas istiusmodi Ibes Aegyptias cum earum medicamentis admittamus. Quodsi Hosio et suis ita est constitutum omnino, ut cum Christo Domino in Sacerdotio, Regno et Doctrina ipsius, cum Spiritu vero Sancto in Scripturis sanctis, Divino alioqui afflatu proditis, belligerari atque ita demum Deo ipsi pares, aut ei maiores etiam esse (170) velint, accumulent sibi ipsi iram Dei in die irae, quantum volent, sordescant magis ac magis adhuc qui sordent, et in Diabolica hac sua obstinati atque excaecati cordis impietate obrigescant, — nos sane nobis nullam omnino cum illis hac in parte communionem esse palam testamur et testabimur in aeternum, nedum ut, cum eis in eodem idololatriae, rebellionis apostaticae et abominationis barathro esse velimus. Atque hoc sibi responsum habeat Reverendus Pater Caligula, de praepostera quam nobis obtendit idololatria nostra et sua exsecranda pietate, ad quam nos, ut poenarum ipsius una cum Magistro suo Diabolo participes simus, revocare frustra conatur.

Ad septimam

Hosii eamque ultimam et in qua sibi mire placet argumentationem de Templi Hierosolymitani Pinnaculo et Diabolica illic tentatione superest, ut iam respondeamus. Atque (171) hic observari velim a piis omnibus acumen Hosianicae Theologiae. Fingit, pinnaculum templi illius, non modo typum fuisse Ecclesiae Christi, sed etiam arcem quandam omnis doctrinae ipsius, et, ut nugamentum hoc nobis commendet, autorem illius facit Vincentium quendam Lirinensem, quem ideo alioqui Ambrosio parem vult haberi, quod eum synchronon seu aequalem illi fuisse dicit, quasi vero, cuius aliquis aequalis fuit, parem illi iam demum etiam fuisse oporteat. Sed unde quaeso pinnaculae illius Hierosolymitanae ad Christi Ecclesiam analogia? Christus Templum ipsum domum precationis vocat, quod extra templum illud typicum neque invocare Dominum publico tunc

Ecclesiae ministerio, neque oblationes offerre ullas liceret, ac proinde typo hoc suo Catholicam nobis Christi Ecclesiam adumbraret, extra quam alioqui neque salutaris invocatio ulla, neque verus Dei cultus, ac ne salus quidem ulla haberi posset. Rur-(172)sus in Templo illo institutum a Domino habebatur typicum Sacerdotium et typicum Ministerium, quod typica etiam locorum ac temporum discrimina habebat, quae omnia typis suis veri atque aeterni Sacerdotii ac Ministerii Christi expectationem in Catholica eius Ecclesia adumbrabant. Haec inquam testabantur, Templum illud typum fuisse olim Catholicae Christi Ecclesiae, cuius videlicet bona pars in populo Israelis illo Divina ordinatione constituta iam erat. Quid vero horum simile nobis Hosius cum suo illo Lyrinense in typico, si Superis placet, Pinnaculo suo illo commonstrabit, ut illud typum Ecclesiae Christi fuisse probet? Ubinam extat mandatum Dei ullum, ut se quisquam vel ad invocationem, vel ad Dei cultum in Pinnaculo illo sisteret, ad quem modum clarissima Dei mandata extant de sistenda certis temporibus in Templo ipso universa illa Ecclesia Israelis? Ubi erat item ullum Pinnaculi Sacer-(173)dotium aut Ministerium, quale et in Templo ipso tum, et nunc in Christi Ecclesia a Domino institutum videmus? Quid? quod nemo unquam Pinnaculum illud conscendisse, autore Deo, legitur, cultus alicuius Divini illic peragendi gratia? ita ne Christus quidem ipsemet Dominus, qui templum alioqui ipsum, iuxta Patris tunc sui ordinationem, saepenumero frequentabat, praeterquam dum, Satanae tentationibus nostra causa expositus, ab ipsomet Satana illic constitutus esset. Hosio igitur in Lyrinensis sui gratiam, Pinnaculum templi typici typus erit etiam Catholicae Christi Ecclesiae, etiamsi cum illa nullam omnino convenientiam haberet. Dicet, in parte Templi Pinnaculum quoque censeri. An vero quia Pinnaculum pars templi erat, ideo iam pro typo Ecclesiae Christi, periude atque templum ipsum, habendum erit? tametsi neque in enumeratione partium templi Pinnaculi mentio fiat ulla et certo doceri non potest, (174) eadem forma rursus instauratum fuisse templum ipsum post migrationem Babylonicam, qua initio iuxta Davidis praescriptum per Solomonem instructum erat. Videat autem Hosius, quantam habeat convenientiam seu proportionem Pinnaculum cum ipso Templo, siquidem templi potissimum praetextu pro typo Ecclesiae sit habendum. Quatenus enim Pinnaculo cum templo convenit, hactenus sane illi et cum Christi Ecclesia convenire existimandum erit. Templum locus erat precationi et Ministerio Ecclesiastico ac coetui populi destinatus ex Divina ordinatione. Pinnaculum locus erat ad templi ornamentum extructus, sed quo Satan abusus est, commodumque sibi esse iudicavit ad tentandum eos, qui ipsius ten-

tationibus Christi exemplo exponuntur. Templum locus erat doctrinae salutaris ex verbo Dei. Pinnaculum locus erat doctrinae exitiali a Satan electus de nostri ipsorum praecipitati-(175)one. Templum locus erat ad cultum Dei deputatus mandato Dei. Pinnaculum, locus erat, in quo potissimum Satan Ecclesiam Dei, in capite illius Christo Domino, ad tentandum Dominum Deum sollicitare conabatur. Haec forte tam praeclara Pinnaculi cum Templo ipso convenientia in causa Hosio fuit ut Pinnaculum Templi Hierosolymitani typum faceret Ecclesiae Christi. At vero aptius multo Pinnaculo hoc suo adumbratam fuisse dixisset Antichristianam Papae creatoris sui sedem, quam ille sibi, veluti arcem quandam suae tyrannidis, supra ipsam Ecclesiam in culmine ipsius, loco videlicet sancto, constituere ad tentandum Deum iramque eius provocandam conatur. Habeat sibi igitur Papa, creator et Deus Hosii, cum universo suo satellitio adumbratam Pinnaculo sedem suam, in qua per Satanam ad iritandum tyrannide sua Deum premendamque eius Ecclesiam collocatur, et in qua cum asseclis suis (176) aliud nihil expectet, quam certissimum ad aeternam condemnationem praecipitium, ad quod alioqui Satan, non alio sane loco praeterquam in Pinnaculo, ipsummet Christum Dominum sollicitabat. Nobis satis est intra Dei Ecclesiam esse, quamlibet nos infimo in ea loco Dominus habere velit, nec pinnas illius tectave scansilia ulla moramur, ut in eis Satana autore ad dominandum e sublimi Dei Ecclesiae collocemur, illicque nos demum Satanae tentationi ad aeternam praecipitationem exponamus. Nihil ad nos tentatrix illa Satanae vox poterit ullo modo pertinere, quae in Pinnaculo duntaxat sonasse legitur, si nos illic per Satanam statui per Dei gratiam non patiamur, nedum ut nostra doctrina ad eam Satanae tentationem referri per Hosium quoquomodo possit. Sed potius ipsemet Hosius Satanae se administrum ac satellitem eo ipso esse declaret, quod universam Patriae nostrae Ecclesiam ipsumque adeo Politi-(177)cum sub Christo illius caput, Regiam Maiestatem inquam Dominum nostrum Clementissimum, in Pinnaculo ipso ad audiendam Satanae vocem subeundumque praecipitiationis periculum collocare insidiose conatur. Illud sane ridiculum est prorsus, quod vocem Satanae ab iis audiri non vult scilicet, quos ipsemet illic collocat, ubi potissimum tentatricem illam Satanae vocem et sonare ipsemet et audiri fatetur, quasi non multo sit tutius a scandendo loco illo omnes modis etiam omnibus dehortari, in quo fieri alioqui non potest, quin exitialis Satanae vox sonet assidue et audiatur. Quid? quod secum ipse in verbis suis pugnat mendacemque suam impudentiam ipsemet nusquam non prodit? Primum nos e Pinnaculo suo illo excidisse ita fingit, ut nos ab eo plane excludat, in quo nos alioqui

nullum nobis locum relinqui postulamus. Deinde vero, veluti sui oblitus, Regiae nos Maiestati tentatricem illam Satanae vocem (178) perpetuo occinere in Pinnaculo ipso scribit. Equidem et hic sanctulum istum Caligarium magis aliquanto memorem esse oportebat, si fidem verbis suis haberi volebat. Quo pacto enim a Pinnaculo prorsus excludimur, si illic verba Satanae Regiae Maiestati perpetuo occinimus? Aut quo pacto occinimus, si nullum omnino locum nobis illic, Hosio ipsomet iudice, reliquum habemus? Ita nimirum in re tam seria scurriliter ludit Reverendus pater, in qua alioqui et Regiae Maiestatis et Regni totius universaeque adeo nostri temporis Ecclesiae tranquilitas salus ac dignitas maxima ex parte versatur. Sed multo magis scurrile est adhuc, quod de se ipso in tam praeclari libelli sui appendice scribit, ubi, commemoratis Regiis in se beneficiis suaque vicissim in Regiam Maiestatem fide studioque ac de salute ipsius incredibili solicitudine, quam summis videlicet laboribus sumptibus ac periculis suis approbasset (179), operam quoque deinceps suam ita praeterea offert, ut et in Pinnaculo ipso assiduum se dehortatorem fore testetur, ne eius Maiestas tentatricem ex nobis illam Satanae vocem audiat. Et etiamsi id cavere forte non posset, Maiestasque iam Regia, doctrina nostra persuasa, praecipitem sese e Pinnaculo ipso dare vellet, tum se nihilominus tamen, obiecto ex imo ad elidendam lapsus regii vehementiam corpore suo excepturum se illum in praeceps iam ruentem, mortis etiam suae periculo, pollicetur. Quo pluribus enim magisque servis verbis fidem studiumque suum in Maiestatem Regiam commendare conatur, hoc sane magis etiam seipsum vanitatis scurrilitatisque suae infamat, dum in eo quod tam serio commemorat et pollicetur, sibi ipse non constat. Quo pacto vero sibi, in eo quod promittit, constare potest, dum rem ita tractat, ut neque esse amplius in ipso Pinnaculo, neque non esse etiam videri omnino possit? (180) Dum enim dehortatorem se fore Maiestati Regiae asseverat, ne in doctrina nostra scilicet tentatricem illam Satanae vocem audiat, aperte satis innuit, se eodem ipso loco cum sua Maiestate, nempe in Pinnaculo ipso praesentem omnino adesse oportere. Rursum vero dum ruentem iam alioqui in praeceps Regem submisso illi corpore suo excepturum se esse promittit, equidem se ipsemet, non iam in Pinnaculo amplius, sed in imo nobiscum solo etiam versari oportere testatur. Certe quatenus dehortatorem se Regi fore pollicetur, ne se praecipitem e Pinnaculo ipso demittat, hactenus proculdubio alterum quod scribit praestare haudquaquam potest, nempe ut ruentem in praeceps Regem submisso illi ad lapsum elidendum suo corpore excipiat. Ac rursum, quatenus Regem, ut dictum est, ruentem vere se excepturum esse affirmat, hactenus sane priori suae

illi de arcenda a Rege tentatrice Satanae voce promissioni fidem ipsemet ab-(181)rogat, nt facile appareat, cum aliud nihil quam verba eaque invicem pugnantia in re alioqui tanta Regiae Maiesiati dare, quod dicitur, ac proinde illam quoque fallere voluisse. Quodsi in fidei solicitudinisque suae pro salute Regia commendatione ita scurriliter nugatur, quidnam ab eo vel operae vel opis vel consilii sit omnino expectandum in regni totius circa religionem pacificatione post communicata praesertim iam recens cum Papa suo consilia, facile id secum prudens quisque cogitare potest. Ut interim taceam, quod se ipsemet eius ipsius quam a nobis damnat a Pinnaculari sua Ecclesia defectionis imprudens accusat. Negare enim non potest, se quoque, perinde atque nos omnes, in imo solo versari oportere ac proinde a Pinnaculari etiam illa Ecclesia excidisse, ut ruenti, si Deo placet, Regi opem ferat, nisi arte quadam Daedalea, alas sibi nescio quas applicet, quarum praesidio scilicet propter Episcopalem su-(182)um forte characterem, devolare dum libet, et quidem celerius quam vel Rex ipse possit ruere, ac rursus, dum libet, subvolare queat, etiamsi Daedaleas istiusmodi subvolationes Apostolica non novit Ecclesia, quae omnes in genere, qui praesertim scientes ac volentes ab ipsa avolant, ad se nihil pertinere testatur, nedum ut Hosius integrum sibi fore imaginetur, revolare rursum ed Pinnacularem suam Ecclesiam, a qua semel devolavit, praeterquam si eam ipsemet longe ab Apostolica diversam esse tandem fateri velit. Quin potius id secum cogitabit, se, dum utraque sella, quod aiunt, sedere cupit, in neutra permansurum esse, et nos quidem, dum talis est, adiungi illum nobis non postulamus. Papa vero, si intelligat et hic nobis in imo solo, relicto ipsius Pinnaculo, Ecclesiam nihilominus Dei permitti, haud scio an non eodem ipsum loco nobiscum sit ad extremum habiturus. Sed nobis nihil ad Papam sedemque Apostaticam (183) ipsius, tantum obiter indico futilitatem hominis, qui et quod negavit, affirmat, et quod affirmavit, negat. Affirmavit antea, nos a Pinnaculari sua Ecclesia excidisse atque in imo solo iam versari. Nunc rursum nos illic statuere conatur, ut tentatricem illam Satanae vocem de praecipitatione occinere possimus. Atque item cum se in imo nobiscum esse antea negasset, sed se in Pinnaculo dehortatorem Regi fore promitteret, nunc rursum ut Regi in praeceps ruenti succurrat, non equidem amplius se in Pinnaculo, sed imo iam nobiscum solo esse testatur. Nimirum ita per ipsummet prodi oportebat scurrilem prorsus hominis levitatem et incogitantiam, ut aut se ipsum unius eiusdemque criminis culpa nobiscum contaminaret, nempe defectionis ab Ecclesia, quam ipse per Pinnaculum adumbrari fingit, — aut nos secum alioqui omni hac in parte culpa liberaret, siquidem et ipse,

relicto suo illo Pinnaculo atque in imo pariter no-(184)biscum versans, in Ecclesia se nihilominus esse et pro membro illius haberi oportere contendit. At vero nos adeo nihil movent Hosii et Papae sui condemnationes omnes, quibus alioqui Deum ipsum iuxta Propheticam doctrinam benedicturum esse nihil omnino dubitamus, ut maledicta ac praeiudicia talium omnia in laude nostra coram Domino ponamus, deque illis maiorem nobis in modum gratulemur, et Domino Deo nostro suppliciter gratias agamus, quod nos eo loco habere velit, ut pro salutaris doctrinae suae puritate, veluti reiectamenta mundi huius contemnamur proscindamur damnemur et diris omnibus devovemur, illi laus et gloria pro omnibus. Amen.

Atque haec sunt fere omnia, quibus totus hic Hosii libellus niti potissimum videtur, quae videri quidem nonnullis speciosa possunt, habent enim semper simi-(185)les labra lactucas, sed quae nos interim eiusmodi iam esse Divino beneficio ostendimus, ut non solum nihil adversum nos doctrinamque nostram faciant, sed et culpam insuper omnem in ipsummet autorem, qua nos gravare ille per suam hypocrisim volebat, transferant ac derivent. Adiicit tamen sub ipsum libelli finem adhuc veluti extremum quemdam aculeum, nempe non esse querendam apud nostros usquam veram Ecclesiam, ac ne apud eos quidem, quibus alioqui aequior nescio quo modo videri cupit, quos interim, quia se doctrinamque suam Augustanae Confessionis nomine atque auctoritate communiunt, pro Episcopali scilicet sua modestia, Confessionistas vocat, reiectisque et nostris pariter omnibus, et qui se Augustanae Confessioni adhaerere profitentur, eo tandem redit, ut in qua Ecclesia et nati et renati sumus, in ea nobis etiam potius permanendum omnino esse statuamus, quam ut aliam inter eos quaeramus, qui de illa (186) inter seipsi ambigunt atque alii alios invicem ab Ecclesia ipsa excludunt et arcent. Et hic extremus igitur Hosii aculeus nobis retundendus ita erit, ut omnibus constet, ipsummet Hosium eo ipso aculeo sese configere, quo nos pungi posse putabat. Etenim si vocis huius ambiguitas tollatur, cuius fucum Hosius perpetuo obtendit, nempe Ecclesiae, facile quisque intelliget gravius multo Hoisum ipsum, quam nos, suo ipsius aculeo pungi planeque configi. Recipimus igitur, quaerendam non esse veram Christi Ecclesiam apud eos, qui de illa ambigunt, aut sese invicem illius nomine condemnant. Recipimus item, ut in qua Ecclesia nos certo natos et renatos esse constat, in ea perpetuo maneamus. Quin hoc praeterea addimus etiam, ex nulla hominum qualiumcunque tandem concordia metiendam aestimandamque esse Dei Ecclesiam

nisi concordiam illam vero ac legitimo Ecclesiae fundamento inniti totam, et non equidem (187) hominum, sed Dei solius gloriae servire liquido constet. Addimus item, non tantum nobis in ea Ecclesia permanendum esse, in qua Divina benignitate et nati et renati sumus, sed esse hoc etiam debiti officiique nostri, ut quocunque tandem modo, tempore atque autore ab illo nos declinasse videmus, ad eam nobis rursum protinus abiectis remoris omnibus recurrendum omnino esse intelligamus. Quare adeo nos nihil pungit extremus iste Hosii aculeus, ut eius mucronem etiam exacuendum nobis adversus Hosium ipsum esse putemus. Quodque ad non quaerendam apud eos Ecclesiam primum attinet, qui suam omnem doctrinam Confessionis Augustanae nomine atque autoritate communiunt, si propter illorum inter sese contentiones et praeiudicia Ecclesia apud eos quaerenda non est, quo pacto eam apud suos quaerendam esse dicit Hosius, apud quos nihilo equidem minores, ne dicam graviores multo contentio-(188) nes, condemnationes atque mutuas invicem exsecrationes haberi constat, quam nunc inter nostros pariter sine exceptione omnes ullo modo, ut ostendimus, reperiri queant, id quod alioqui nobis etiam tacentibus, non privata modo inter summos Papismi propugnatores, Scholasticos, dissidia, sed publicae etiam legum apud eos aliarum per alias, Paparum item per Papas et Conciliorum per Concilia abrogationes condemnationes et execrationes in ipsorummet monumentis locupletissime testantur. Suo ipsiusmet aculeo igitur hic sese configit Hosius, quo nos pungere Rhetorices suae artificio volebat. Iam si ne propterea quidem et apud nostres et apud Papistas etiam omnes quaerenda est Ecclesia, quod nulla utrobique dissidia reperiri possent, sed quod omnis homo ex sese mendax est et veritas mendacio fulciri non potest, Ecclesiaque ipsa est proculdubio fulcrum Divinae veritatis, quae ut ex hominibus pendere non potest, ita (189) et fulcrum illius in hominibus ullis omnino quaeri quoquomodo, neque debet, neque etiam potest, — liberet se hic igitur a suo ipsius aculeo Hosius, ne exacuto paululum illius mucrone ita configatur, ut tandem agnoscat, perinde non esse quaerendam apud se suosque omnes Ecclesiam, atque illam apud nostros quaerendam non esse docet. Dicet, ubinam igitur quaerenda erit Ecclesia, si nusquam apud homines quaeri possit? Respondeo, ibi esse quaerendam, ubi eam Deus verax et non homo mendax, dato nobis in carne nostra unigena illo filio suo, pro sua misericordia collocavit, nempe in fundamento ipso, ore Petri proditae Apostolicae Confessionis, in quo nimirum fundamento et Petrum et Paulum aliosque Apostolos omnes et Catholicam adeo Dei intuemur Ecclesiam, non autem fundamentum ipsum in Petro, qui mox ab ipsomet alioqui Christo Domino Satan dictus est, ullove alio

homine, nedum in Hosio eiusve creatore Pa-(190)pa Romano. Etsi autem ore Petri prolatum sit fundamentum illud Apostolicae Confessionis, cum tamen Christus ipsemet Dominus illam, non equidem a carne et sanguine, hoc est humanae ullius in Petro industriae ac prudentiae iudicio, sed ab ipsa Patris Dei revelatione Divina profertam esse testetur, non sane eam pro humana iam Petri aliorumque Apostolorum confessione, etiamsi ore hominis Petri prolata est, atque etiamnum ore hominum per publicum Ecclesiae testimonium commendetur, sed pro Divina prorsus Spiritus Sancti voce ac doctrina, in qua alioqui Deus ipsemet Spiritus Sancti afflatu et mentem et linguam Apostolicam gubernabat, amplectenda nobisque in illa omnibus consistendum esse affirmamus. Intuenda igitur nobis esse in fundamento ipso membra Ecclesiae omnia, non autem Ecclesiam apud ullos omnino homines quaerendam esse dicimus, ut ex illis eam metiamur atque aestimemus. Neque hic (191) moramur titulos, quos nobis Hosius e cordis sui Pharisaici abundantia tribuit. Nos in nullius usquam hominis verba iuramus, neque quemquam eorum per quos profecimus, pro patre, magistro ac capite nostro agnoscemus, nedum ut eorum nominibus appellari velimus. Sed Hosius, Papae suo iuratus, ad quem modum illum pro Patre, Magistro, Capite, denique Domino ac Creatore suo agnoscit, ita et nos ad eandem hominum servitutem, a qua Divino alioqui beneficio liberati iam sumus, retrahere conatur. Nobis porro satis est unicus Pater ille ac Magister in coelis unicumque ac aeternum caput nostrum, Christus Dominus, in cuius nomen baptizati sumus. Et, quanquam in electis Dei viris illis omnibus, per quos Dei benignitate profecimus, multa et praeclara Dei dona reverenter agnoscimus, amplectimur et assidue pro illis gratias Domino Deo nostro agimus, tamen, quoniam, Apostolico edocti testimonio, (192) omnes eos, qui positum semel Confessionis Apostolicae fundamentum amplectuntur et retinent, unum esse iam hominem in Christo, quibuscunque tandem nominibus designentur, non dubitamus, in ipsum nobis Ecclesiae fundamentum oculos potissimum nostros esse defigendos existimamus, in quo sane, ut non est neque Graecus neque Barbarus, neque item Pauli, Cephae aut Apollos quisquam, ita neque Lutheranum deinceps Zwinglianumve aut Calvinianum in eo quenquam appellamus, sed unum duntaxat Christum Dominum — omnia in omnibus illis — intuentes, ab illo omnes uno nomine Christianos appellamus. Sicque ex ipso fundamento, superstructum illi aedificium quatenus ei respondet, non autem fundamentum ex aedificio, quod et ventos et imbres, nisi solido nitatur fundamento, perferre alioqui sustinereque non potest, metimur et aestimamus. Recipimus igitur, non esse quaerendam apud nostros, veluti quae-(193)dam capita, Ecclesiam, sed addi-

mus, minus multo quaerendam esse apud Hosium et suum Papam, utcunque sese supra omne id quod dicitur Deus aut Numen efferre conetur.

Iam de ea in qua nati et renati sumus Ecclesia, ad eundem modum respondemus, modo Hosius ostendat, quaenam sit ea Ecclesia, in qua nos ipse manere oportere affirmat. Fatemur enim et nos, non solum esse nobis manendum in ea Ecclesia, in qua nati et renati sumus, sed protinus etiam recurrendum ad illam, simul atque nos ab ea quoquomodo declinasse animadvertimus. Caeterum commonstrari oportet eam ipsam Ecclesiam, ne fucum speciosi tituli causae nostrae falso obtendamus. Nos igitur eam Ecclesiam, in qua gignimur ac regignimur, non aliam esse credimus, quam eam, quae nobis et Scripturae sanctae testimonio et Symboli Apostolici Confessione commendatur, nempe Catholicam, hoc est omnium temporum, ab Ada (194) usque ad seculi consummationem, et omnium locorum, ut nulli certo loco aut genti ne dicam ullis personis, aut earum qualicunque praerogativae seu successioni ordinariae alligetur. Nimirum cum extra hanc nulla sit alia Dei Ecclesia, et, qui in illa nascuntur, ab aliis extra illam natis per Paulum Apostolum discernuntur, cum item unicam hanc et aliam nullam Ecclesiam una etiam fide unoque regenerationis nostrae obsignaculo, Baptismo inquam, praeditam ornatamque esse constet, perspicuum est, omnes, quicunque in Dei Ecclesia natos se ac renatos esse gloriari volunt, fateri oportere, se, intra eam ipsam, unam sanctam catholicamque Ecclesiam, et non alibi usquam, natos ac renatos esse in Christo Domino ad vitam ac salutem aeternam, — ac proinde iuxta Hosii ipsiusmet doctrinam in Catholica hac Dei Ecclesia nobis omnibus permanendum esse fatemur, denique et ad illam mox omni contentione recurrendum, qua-(195)cunque parte ab illa nos declinasse videmus. Imo vero debiti id officiique omnium gentium esse praeterea dicimus, ut se ad eius ipsius Ecclesiae aggregationem adiungant, si id ullo modo facere queant, ne olim cum fatuis virginibus illis ab aeternis coelestis gloriae nuptiis excludantur. Quare si ex animo sentit, quod scribit Hosius, aut ostendat, extra hanc Ecclesiam Catholicam nasci nos ac renasci ad salutem posse, aut si id non potest, cogitet, quod aliis suadet, idem sibi etiam praestandum esse, nempe ut, deserta Apostatica Papae sui Ecclesia, ad eam redeat, in qua sola ad salutem omnes et nasci et renasci constat. Ostendimus enim in nostris ad primam et quintam Hosii argumentationem responsionibus, Papam cum iurato suarum creaturarum omnium satellitio nihil omnino commune habere cum Catholica Ecclesia Christi, sed esse apostaticam furum et latronum speluncam, quemadmodum Christus (196) ipsemet testatur, in qua interim per adnatam

nobis infirmitatem ac inscitiam adhue plerique haerent, Papisticis fascinati praestigiis, relicturi illam proculdubio, si eius impietatem atque abominationem magis aliquanto cognitam perspectamque haberent. Nihil igitur nos pungit extremus iste Hosii aculeus de non quaerenda apud nostros Ecclesia, sed ut in ea, in qua nati ac renati vere sumus, omnino permaneamus, quin potius Hosius ipsemet suo se isto conficit aculeo, quem nobis oblique infigere volebat.

Iam ergo perspicuum est, Illustris ac Magnifice Domine! admotos adversum nos doctrinamque et Ecclesiam nostram ab Hosio arietes omnes non solum nullum vim nobis inferre ullo modo posse, sed etiam pro nobis contra Hosium ipsum facere, si quis rem propius expendat. Tuae vero (197) Celsitudini potissimum responsionem hanc meam dicare volui, cum propter veterem meam in te observantiam, tum quod tecum ea de re semel atque iterum colloquutus intellexi, me doctrinamque meam apud te etiam peculiariter per Hosium traductam esse. Ut enim tibi me pro tuis in me beneficiis plurimum debere fateor, ita tibi prae aliis etiam cupio nostra probare omnia, ac proinde eximendam mihi apud te imprimis quoque esse existimavi omnem de doctrina nostra dubitationem. Hac accessit etiam, quod Tuam nobis autoritatem, qua in Patria hac nostra pro multis et praeclaris in illam meritis tuis Proceres Regni omnes merito antecellis, maximo adiumento in promovenda verae religionis verique cultus Divini instauratione fore non dubitamus, sub ea praesertim rerum quam videmus nostrarum hic facie, quae certe eiusmodi est, ut pios omnes et quibus ipsa alioqui Patriae salus cordi est (198) ullo modo, excitare merito deberet ad quaerenda salutaria undecunque remedia adversus impendentem proculdubio toti nostrae Patriae calamitatem, quae iam ferme in ipsis foribus esse videtur. Nec multis opus est, ad depingendam rerum nunc nostrarum faciem, nulli non alioqui expositam, qui modo caecus non sit prorsus, aut quod est gravius, videns videre nolit. Eo iam ventum est, ut de Deo rebusque Divinis in aula agere colloquique non liceat, de Satanae vero artibus praestigiis atque imposturis disceptare in deliciis habeatur. Accusant hic plerique Regiae Maiestatis negligentiam, sed maior est multo eorum culpa, qui probitate Regia ad eam rem improbe atque impudenter abutuntur. Equidem istorum improbitatem atque impudentiam reprehendi potius, denique et cohiberi in Senatu oportebat, quam Regiam Maiestatem negligentiae accusari, quam praesertim Maiestas sua nihil se sine Senatus au-(199)toritate statuere hic, neque velle pro sua probitate Regia, neque etiam posse propter leges Patrias, testetur. Inter

Proceres nihil fit aliud fere, quam quod alii alios culpant atque accusant, et, ubi una convenerunt, invicem sibi blandiuntur, laudant se invicem et sua sibi invicem officia pollicentur, quasi vero vel accusationes istiusmodi, vel simulata amicitia quicquam prodesse possint ad repetenda pericula, quibus Patriam universam expositam plane esse videmus, ac non potius quisque pro se, etiamsi per neminem adiuvetur, praestare ea debeat, quae vocationis suae rationes alioqui et Divino pariter et humano iure postulare videntur, tam in admonenda Maiestate Regia debiti officiique sui Regii, quam in reprehendenda aliorum Procerum incuria et mutua inter ipsos invicem simulatione et dissimulatione, — ut interim de iudiciorum circa religionem varietate ac praesumptione taceam, quasi vero nos Deus ad conciliorum (200) suorum societatem de cultu suo doctrinaque sua, ut cum eo deliberemus, vocarit, non autem obedientiam ipsam a nobis, ut Dominus noster a servis suis, exigat ac requirat, — ut item taceam de adversariorum nostrorum technis vafricie arrogantia et conatibus variis, quibus nisi tempori obviam et quidem prudenter eatur, metuendum est profecto, ne tantas Patriae toti turbas excitent, quantae ab hominum memoria apud nos nunquam fuerunt. Ipsa igitur rerum nostrarum facies movere nos merito omnes deberet, ut ad placandam Dei iram in restituendo vero Dei cultu animum, positis affectibus omnibus, adiiceremus, praesertim vero si non domesticam tantum intra ipsum Regni corpus confusionem maioremque in dies animorum exacerbationem inter omnes passim, sed externorum quoque bellorum molem nobis imminentem propius intueri velimus. Deus Optimus Maximus, cuius causa hic (201) agitur, effundat Spiritum suum in corda suorum omnium illaque luce sua ita illustret, ut a veritate discernant mendacium excitetque illa Divino afflatu suo, ut, agnita veritate Divinae doctrinae, quatenus Deus solus verax est, humana illi mendacia ne admisceant in cultu Dei doctrinaeque Apostolicae puritate retinenda, nedum ut mendacia veritati ac luci tenebras in suam ipsorum condemnationem anteponant. Hanc enim unicam ac praecipuam nostrae omnis ruinae et condemnationis causam esse testatur Christus ipsemet Dominus, quod post exortam lucem suam tenebras illi nostras, nostrae inquam rationis industriam ac iudicium, anteponamus, quod ipse alioqui excaecaturus sit iusto suo iudicio, si nos illud in rebus potissimum Divinis caecum prorsus esse fateri nolimus.

FINIS.

[ABSOLUTA DE CHRI-

STI DOMINI ET CATHOLICAE EIUS ECCLE-

SIAE SACRAMENTIS, TRACTATIO,

Autore Henrico Bullengero.

Cui adiecta est eiusdem argumenti]

EPISTOLA,

per Ioannem à Lasco, Baronem Poloniae

ante quinquennium scripta.

[Accessit rerum ac verborum copio-

sus index.]

1 Cor. 10. *Non potestis mensae Domini participes esse, et mensae Daemoniorum.*

LONDINI

excudebat Stephanus Myerdmannus.

An. 1551. Mens. April.

Cum Privilegio ad imprimendum solum.

EPISTOLA

IOANNIS à LASCO

ante Quinquennium ad amicum quendam scripta, continens in se summam controversiae Coenae Domini breviter explicatam.

PETIS a me, ut tibi paucis exponam nostrae hic doctrinae de re Sacramentaria summam omnem simulque et controversiae partes praecipuas, quae inter multos nunc eadem de re agitatur. Ego vero doctrinae quidem nostrae summam libenter tibi indicabo, ut illius certam a nobis rationem habeas, ad quam alioqui reddendam parati semper atque expediti esse debemus. Caeterum controversia de Sacramentis nunc exorta latius patet, quam ut paucis exponi possit, et ego alioqui, ut illam exortam esse vehementer doleo, ita eam, si verum fatear, non (110b) libenter attingo, nedum ut illius mihi censuram sumere velim. Quum tamen ea est tua apud me autoritas, ut tibi petenti non facile aliquid negare possim, faciam et hoc, ut tibi et controversiae ipsius rationem, et quibus quaeque pars argumentis nitatur quanto possum compendio exponam, — tu interim pro tuo in me amore et brevitatem et infantiam hac in parte nostram boni consules.

Quod igitur ad doctrinam primum nostram attinet, docemus de Sacramentis in genere, Sacramenta esse Christi institutiones, Ecclesiae suae in hoc potissimum traditas, primum ut illarum usu legitimo Ecclesia tota in salutari cum Christo Domino communione, per quam solam, dum fide apprehenditur, iusti sumus, obsignetur. Deinde ut simul admoneatur etiam, debiti iam sui esse, ut eius ipsius communionis cum Christo imaginem exprimat, in cuius fide obsignatur. Huius doctrinae fontes ex Paulo Apostolo petimus, qui, de circumcisione disserens, illam et obsignaculum iustitiae fidei vocat, qua nostra cum Christo communione constat, et cordis per eam circumcisionem, ut illius perpetuo admoneamur, designari docet. Porro ut est unus atque idem ab (111a) aeterno et in aeternum Deus, unum atque idem salutis nostrae medium, nempe meritum mortis Christi, una item atque eadem perpetuo illius fides, — ita omnia etiam Sacramenta et veteris et nostrae Ecclesiae unum atque idem in virtute et mysterio Sacramentum esse docemus, etiamsi symbolis atque elementis suis varient, nisi quod veteris Ecclesiae sacramentis communio cum venturo adhuc Christo Domino iuxta promissiones, nostrae vero Ecclesiae sacramentis cum exhibito iam Christo communio autore Spiritu Sancto obsignetur. Sic enim Paulus et veterem Ecclesiam baptizatam esse et eandem nobiscum escam edisse idemque bibisse poculum docet, ac nos rursum circumcisos esse Paschalemque Coenam habere diserte testatur. Iuxta hanc igitur doctrinam

et de Baptismo et de Coena Domini, posteaquam sunt Sacramenta, docemus, — ac Baptismo obsignari dicimus in Ecclesia Christi nostram, hoc est fidelium omnium et eorum seminis, cum Deo Patre, Filio et Spiritu Sancto communionem ex Christi Domini institutione, dum nos in nomen Patris, Filii et Spiritus Sancti baptizari iubet, ad quam equidem communionem cum et (111 b) infantes nostri pertineant — est enim Deus nostri quoque seminis Deus — ad obsignandam hanc infantium quoque nostrorum cum Deo communionem in Christo, infantes etiam nostros baptizamus. Docemus item perinde esse, sive nos in Christo duntaxat, sive in Dei simul et Patris et Filii et Spiritus Sancti nomen baptizari dicamus, cuius enim in Christo Domino communio in baptismo obsignatur, is et a Patris Dei ac Spiritus Sancti communione excludi haudubie non potest. Praeterea docemus Baptismo nos per omnem vitam admoneri, ut in quorum communione usu illius obsignamur, eorum imaginem in nostra etiam conversatione coram Ecclesia exprimamus, et dum in communionem mortis, sepulturae ac resurrectionis Christi nos baptizatos esse non ignoramus, mortis etiam sepulturaeque ac resurrectionis Christi imaginem aut similitudinem in nobis aliquam pro summa virili nostra ostendere conemur, quemadmodum Paulus docet. Haec, inquam, de Baptismo docemus atque ita de illo populum institui satis esse putamus.

Ad eundem modum docemus et de Coena Domini, ac dicimus, Coenae usu obsignari nostram cum (112 a) Christo communionem in corpore et sanguine ipsius et proinde iustitiam quoque nostram, quae fidei est, ex ipsius institutione, et Paulum sequuti docemus, Coenam Domini esse corporis et sanguinis Christi communionem iuxta sacramenti rationem. Docemus et iuxta Coenae verba, Coenam esse sacramentum corporis et sanguinis Christi. Fatemur ingenue, pios omnes in Coena vero corpori et sanguini Christi vere etiam communicare, — impios vero, dum indigne, hoc est, sine fide et contemptim, Coenam sumant, reos effici corporis Christi, quod illud non diiudicent. Agnoscimus praeterea libenter et Christi Domini in Coena sua praesentiam, iuxta quam efficax est ad salutem omnibus, quicunque suam cum illo et illius secum communionem Coenae suae usu in sua Ecclesia contestantur. Caeterum de modo praesentiae nihil anxii sumus, imo vero nobis, tantisper dum doctorum sententiae de illo variant, temperandum a curiosa illius apud populum disquisitione omnino esse putamus, quod nobis satis sit habere Christum, utut illum habeamus. Interim tamen (112 b) patimur in suo quenque hic sensu abundare, neque doctrinae hac in parte dissidium tanti esse faciendum putamus, ut propter illud quenquam omnino iudicare, nedum Ecclesiarum societatem scindere velimus, modo ne apud populum attingatur, quia

dissidia parit, et voces, quae in hac adhibentur controversia, nusquam in scripturis leguntur. Intra hos fines nostram nos doctrinam apud populum de Coena Domini continemus, ut paci ac tranquillitati Ecclesiarum nostrarum consulamus, nec dubitamus, nos hac doctrinae nostrae moderatione ét Christo ipsi Domino eiusque institutioni ét piis ubilibet locorum omnibus, ut nunc sunt tempora, satisfacturos esse. Nihil enim hic habetur praeter verbum Dei, et interim habetur quod ad salutem cuiusque satis est: nihil item quod non commune nobis cum Catholica Christi Ecclesia habeamus, ut hanc sane nobiscum reprehendat necesse est, quisquis nostram istam doctrinae moderationem reprehendere velit. Cum hac porro damnamus Papisticam transformationem, damnamus item localem, ut vocant, ac naturalem in pane, sive sub pane ac vino, corporis et sanguinis Christi inclusionem, quod utraque haec sine manifesta idololatria constitui non possunt, — et damnamus praeterea doctrinam illorum, qui (113a) sacramenta omnia nuda signa esse docent atque inter res ἀδιαφόρας numerant et humanae duntaxat conversationis notas esse volunt, quibus a Iudaeis et Ethnicis omnibus discernamur. Has inquam doctrinas damnamus omnes, sequuti in hac parte Catholicae Christi Ecclesiae iudicium ex verbo Dei, neque nobis illas inter nos quoquomodo ferendas esse putamus.

Quod vero ad Doctorum illam de modo praesentiae Christi in Coena controversiam attinet, de hac citra cuiusquam praeiudicium nostram suspendimus sententiam, donec a Catholica Christi Ecclesia discernatur, et Deum precamur, ut omnia doctrinae dissidia per spiritum suum in Ecclesia sua componat. Ut tamen summam ipsam controversiae cognoscas, non agitur de coenae dignitate aut efficacia — de his enim convenit inter omnes — sed de elementis Coenae duntaxat agitur, dum illis alii plus, alii minus tribuere videntur, nempe ut aut in pane ac vino corpus et sanguinem Christi contineri, aut ministri opere nobis illa per panem ac vinum exhiberi, aut spiritualiter tantum a nobis percipi putant sine ulla vel ad elementa ipsa Coenae, vel ad (113b) opus ministri alligatione. Caeterum quod ad vim dignitatem ac mysteria Coenae attinet, in iis unanimiter hactenus omnes consentiunt, ut agnoscant Coenae mysterium esse nostram cum Christo communionem in corpore et sanguine ipsius, quam sane summam Coenae Dominicae dignitatem esse constat: agnoscant item unanimiter omnes, nos in Coena vero corpori et sanguini Christi vere etiam communicare, quae omnium summa est Coenae virtus atque efficacia, neque supra hanc ulla maior alia constitui potest. Praeterea omnes unanimiter agnoscunt etiam, Christi Domini in Coena sua praesentiam, ut velut ab ipsomet nostram secum et suam nobiscum communionem obsignari

credamus in sua institutione. Quid vero ad eam Coenae dignitatem atque efficaciam addi amplius, aut quid de illa magnificentius constitui potest? Et cum de his omnibus nulla sit omnino inter doctos omnes controversia, non equidem pro Coenae ipsius dignitate atque efficacia certamen inter illos esse existimamus, sed pro Coenae elementis, quae sane haud scio an tanti facere debeamus, ut propter illorum controversiam Ecclesias scindere, doc-(114ª)trinam nostram in dubitationem apud populum vocare, causam Euangelii calumniis ac blasphemiis adversariorum exponere nosque ipsos invicem proscindere ac diris praeterea omnibus devovere debeamus. Nos certe sanguinem Christi Domini et legem charitatis Christianae pluris esse nobis faciendam existimamus, quam ut quenquam omnium, pro quibus Christus mortuus est, propter elementorum controversiam iudicare quoquomodo velimus.

Tres sunt autem Doctorum hac in parte sententiae, quarum prima elementis Coenae plus caeteris tribuit: altera ad ministri opus id totum, quod prior elementis tribuit, referendum potius esse putat: tertia vero, quod prior utraque vel elementis, vel ministri operi tribuere videtur, id totum transfert ad Spiritus sancti opus, tanquam assidui testis et glorificatoris Christi Domini apud suos in qualibet ipsius institutione.

Primae sententiae doctores nituntur simplici verborum Coenae interpretatione atque iuxta hanc argumentantur ad hunc modum: Si verum est, inquiunt, quod ait Christus, panem esse corpus suum, hoc est, substantiam corporis sui naturalis, sane in pane (114ᵇ) aut sub pane, in vino item, distribuitur ac percipitur ab omnibus, piis aeque atque impiis, substantia naturalis corporis et sanguinis Christi. At vero non potest non esse verum, quod ait Christus, cum sit ipsa veritas. Verum est igitur, in pane ac vino Coenae esse, distribui atque ab omnibus sine discrimine, ore etiam carnali, percipi substantiam corporis et sanguinis Christi naturalis. Adducunt in huius suae sententiae confirmationem Pauli locum de indigno panis Coenae esu et neglecta corporis Dominici diiudicatione, et negant, diiudicari posse corpus Domini, si non edatur. Tuentur praeterea suam hanc sententiam ad hunc modum: Dicunt violari verborum Coenae veritatem, detrahi item potentiae Christi ab iis, qui doctrinam hanc non recipiunt, et, cum id ab omni homine Christiano longe alienum esse oporteat, non posse omnes non etiam assentiri huic sententiae, quicunque Christiani esse volunt. Atque haec fere praecipua sunt, quae primae huius sententiae doctores adferre solent.

Alii rursum sunt, qui in reliquis quidem omnibus cum primae istius sententiae doctoribus fere consentiunt, praeterquam quod alteram quandam ratio-(115ª)nem adferunt eius unionis, quam sacramentalem vocant. Neque enim illam in hoc consistere putant, ut

signata cum signis ita connectat, ut, quisquis elementa coenae sumit, is eorum quoque signata, hoc est, corpus et sanguinem Christi sumpsisse credatur. Hi porro docent Coenam Domini non pertinere ad alios, quam propter quos est a Domino instituta. Certum esse autem, non propter impios, sed propter fideles Coenam a Domino institutam esse, ad sui beneficiorumque suorum, morte sua nobis promeritorum, recordationem, — et proinde ad quos Christi beneficia non pertinent, ad eos etiam Coenae mysteria non pertinere, etiamsi Coenae elementa in suam ipsi perniciem certamque damnationis suae obsignationem edant. Unionem vero sacramentalem constituunt, non in connexione ulla individua signatorum cum signis, ut vocant, sed in ministerii Ecclesiastici efficacia a Domino ipso instituti, quod, ut ad confirmandam piorum fidem potissimum institutum est in sacramentorum omnium administratione, ita ad impios, qui nolunt credere, quod ad eius efficaciam attinet, referri etiam non possit. (115[b]) Confirmant hanc suam doctrinam Iudae proditoris exemplo, qui ex ipsiusmet Christi Domini manibus elementa quidem percepit, mysteria non percepit, imo vero Sathanam cum elementis sumpsisse legitur, qui certe cum sacrosancto Christi corpore sumi non simul potuit, praeterquam si Christi Domini cum Belial communionem aliquam contra doctrinam Apostolicam statuamus. Addunt et hoc praeterea, oportere omnes qui Christi Domini corpus in coena sua edunt et sanguinem eius bibunt, habere cum illo etiam eorum omnium communionem, quae corpore ipse suo pro nobis in morte tradito sanguineque item suo pro nobis fuso promeruit. Neque enim ideo Coenam Domini constitutam esse, ut nostram cum Christo communionem iuxta substantiam duntaxat corporis et sanguinis ipsius obsignet, sed iuxta id totum etiam, quod nobis morte illius promeritum esse non dubitamus. Unde et a Paulo Coenam Domini vocari dicunt καταγγέλλειν, a Christo item ipso ἀνάμνησιν, non tam equidem incarnationis suae, iuxta quam sane omnes, et pii simul et impii, communionem cum Christo Domino ha-(116[a])bent, quod quidem ad carnis et sanguinis substantiam attinet, quam potius mortis ac crucis suae, ut illius potissimum virtutem atque efficaciam in nobis Coenae suae testimonio obsignari credamus. Qui vero, inquiunt, eam cum Christo communionem habent, quae nobis Coenae usu designatur, neque illi sine Christo damnari etiam poterunt. Quare si impii quoque corpus Christi in Coena edunt et sanguinem eius bibunt, neque Christus sine illis regnabit iam, neque impii sine Christo damnari etiam possunt. At vero Christum Dominum, Deo iam, non autem impiis vivere dicunt, nedum ut cum impiis damnari possit, — nullam igitur impios cum Christo habere in Coena sua communionem, et proinde neque corpus

suum edere, neque sanguinem etiam bibere posse docet. In hoc igitur isti a prioribus dissentiunt, quod non eandem prorsus rationem in Coena Domini constituunt sacramentalis unionis cum prioris sententiae doctoribus, sed quae ad fideles tantum pertineat, dicuntque fide, non autem carnali ore, nos Christi corpori et sanguini in coena sua communicare, qua cum careant impii, nihil ad eos etiam mysticam Coenae communionem, quae fide apprehenditur, (116b) pertinere. In hoc tamen cum prioribus illis consentiunt, quod ipsam naturalis Christi corporis et sanguinis substantiam, licet non localiter, ut aiunt, neque naturaliter elementis connexam, vere tamen ac realiter interim, cum elementis sive per elementa piis omnibus in coena exhiberi docent, sed hoc fieri, non propter substantialem ullam mysterii cum elementis connexionem, sed propter ministerii efficaciam ex Christi, in ministerio nostro efficacis, ordinatione, ex qua ipsi, ut dictum est, metiuntur sacramentalem unionem. De non diiudicantibus corpus Domini dicunt, non ideo illos a Paulo reos pronunciari corporis et sanguinis Christi, quod indigne corpus aut sanguinem Christi sumant, sed quod, dum Coenae elementa sumunt, illorum mysteria, hoc est corpus et sanguinem Christi, non diiudicant, hoc est, illorum dignitatem non recte secum expendunt, sed eodem fere loco habent vulgarem quemcunque alium cibum cum cibo hoc spirituali, hoc est, complectente sacrosanctum ac prorsus spirituale mysterium nostrae cum Christo communionis in corpore et sanguine ipsius. Iam di-(117a)iudicationem consistere non in esu ipso, sed indigna animi reputatione, et proinde diiudicari posse corpus Domini, etiamsi non edatur, imo vero diiudicari a piis semper, etiamsi Coena a piis omnibus, non semper sumatur. Non igitur inde effici, impios edere corpus Christi, quod, dum illum non diiudicant, corporis Dominici rei esse dicantur. Atque haec in summa adferunt secundae huius sententiae autores.

Tertii porro sunt, qui in hoc quidem et ipsi cum secundae sententiae doctoribus consentiunt, quod a piis duntaxat, et quidem fide sola, corpus Christi in Coena sua edi et sanguinem eius bibi docent, caeterum in ratione unionis illius sacramentalis ab utrisque dissentiunt. Atque agnoscunt quidem et ipsi, imo vero urgent etiam, Sacramentalem in Coena unionem, sed eam neque ex substantiarum in elementis connexione ulla, neque item ex operatione ministri aestimari volunt. Referunt autem illam ad opus Spiritus sancti circa nostrum ministerium, qui est testis et glorificator Christi assiduus in qualibet sua institutione. Ac primum in constituendo Coenae loco Pauli doctrinam proferunt, et, quem-(117b) admodum Paulus in uno homine duos complectitur homines, interiorem et exteriorem, atque hos ambos unum hominem esse docet,

aliam tamen interioris hominis, aliam vero exterioris operationem, alium item et utriusque conversationis locum ponit, nempe secundum interiorem hominem fide nos iam non hic, sed in coelis versari, collocatos nimirum illic iam cum Christo, sub spe, ad dexteram patris Dei, secundum exteriorem vero hominem nos hic in carne adhuc, donec hinc evocemus, manere. Ita vero etsi non dividamur ipsi, alium tamen locum interiori nostro homini, alium vero exteriori, quod ad utriusque conversationem attinet, designari docent. Ad hunc igitur modum de Coenae loco deque ipso etiam coenae sacramento cogitandum esse putant, ut, quod in Sacramento Coenae externum est, ab externo id homine etiam in suae conversationis loco, hoc est, hic super terram in coetu fidelium sumi, quod vero mysticum, coeleste ac spirituale est, id ab interiore nostro homine per fidem in loco etiam suae conversationis edi intelligamus. Quare ut in nobis ipsi duos agnoscimus homines, non uno loco versantes, ut item in sacramen-(118a)tis duo agnoscimus, quorum alterum, nempe terrenum, ad eum in nobis hominem, qui in terris manet, alterum vero, nempe coeleste, ad eum in nobis hominem, qui in coelis per fidem, ut dictum est, versatur, pertineat, — ita Coenae quoque locum non hic statuendum esse a nobis docent, ubi ad sumenda Coenae elementa convenimus, sed ipsos etiam coelos ipsamque adeo Patris Dei dexteram, ad quam sub spe iam, ut dictum est, collocati cum Christo Domino secundum interiorem nostrum hominem residemus. Ita et Christum Dominum non modo adesse Coenae confitentur, sed nobis etiam, secundum interiorem hominem ad coelos usque per fidem evectis, corporis illic et sanguinis sui veram ac salutarem communionem exhibere. Coenam igitur non esse nudam actionem, tragoediae similem, elementa item illius non esse nuda elementa, sed Christum Dominum adesse suae Coenae, qui nusquam non adest, ubi duo aut tres in suo nomine convenerunt. Et esse praeterea efficacem per Spiritum suum circa suam institutionem, ut nos secundum interiorem nostrum hominem ad coelos usque, imo et supra coe-(118b)los omnes subvehat, ut erectis illuc fide animis nostris praesentes iam praesentis etiam Christi Domini corpore et sanguine ad vitam aeternam pascamur, elementa autem Coenae iuxta Christi institutionem sumpta esse efficacia sigilla in fidelium animis eius ipsius nostrae cum Christo Domino communionis, ut sumptis e ministri manibus Coenae elementis vero nos corpori iam et sanguini Christi vere etiam communicare credamus, subvectis videlicet per Spiritum sanctum animis nostris fide, qui, ut est assiduus atque efficax glorificator et testis omnis Christi doctrinae et institutionis, ita neque ipsam Coenae actionem in fidelium animis ociosam, neque eius item elementa nuda aut vana

esse sinit, quoties Coena Domini peragitur iuxta ipsius institutionem. Eam porro percipiendam fide una cum elementis Coenae coelestis mysterii coniunxionem, quam pii animo suo sursum erecto ex afflatu Spiritus sancti complectuntur, vocant sacramentalem elementorum cum mysteriis unionem, non autem realem ullam substantiae corporis aut sanguinis Christi cum elementis connexionem. Estque haec tertia doctorum sententia de Coenae elementis et sacra-(119ᵃ)mentali illorum cum mysteriis coenae unione. Confirmant autem et isti suam hanc sententiam, tum rationibus, tum scripturis. Et in eo, quod cum secundae sententiae doctoribus commune habent, nempe quod ab impiis Christi corpus edi negant, iisdem etiam cum illis argumentis utuntur. Caeterum, quominus realem substantiae corporis Christi aut sanguinis hic inter nos, quae edi debeat aut bibi, praesentiam agnoscant, obstare hic sibi dicunt articulum fidei Christianae de Christi Domini ascensione, quam Christus alioqui ipse imaginationi huic de reali iuxta substantiam corporis sui manducatione opponit. Dicunt item, si fide communicamus corpori et sanguini Christo et per fidem, non tam hic in terris, quam in coelis potius versamur. Sane fidem in coelis versantem non requirere hic corporis Christi praesentiam iuxta substantiam ipsius. Unde et ab Ecclesia receptum esse docent, ut circa coenae actionem canat „sursum corda", non „huc ad elementa" corda. Praeterea et de hoc dicunt, si substantia corporis Christi naturalis sumitur distribuiturque in coena cum pane vel in pane, utcunque tandem de sacramentali u-(119ᵇ)nione statuatur, et sanguinis quoque substantiam in vino sumi oportebit, cum vero elementa coenae ipsa separatim sumantur, separatam sane etiam esse oportebit in Christo sanguinis sui substantiam a substantia corporis ipsius. At vero nullam prorsus in Christo iam separationem, realem praesertim, imaginari nos posse putant, praeterquam si ad Papisticam illam rursus subnexionem recurramus, ut, ubi sit sanguis, ibi et corpus esse, ubi rursum corpus sit, ibi esse et animam, adeoque et divinitatis ipsam, si ita loqui liceat, substantiam dicamus. Hoc vero cum nullo modo consistere possit, consistere proculdubio etiam non posse hanc de mysteriorum cum elementis Coenae unionem, ut coniunctas utrorumque in illis substantias realiter nos sumere, aut per ministrum distribui posse credamus, utcunque tandem realem hanc corporis et sanguinis Christi substantiae coninnxionem exponamus. Postremo adferunt ipsiusmet Christi Domini doctrinam, qui disserens de corporis sui manducatione docet, ad salutem nostram satis esse eam illius manducationem, quae fide duntaxat constaret, addi enim illi a Christo diserte (120ᵃ) vitae aeternae promissionem, non addendam hauddubie, si quam aliam Dominus instituere adhuc voluisset. Cur vero nobis

satis non sit, inquiunt, quod Christo satis est, ad nostram salutem? Et sane fatendum est ad salutem satis esse Christo Domino, cui ille addit vitae aeternae promissionem. Proinde cum spirituali manducationi additam videamus a Domino ipso clarissimam vitae aeternae promissionem et haec fidei nostrae, non equidem hic, sed in coelis versanti efferatur, putant non esse necessariam doctrinam hanc de corporali Christi ulla hic in terris apud nos praesentia, nedum manducatione. De verbis coenae dicunt, se verbis coenae non minus quam priores utroque doctores illos credere. Sed in hoc inter se et illos controversiae non agi de veritate verborum Christi, neque item de illius omnipotentia, sed de germana ac vera verborum Christi expositione iuxta mentem ac voluntatem ipsius, quam equidem in hac controversia approbari oporteat aliorum locorum, idem aut simile argumentum tractantium, collatione. Is enim demum recte Christi verba interpretari atque (120[b]) intelligere existimandus est, qui mentem ac voluntatem Christi in illis omnium luculentissime ex mutua locorum collatione, argumentique quod tractatur natura ac ingenio, commonstrat. In verbis porro coenae negant extare substantiae vocem, ut sub corporis nomine ipsam corporis substantiam necessario credere aut intelligere debeamus. Neque enim Christus ait: hoc est substantia corporis mei, sed ait tantum: hoc est corpus meum. Et si ex mutua locorum collatione, rem sacramentariam tractantium, doceri possit, non pugnare id cum mente ac institutione Christi, ut corporis nomen pro sacramento, non autem pro substantia corporis accipiatur in hisce coenae verbis, — sane tam se nihil detrahere aut veritati verborum Christi, aut illius omnipotentiae, de quorum neutro se dubitare dicunt, si nomen corporis pro sacramento corporis in verbis coenae accipiant, quam se nihil detrahere illi putant, qui idem ipsum corporis nomen pro corporis substantia accipi volunt. Non igitur hic agi de ipsis coenae verbis, quae nemo non verissima esse fatetur, si iuxta mentem Christi exponantur, sed agi de verborum interpretatione, (121[a]) utra propius ad mentem Christi accedat. Iam id extra controversiam verum esse dicunt, coenam Domini esse sacramentum, verba item coenae esse verba instituentis Sacramentum. In tractanda vero re sacramentaria ubique hoc familiare esse scripturae ut τροπικῶς de sacramentis loquatur et sacramentorum elementa mysteriorum ipsorum nominibus ornet. Probabilius igitur esse, Christum Dominum iuxta expressum in scripturis verbi sui divini usum coenae etiam suae verba proferre voluisse, quam ut ea praeter scripturae usum, praeter naturam item omnium sacramentorum proferre voluisse credatur. Et proinde cum usus ipse scripturae atque natura item omnium sacramentorum testetur, ipsorum interpretationem pro-

pius ad mentem atque institutionem Christi accedere, magis sane germanam esse hanc ipsorum in verbis coenae corporis interpretationem, ut nomen corporis pro sacramento corporis accipiant, quam priorum illorum, qui simplici verborum interpretationi innixi, quam tamen nullam hactenus, quae tropis prorsus careat, adferre adhuc potuerunt, corporis nomen pro ipsa (121ᵇ) naturalis corporis substantia accipi volunt, ut hic sit verborum coenae sensus: Hoc est corpus meum, id est, hoc est sacramentum corporis mei. Sacramentum vero intelligunt, non elementa tantum sacramenti, sed ipsum, si ita dicere liceat, mysteriorum cum elementis in sacra actione involucrum, utraque haec complectens per sacramentalem illam unionem, quam autore Spiritu Sancto animis nostris complectimur, ut dictum est, circa sacramentorum administrationem.

Atque hae sunt tres nunc doctorum de coenae sacramento sententiae, quae interim in re ipsa sacramenti unanimiter consentiunt, nempe in vera veri corporis et sanguinis Christi in coena communione, etiamsi de illius modo, nempe an iuxta ipsam corporis et sanguinis substantiam, an vero sacramentaliter fiat, nonnihil dissentire videantur. Neque est alia in re ulla inter has sententias omnes controversia, quam quod unionem sacramentalem, quam interim omnes agnoscunt, non ad eundem modum exponant, sed alii illam in reali ac substantiali mysteriorum cum elementis, alii in ministerii per ministri opus efficacia, alii vero in ministerii quidem (122ᵃ) efficacia etiam, sed per ipsius Spiritus sancti, non autem per ministri opus constitutam esse putant. Iam vero si sacramentalis huius unionis ne mentio quidem facta unquam fuisset, nedum ut illius tanta controversia fuisset exorta, an iam de vi ac dignitate sacramentorum actum omnino fuisset? Equidem in literis Apostolicis nullam illius mentionem usquam videmus, et tamen de sacramentorum dignitate, virtute atque efficacia ab Apostolis dubitatum minime esse putamus. Quodsi tum illibata prorsus erat inter Apostolos ipsos virtus et dignitas sacramentorum, cum ne nomen quidem sacramentalis istius unionis usquam extaret, nedum ut tanta illius nomine controversia exorta esset, sane et nunc suam apud nos sacramenta ipsa dignitatem retinere possent, etiamsi ab anxia accurataque unionis huius controversia nobis religiose temperaremus. Et posteaquam de ipso sacramenti coenae mysterio non est ulla inter doctos omnes controversia, — omnes enim agnoscunt Coenam Domini esse communionem corporis et sanguinis Christi, piis vero omnibus rem ipsam sacramenti habere satis est, etiamsi (122ᵇ) modum illius non prorsus exacte assequantur, — satis et ego hoc praesertim tempore esse putarem, de re duntaxat ipsa sacramentorum populum docere, hoc est de ipsa corporis et sanguinis

Christi delata nobis communione, ut unanimem doctrinae consensum in Ecclesiis retineremus, ab elementorum vero in sacramentis controversia nobis temperare, ne camino oleum, quod dicitur, addamus. Meminisse debemus omnem nostram in ministerio potestatem, non ad dissidia, multo minus autem ad dissipationem, sed ad aedificationem Ecclesiarum datam esse. Omnes itaque nobis occasiones quaerendae sunt, non exacerbandi sane res plus satis alioqui exulceratas, sed mitigandi ac leniendi omnia quaecunque citra salutis iacturam ferri possunt. Sicubi hic a quibuslibet erratum est, humanus error est. Certum est enim Doctores istos omnes, qui ita inter se variant, ita affectos esse, ut si manifesta verbi divini autoritate erroris se sui convinci ullo modo sentiant, mox sint summa etiam cum alacritate sententiam suam mutaturi. Nota est omnibus illorum pietas, notum est et in propagando Christi Euangelio studium. Quodsi Deus ad declarandam (123a) luculentius arcbanorum suorum veritatem prodendamque indies magis ac magis Papisticae idololatriae turpitudinem, Ecclesiam adhuc suam istiusmodi opinionum varietate exerceri velit, nostrum est, ut nos mutuo simulque et errata nostra inter nos in lenitate ac mansuetudine Christiana feramus. Et Ecclesiae henadem propter humana errata nostra ne scindamus, ad quam alioqui dissipandam omnes suos conatus Sathanam expedire videmus.

Habes, Frater charissime! summam et nostrae doctrinae, quam publice hic tradimus et totius propemodum controversiae de Coena Domini totaque adeo sacramentaria causa, quanto fieri potuit compendio comprehensam. Precemur Dominum, ut, qui pacis et unionis, non autem dissidiorum Deus est, omnia etiam doctrinae atque animorum dissidia tandem in sua Ecclesia componat, ad laudem et gloriam sancti sui nominis et Ecclesiae suae pacificationem. Amen.

Aemdae Frisiorum. Mense Aprili 1545.

Τέλος. (123 b)

E P I T O M E

DOCTRINAE ECCLESIARUM

PHRISIAE ORIENTALIS.

A U T O R E

J O A N N E à L A S C O.

1544.

CONSPECTUS.

		f. m. s.
§ 1.	De Doctrina.	1
§ 2.	Summa doctrinae Christianae.	1
§ 3.	De vere cognoscendo Deo.	2
§ 4.	Deum ut Dominum cognosci oportere.	2
§ 5.	Deum ut iustum ac veracem agnosci oportere.	3
§ 6	Deum misericordem agnosci oportere.	6
§ 7.	De nostri cognitione.	8
§ 8.	De peccato originis.	9
§ 9.	De peccato actuali.	11
	a. De peccato veniali.	11
	b. De peccato mortali seu voluntario.	13
§ 10.	Epilogus de nostri agnitione iuxta legis seu mandatorum doctrinam.	15
§ 11.	De promissionibus.	15
§ 12.	De fide.	19
§ 13.	De Sacramentis in genere.	21
§ 14.	De generibus et numero Sacramentorum.	22
§ 13.	De Baptismo.	23
§ 16.	De infantium Baptismo.	27
§ 17.	Obiectiones adversariorum contra paedobaptismum.	35
§ 18.	De Baptismi institutione.	35
§ 19.	De Coena Domini.	48
§ 20.	Epilogus de nostri agnitione iuxta doctrinam promissionum.	52

EPITOME DOCTRINAE

ECCLESIARUM PHRISIAE ORIENTALIS.

(1) INTER ea quae ad bene regendam Christi Ecclesiam videntur necessario pertinere doctrinae ante omnia rationem haberi oportet, ut ea sit certa et dilucida. Sunt enim doctrinae demoniorum quemadmodum Paulus docet, a quibus si unquam alias nunc certe maxime Christi Ecclesia sibi cavere debet. Quare id inprimis statuendum est, quaenam sit doctrina propria Ecclesiae Christi quidque in illa doceri debeat.

§ 1. *De doctrina.*

Quid in Ecclesia docendum quidque dedocendum sit, indicat nobis, qui falli et fallere non potest ipse Deus. Spiritus meus, qui est in te, inquit ad Ecclesiam suam Dominus, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis tui a modo usque sempiternum. Idem vero gravia comminatur iis, qui loquuntur quidem et docent, sed non ex ore Domini. Ad eundem quoque modum Christus etiam Apostolis suis iubet, ut non alia doceant, quam quae ex se audissent, Docentes, inquit, omnia, quaecunque praecepi vobis. Et Paulus, bonus optimi magistri discipulus, anathema vult esse, quidquid modo praeterquam quod accepimus, doceamus quare ea potissimum docenda sunt in nostra Ecclesia, quae extra controversiam claris ac dilucidis scripturae testimoniis confirmari possunt. Contra vero dedocenda non ea solum quae verbo Dei manifeste repugnare videntur, sed et alia omnia quae undecunque invecta, quamlibet ea vetera receptaque sint, expressis scripturae testimoniis aut inde petitis rationibus comprobari non queant. Neque enim ait Paulus anathema esse, si quid manifeste contra quam accepimus doceamus, sed si quid aliud doceamus praeter id quod nobis semel iam traditum accepissemus. Huc pertinet discrimen inter divi-

32*

norum oraculorum autoritatem et humanas sive traditiones sive interpretationes. Quae verbo divino expressa habemus, ea sane absque ulla vel exceptione vel etiam disquisitione sequi modis omnibus debemus. Ceterum humanis traditionibus non aliter, quam verbi divini ministris uteremur, hoc est, quatenus eas subservire viderimus fidei analogiae et verbi divini autoritati, sive nobis publica conciliorum quorumcunque sive privata alicuius auctoritate proponantur. Alioqui sunt concilia quae dissipat Dominus et cultum omnem humanum qui praeter scripturae testimonium constituitur aversari se testatur. Frustra colunt, inquit, me mandatis hominum. Itidem observandum est etiam in scripturae interpretibus sive veteres, quos patres vocant, sive novos legamus, agnoscere sane dona Dei in illis debemus, sed eos interim sequemur, qui pluribus et clarioribus verbi divini testimoniis mutuaque eorum collatione nituntur. Neque enim tutum est omnino uni alicui loco inniti, ut illum cum aliis non conferas, cum et Sathan, desumpto e scripturis loco Dominum ipsum tentarit, — et locum inter nos habere non debet vox illa Pithagoreorum αὐτὸς ἔφα. Ad unum namque duntaxat Christum Dominum et neminem praeterea alium in terris verba illa Patris coelestis pertinent „Hunc audite," et Christus ipsemet testatur veram fidem exstare inter eos non posse qui gloria inter sese invicem alii ab aliis quaerunt.

§ 2. *Summa doctrinae Christianae.*

Omnis doctrina Christiana circa duo potissimum versari videtur. Circa Dei primum, deinde etiam circa nostri veram cognitionem. Deum cognovisse vita aeterna est, ait Christus, atque idem vult ut nos ipsos abnegemus, si se sequi velimus, quod equidem fieri non potest, nisi nos ipsos vere etiam prius cognoscamus. Quare si et Christum sequi et ad vitam aeternam pervenire volumus, retinere nos oportet in nostra Ecclesia doctrinam de veri Dei inprimis, deinde vero nostri etiam cognitione. (2)

§ 3. *De vere cognoscendo Deo.*

Cum Dominus noster Iesus Christus diserte testetur, Deum a nemine praeterquam a se solo cognitum esse neque ab ullo item homine nisi cui ipse revelaret cognosci praeterea posse, dubiumque non sit id totum a filio nempe aeterno patris verbo profectum omnino esse, quidquid sancti Dei profetae, Spiritu sancto afflati, nobis de Deo in scripturis prodiderunt, nullam hauddubie et nos aliam certiorem cognoscendi vere Dei rationem habere poterimus, quam si illam

e scripturis potissimum et non aliunde petamus. Coeca est enim hic prorsus tota hominis ratio neque percipere potest ea, quae sunt Dei, et Christus Dominus non abs re praedicit fore, ut mundus a Sp. s. arguatur de peccato, de iustitia et iudicio, h. e., de universa simul et Dei et nostri cognitione, quam mundus falsam pro vera nobis perpetuo obtendit Deumque ex sese metitur. Nos igitur in lumine quaeremus lumen iuxta prophetae doctrinam et non aliunde veram Dei cognitionem, quam ex verbo divino ipsius, quod Christus est, petemus. Scimus autem permissum non fuisse Mosi ut formam seu faciem Dei, h. e., subsistentiam eius a fronte videret, et eam esse infirmitatem nostram, ut tantam lucem intueri non possit. Non me videbit, inquit, homo et vivet. Proinde nostrum erit inprimis cum sancta Catholica et Apostolica Ecclesia agnoscere, Deum patrem, Deum filium, qui idem sit et homo, Deum Spiritum sanctum, quoniam ab his nominibus baptismum nostrum Christi mandato auspicamur. Deinde abunde nobis satisfuerit, cum Mose dorsum sive posteriora Dei summa religione observasse, h. e., notas quasdam seu vestigia suae divinitatis, verbo suo nobis prodita, quibus demum perspectis, facile ad vitam aeternam ipsius beneficio perveniemus. Porro inter alia, id a nobis potissimum scripturae exigere videntur, ut Deum nostrum coeli et terrae Dominum ac conditorem, qui possit quae velit omnia et nunquam velit, nisi quod sit optimum, deinde iustum ac veracem, postremo misericordem quoque esse, non intelligamus modo, verum etiam toto corde ac pectore nostro credamus.

§ 4. *Deum ut Dominum cognosci oportere.*

Multa sunt testimonia quibus se Deus Dominum, hocque nomen proprie suum esse testatur, et testatur haud dubie non frustra, sed ut, qualem se ipsemet praedicat, talem eum etiam agnoscamus, nempe Dominum omnipotentem et qui condiderit sustentetque omnia ad nominis divini sui gloriam, quam se equidem nulli alteri daturum esse apertissime profitetur. Docemur item et Sathanae exemplo Deum non posse ferre quemquam, qui ipsum pro Domino suo nolit agnoscere. Neque enim tulit vocem illam „Ero par altissimo," sed eam mox una cum autore ipso ad tartara usque detrusit. Et Paulus hoc nomine condemnat gentes, quod Deum non ut Deum glorificassent. Tradi igitur in Ecclesia eam doctrinam oportet, ut quem Deum nostrum esse credimus, eundem quoque et Dominum nostrum esse confiteamur. Docet autem ipsemet Deus, qua id ratione a nobis fieri oporteat, ut se Dominum nostrum esse testemur, timore nimirum et obedientia. De timore ait: Si ego Dominus, ubi timor meus, — de

obedientia vero: Custodite praecepta mea et facite ea, ego Dominus. Neque vero eum timorem in nobis requirit Dominus, qui sibi adiunctum non habeat obedientiae studium. Nihil profuit Adae neglecta obedientia Dominum timuisse: perierat plane per suam inobedientiam miser, etiamsi timeret, nisi illius beneficium (qui et pro ipso et pro nobis omnibus satisfacturus olim erat) fide certissima apprehendisset. Quare statuendum est, Deum in Ecclesia ut Dominum agnosci ab omnibus oportere, ut illum supra omnia timeamus, et illi soli magis quam ullis omnino creaturis, nedum hominibus obediamus. Est enim zelotes ut nemo alius et neminem sibi vult aequari, nedum praeponi. Neque cogitandum est, sublatum esse (3) a nobis Christi morte debitum hoc nostri erga Deum timoris et obedientiae. Non venit Christus ut opera Patris destrueret sed ut Diaboli opus subverteret, qui autor fuit Adami inobedientia. Et satisfecit ille quidem pro nobis Patri Deo translata in se noxa omnium peccatorum nostrorum, sed non ideo satisfecit, ut nos illi deinceps non obediamus, sed ut ne damnemur si non quae debemus omnia ad plenum pro nostra infirmitate praestemus. Interim requirit obedientiam, requirit iustitiae studium, sed de suo supplet sicubi labamur, ne propter nostram infirmitatem damnemur.

Adversus hanc doctrinam peccant, qui non prius sibi verbi divini autoritatem sequendam esse putant, quam ab hominibus, seu conciliorum seu principum autoritate publica approbetur, praetexentes interim Ecclesiae titulum, quasi oves Christi possint non audire pastoris sui vocem, aut si non audiant, pro Ecclesia sint habendi. Sed haec sunt hominum deliria, qui pares Deo haberi et esse volunt. Nos Deo, qui solus Dominus dominantium est, obediamus, et eam habeamus Ecclesiam, quae vocem unius veri pastoris sui audiat, alienos autem nesciat, certi, Deum a tota sua Ecclesia obedientiam exigere, non approbationem.

§ 5. *Deum ut iustum ac veracem agnosci oportere.*

Quam sit necessaria doctrina de iustitia et veracitate Dei, parentis nostri Adae exemplo facile doceri possumus. Is enim si Deum iustum ac veracem esse certo sibi habuisset persuasum, h. e., si certa fide credidisset se statim fuisse moriturum, quemadmodum a Domino audierat, simul atque de fructu vetito gustasset, numquam equidem ad illius esum adduci quoquomodo potuisset. Sed hic artificem egit Sathan ut hanc persuasionem animo illius excuteret, qua demum excussa propositaque illi callide magnarum rerum spe in exitium miserum tandem pertraxit. Ad eundem vero modum cum Saule etiam egit.

Persuasit misero Deum ita bonum esse, ut, etiamsi non semper illi obediendum esse statuamus, non sit ille tamen poenas inobedientiae nostrae semel constitutas, iuxta suam institiam, irrogaturus, sed ita benignum esse et facilem, ut si illi splendidum aliquod sacrificium instituamus, protinus sit ille placatus muneribus, de sua iustitia nonnihil remissurus. At vero videmus, quonam detruserit Saulem haec ipsius cogitatio. Videmus item quantum mali nobis pepererit Adae parentis nostri dubitatio. Quare doctrina haec in Ecclesia retineri debet, Deum esse Deum nostrum qui a nobis exigat timorem et obedientiam, et esse veracem ac iustum, ut non mutet quod semel statuit et omnibus quod quisque promeritus est reddat. Veracem testatur esse Christus ipse. Qui me, inquit, misit verax est. Et Paulus eum alias fidelem, alias veracem appellat. De iustitia vero eius sic canit Psaltes: ‚Iustus Dominus in omnibus viis suis, — ac rursum: Iustitia ante eum ambulabit. Ceterum hoc est observandum in iustitiae divinae consideratione, duos illius fines esse, alterum ut omnes servari velit, alterum ut omnibus quod quisque meretur, reddat. Est enim Dei iustitia nihil aliud, quam divinae voluntatis suae decretum, qui velle non potest nisi quod iustum est et iustum vicissim esse non potest, nisi quod ipse velit. Iam qui hominem ad regni sui haereditatem creavit, fieri non potest ut illum servari nolit, et qui pietati praemia, impietati vero poenas constituit, idem sane etiam unicuique, quod suum est, reddat. Ut enim est aeternus ipse Deus, neque mutari unquam potest, ita voluntas quoque ac iustitia illius immutabilis est et aeternus, ut quod (4) in se est et servari velit omnes et omnibus interim quod quisque meretur reddat. Ab his porro duobus iustitiae divinae finibus duplicem nobis iustitiam Dei veteres constituerunt ἐπανορθωτικὴν καὶ ἀνταποδοτικήν, h. e., correctivam et retributivam, ac correctivam ad eum finem pertinere, quo omnes servari cupit, nimirum ut omnes qui sanari modo adhuc queant, partim minis adigat, partim vero promissionibus alliciat ad vitae emendationem. Retributivam vero ut piorum obedientiam remuneret et contemptum impiorum puniat. (Vide de hoc Hiero. 1. cap. 3 Ione in fine). Addi autem corrective promissiones, ut qui sanari adhuc possunt, eis illecti resipiscant. Addi item et minas, ut his territi ad cor redeant, non quod vel promissiones ad eos pertineant, qui non resipiscunt, vel minae ad illos qui resipiscunt, sed quod illis propositis Deus nos ad resipiscentiam sollicitare quodammodo velit, ut vel bonorum spe illecti vel metu malorum territi ad viam salutis redeamus, fiatque satis illius iustitiae, qua omnes homines servari cupit. Sic e Moysi populo vix unus atque alter terram a Deo promissam ingressus est, etiamsi toti populo promissio facta

esset, quae quidem non huc spectabat promissio, ut omnes, qui cum Mose Egypto excesserant, terram promissionis ingrederentur, sed ut hac spe proposita verbo Dei obedirent essetque populus Dei. Alioqui post agnitam vere semel Dei in nos benignitatem gignitur in nobis per Sp. S. talis erga Deum amor, ut illum deserere amplius non facile velimus, etiamsi neque premia neque supplicia item ulla extarent. Ad eundem modum neque minae Ninivitis a Propheta denunciatae ad illos pertinuerunt, praesertim ubi resipuissent, nimirum non ideo propositae, quod poenae illae, quas Deus per os prophetae illis interminatus fuerat, essent iam Ninivitis constitutae, sed quod eos Dominus malorum illorum metu deterreri ab ipsorum iniquitate volebat. Hanc institiam seu iustitiae finem nobis Dominus ipse confirmat, dum ait: Nolo mortem peccatoris sed magis ut convertatur et vivat. Et Paulus hanc institiam illustrari docet per Euangelium ex fide in fidem. — De retributiva autem institia eiusque fine docet nos Dominus noster, proposito nobis suo ipsius exemplo, dum se redditurum esse unicuique testatur iuxta facta ipsius. Confirmat hoc ipsius vox illa: Venite benedicti Patris mei cet. et Ite maledicti! Non posse vero de hac iustitia quidquam omnino remitti testatur Christus ipse, qui in se ait omnem iustitiam impleri oportuisse. Quodsi in Christo Domino omnem iustitiam impleri oportuit, non est quod in se illam remitti aut alioqui mutari quoquomodo posse imaginentur, qui a priori illo correctivae iustitiae fine sese sua ipsi temeritate excludunt. Impietas impii super eum, dicit Dominus. Et idem, Unumquemque in sua impietate periturum testatur. Quae causa fuit ut homo etiam non posset a morte commerita nisi per hominem liberari. Non potuit enim hominis impietas nisi per hominem dependi ut Dei iustitiae satisfieret, et hominem perferre oportuit, quod homini erat constitutum. Proinde scriptura oportuisse Christum pati docet, omnemque iustitiam in eo impletam esse et nobis, corpori suo per naturae communionem inclusis, imputari ad salutem, si tantum beneficium fide viva apprehendamus. Quare adversus Dei iustitiam peccant, qui Christum Dominum veram ac naturalem hominis carnem e matre virgine Sp. S opificio sumpsisse negant. Quo pacto enim transferri in illum maledictum potuisset, carni nostrae a Dei iustitia constitutum, ut illud loco nostro dependeret, si carnem nostram, h. e., nobis consubstantialem non habebat? Aut quo pacto satisfecisset pro nobis divinae patris sui iustitiae, si alius quam nos sumus, pro aliis etiam quam ipse est sese obtulisset? Certe si aeternam atque immutabilem esse fatemur retributivam Dei institiam, negare nullo modo poterimus in nostra et non in alia carne dependi pro nobis oportuisse, quod (5) non alteri etiam quam nostrae carni

decreto Dei divinae iustitiae fuerat constitutum. Offenduntur hi quidem infirmitate carnis nostrae quam nephas putant Christo tribuere, quem totum coelestem esse volunt. At quo pacto quod coeleste est a Deo derelinquitur et sub maledictum condemnatur? quo pacto item haec Christo tribuant, qui illi infirmitatem adimunt aut quo pacto adimunt infirmitatem si haec tribuant? Ita quidem iudicat humana ratio, cui crux Christi aliud nihil esse potest, quam stultitia et scandalum. At vero beatos pronunciat Dominus ipse eos, qui in se propter eam crucis ignominiam, nostra suscepta causa, non offendantur, per quam impleri oportuisse patris sui iustitiam testatur. Neque vero disparem esse utramque hanc Dei iustitiam existimare debemus. Una atque eadem est utraque, utraque immutabilis, utraque aeterna, nimirum ab una aeterna et immutabili voluntate profecta. Sed videtur non nihil varia, propter finium varietatem quandam, nostra ipsorum culpa invectam.

Primum enim poscebat hoc Dei gloria, ut quidquid usquam in coelo pariter ac in terra conditum omnino esset, id totum illi potissimum subserviret. Iustum erat igitur ut et homo salutem ac felicitatem suam omnem (cum ea ad Dei gloriam pertineat) non aliunde intelligeret, quam a Deo solo, et quaeri et exspectari oportere. Iam fieri id non poterat, nisi malo se alicui, non quidem subiectum (est enim purum ac sanctum quidquid Deus condidit) sed tamen obnoxium esse sensisset. Qui fieri posset enim ut aliunde nimirum a Deo salutem nostram pendere crederemus, si nobis ad illam nihil prorsus deesse videremus. Quare iustum haudddubie esse Deum, nemo hoc nomine negare potest, quod talem condiderit hominem, addita illi flexili in utramque partem voluntate, ut hactenus ad coelestis gloriae haereditatem pertineret, quatenus illam ab ipso peteret agnosceretque eam non aliunde totam pendere quam ex gratuita Dei solius clementia et bonitate. Condidit ergo Deus hominem, ut esset haeres coelestis gloriae suae, siquidem eam ab ipso totam et peteret et exspectaret, et proinde vult etiam, quod in se quidem est, omnes homines salvos fieri, sed talem eum condidit, ut intelligeret se sanctum quidem ac purum esse, quatenus a Deo conditus fuerat, sed ex se tamen non ita perfectum, ut peccare non posset, si voluntate sua optimo Dei dono ad malum interitumque suum abuteretur. Futurum namque erat, ut disceret, se oportere adherere Deo, si ad eam, ad quam conditus fuerat, gloriam recta voluisset pervenire. Hic vero et angelus et homo stationem suam deseruere effeceruntque ut Deus invictam suam potentiam adversus sui contemptum exereret et qui gloriam suam non dat alteri, poenam gehennae contemptoribus sui constitueret, — qui vero in eius perstarent obedientia, sive angeli sive homines, hi soli ad coelestis regni societatem pertinerent, addito interim

infirmitatis nostrae medico Christo, qui illam sufficientia sua contegeret secumque in coelum transferret. Unde demum nobis etiam innotuit alter ille divinae iustitiae finis, ut omnibus, quod quisque meretur reddat. Porro alter hic divinae iustitiae finis, etsi aeternus sit ipse etiam atque immutabilis, non violat tamen priorem illum correctivae iustitiae finem, quo nos vult Deus omnes salvos fieri. Sed quemadmodum conditis angelis omnes eos servari voluit, quatenus ei adhaerere gloriaeque eius subservire voluissent, ita et nobiscum stat inconcussa nunc illius voluntas etiam, ut nos servari omnes velit, quatenus oblatam illius gratiam in Christo non contemnamus. In hoc enim solo placatum se esse testatur, et Christus ipsemet diserte fatetur, eum qui in se credat non amplius in ullum iudicium venturum esse. Se enim venisse non ut iudicet mundum sed ut per ipsum (quoad eius fieri posset) mundus universus servetur. Vult igitur Dominus ut omnes servemur, si illi adhaereamus, et omnibus interim, quod quisque meretur, reddit, h. e., impiis poenas, piis premia, neque de eo aliter aut docere aut etiam credere debemus. (6)

§ 6. *Deum misericordem agnosci oportere.*

De ineffabili Dei misericordia innumera ubique testimonia habemus, sed psalmo 103 ita graphice depingitur cum omnibus propemodum suis partibus, ut si aliqua illius imago proponenda esset, illinc potissimum peti sumique deberet. Refert enim illic propheta causam divinae in nobis misericordiae, refert eius officia, addit item ad quos ea pertineat. Causam adfert eam: Quia, inquit, agnovit plasma suum. Cum enim id posceret divina illius gloria, ut creatura creatore esset inferior salutemque suam ab illo totam exspectaret, atque suam ille etiam virtutem in nostra infirmitate illustrare statuisset, voluit hoc sane ut per unum Adae nostri parentis peccatum omnes sub ἀπειθίαν concluderemur. Sed voluit interim tamen, ut ea ipsa nostra inobedientia nos ab omni prorsus salutis spe excluderet obstaretque iam omnino, quominus servari deinceps ipsius beneficio possemus. Vult enim nihilominus omnes salvos fieri, quemadmodum in priore iustitiae suae fine declaratum est et proinde in sublevanda hac nostra infirmitate sub qnam nos ipsemet concluserat, declarare voluit etiam suam in nos misericordiam, ut, etsi ea infirmitas nobis adnascatur ac per omnem vitam perpetuo adhaereat, nullum tamen nobis adferat nocumentum propter Christum, si huius tanti sui beneficii vim ingratitudine ipsi nostra a nobis non propellamus. Miseretur itaque nostri Deus, quia novit plasma suum nihil aliud quam limum esse, cui tanta sit adnata infirmitas, ut illum in mortem aeternam ferri opor-

teret, nisi divina ipsius misericordia ab ea calamitate relevaretur. Commemorat autem propheta etiam, quid nobis praestiterit haec Dei misericordia. Redimit ab interitu, inquit, vitam nostram, condemnato nimirum sub peccati nostri maledictum ac in mortem demum tradito etiam unigenito filio suo, qui sublata in se noxa omni nostrae infirmitatis communicataque vicissim nobis sua innocentia magnifice in se id totum restituit, quod in Ada parente nostro amiseramus. Sanat praeterea omnes infirmitates nostras ab Ada parente nostro in nos propagatas. Deinde quoniam non tam infirmitas ipsa a nobis sublata est quam infirmitatis noxa potius, nosque dum hic vivemus absque peccato esse non possumus, id quoque pertinet ad ineffabilem Dei misericordiam, ut nobiscum non pro eo ac indies mereremur agat. Nimirum non amplius intuetur in nobis ea delicta, quae assidue sane ab infirmitate nostra designantur, sed in filium suum unigenitum semel translata perpetuo nobis omnia condonet, unica eorum expiatione placatus. Non facit, inquit, iuxta peccata nostra neque iuxta iniquitates nostras retribuit nobis. Quid quod tanto etiam intervallo a nobis peccata omnia nostra submovet, quanto solis ortus ab occasu distat? Et quae ex se non modo nullis omnino praemiis digna, sed suppliciis quoque non indigna praeterea erant, ea in nobis per misericordiam et miserationes suas coronat. Breviter ita est erga nos affectus Dominus Deus noster, si verbis prophetae credimus, ut erga liberos natura imbecilles pater indulgentissimus affici solet. Estque ita opulenta divina illius in nos misericordia, ut nulla coeli ad terram comparatione exprimi satis queat. Eam porro talem ac tantam suam in nos benignitatem et misericordiam minime obscuro verbi sui testimonio nobis perpetuo inculcat. Hanc et institutis in hac peculiariter symbolis quibusdam animis nostris ita subinde renovat, quoties illis recte utimur, ut fidei nostrae vigorem haud aliter in nobis semper usu illorum restituat, quam aquilae iuventus, ut est in proverbio, renovari solet. Iam et summa rerum in vita hac omnium copia suam nobis approbat vere paternam clementiam. Non patitur nobis quidquam deesse omnino, quod modo salutare esse sciat. Dat escam toto terrarum orbe universae carni in nostrum obsequium et satiat os nostrum omni bonorum genere. Vindicat nostras (7) iniurias neque quidquam praetermittit omnino quod ad commendandam nobis suam hanc misericordiam videatur quoquomodo pertinere. Haec sane de illo ita propheta omnia, sed docet etiam ad quos potissimum spectet tanta illius bonitas et misericordia. Dum infirmitatem nostram omnem ab illo sanari docet, contemptum impiorum hauddubie excludit, et quoniam is nulla alia re dignosci melius ab infirmitate potest, quam ἀφοβίᾳ (desiit enim timere qui contemuit) ut nihil prorsus ad con-

temptores pertinere ostendat Dei misericordiam, quae quidem nobis salutem nostram restituat, diserte ait: Misericordia Domini super timentes eum. At vero timor quoque ipse varius est. Est timor impiorum in poenam contemptoribus additus, qui sublata omni veniae spe adigit ad desperationem. Sed hic non tam est timor iam, quam horror quidam potius, poenae illius initium, qua Deus contemptum sui ulciscitur. Neque cum hoc aliquid commune habet amplius Dei misericordia, quum tales potius, quos hic horror semel occupavit, aliud iam prae oculis habere non possunt quam formidabilem illam inevitabilis iudicii exspectationem et ignis vehementiam, quae illos tandem tandem devoret atque absorbeat. Sic numquam non horrent demones ad Dei potentiam. Sic et Cain et Iudam timuisse legimus. Sed nomen divinum invocasse non legimus, propterea quod ab omni veniae spe exclusi, animum suum ad Dominum attollere non potuerunt. Quare alium timorem esse oportet, ad quem propheta indicat Dei misericordiam proprie pertinere, nempe eum quo perterremur quidem vehementer, quoties nos ipsos vitamque nostram intuemur, sed adeo non absterremur tamen a spe consequendae veniae, ut eo incitemur etiam ad resipiscentiam opemque Domini implorandam, qua sola fatemur nos a nostra calamitate, per quam in peccatis vel inviti haerere cogimur, sublevari oportere. Sic timuit patrem suum Euangelicus ille male frugi filius, sic Dominum David, sic Christum Petrus et sunt protinus misericordiam consequuti. Non est satis dixisse „peccavi" id quod equidem et Cain et Saul et Iudas fecerunt, sed illud est imprimis necessarium, ut omnem nostram calamitatem non tam hominibus, quam Deo nostro potius, neque huic velut iudici solum aut Domino, sed etiam velut patri omnium longe indulgentissimo atque adeo servatori nostro filiorum more exponamus, illius iudicium a nobis deprecemur et solam eius misericordiam concepta per Christum certa fiducia imploremus. Tum demum enim adspiciet nos proculdubio oculis suae misericordiae, agnito hoc sui in nobis timore, qui adeo non potest alioqui non esse gratus Deo iuxta Christi ipsius testimonium, ut una haec vox „peccavi" a tali profecta animo maius gaudium excitet in coelo, quam nonaginta novem iustorum accessio. Unde et propheta alibi, dum de eo ipso timore loquitur quem Deus in nobis requirit: Misericordia, inquit, super timentes eum et in eos qui sperant super misericordia eius, ut intelligamus cum timorem ad quem Dei pertineat misericordia veniae spem non modo non excludere, sed adiunctam sibi praeterea etiam habere omnino oportere. Quibus equidem verbis planum facit propheta, Domini misericordiam ad infirmos duntaxat, non autem ad contemptores neque ad prolapsos in desperationem (quatenus ea contemptus poena est)

sed ad sperantes in ipsum pertinere. Peccant igitur qui omnes homines atque adeo vixdum natos infantes etiam contemptus atque odii divini accusant. Infirmitatem enim hic nostram duntaxat sanari legimus, contemptum non item, et adeo non legimus usquam sanari contemptum Dei, ut longe diversum legamus. Periturum sane atque adeo delendam prorsus esse statuit Deus animam omnem, quae auditum verbum Domini contempnat. Id etsi ad mortem corporis referri possit, declarat interim tamen, alio loco apud Deum haberi infir-(8) mitatem quam contemptum, et infirmitatem expiari posse, contemptum non item. Certe Sapiens repentinum intêritum adscribit contemptui spemque salutis omnem ab eo excludit. Et Christus desertores ab infirmis discernit, atque hos ad se vocat, illos filios diaboli et viperae progeniem appellat. Proinde nos ab eo adhuc impietatis genere per Dei gratiam alieni, agnoscamus infirmitatem nostram et accusemus illam apud Dominum Deum nostrum atque illius nomine ab eo nobis tanquam a Dominó et iudice metuamus etiam, sed interim ad eum tamen ut ad servatorem nostrum omnium ac patrem omnium longe optimum, omnium beneficentissimum longeque omnium indulgentissimum decurramus, illius imploremus misericordiam, per eum, cui negari nihil potest, Christum Iesum, ab illo solo omnem nostram salutem et quicquid omnino bonum est petamus atque etiam spe certissima exspectemus. Ita fiet enim ut neque ille nos deserat et nos ei fini, ad quem conditi sumus, quatenus id praestari a nobis potest, respondeamus, h. e., nobis ipsis deiectis extollamus misericordiam Dei ac nominis sancti sui gloriam, cui omnis quaecunque usquam est creatura subservire debet.

§ 7. *De nostri cognitione.*

Proxima divinae cognitioni nostri cognitio esse debet, neque enim nos melius agnoscere unquam possumus, quam si nos ipsos e Dei potissimum imagine, verbo suo divino expressa, metiamur. Nam si in hunc, qui propter se condidit omnia, pupillam mentis nostrae diligenter intenderemus, facile in pupilla suae divinitatis nostrae etiam pupillae formam atque ingenium, quemadmodum Plato docet, intuebimur vereque nos ipsos agnoscemus. Est autem necessaria nostri cognitio ad magnitudinem beneficiorum Dei vere etiam agnoscendam. Quî enim Dei beneficia vere nobiscum reputare possemus, si non penitus quid nobis desit quidque impendeat, cognitum ipsi perspectumque haberemus. Iam vero ex his quae de Deo dicta sunt, colligi multa possunt, quae ad nostri cognitionem pertineant. Sed ex mandatorum et promissionum doctrina plurimum lucis ad eam rem ad-

ferri potest. Certum namque est mandati transgressione mutatam esse a priore archetypo nostri imaginem, so promissione rursus in eodem ipso homine, in quo et mutata fuerat, restitutam. Quatenus igitur vel mandati transgressione mutatam vel promissione rursus restitutam esse deprehenderimus nostri imaginem, hactenus nos peccato etiam subiectos esse debemus. Primum autem intueri nos oportet archetypum nostrum ut demum quantum ab eo nunc abeimus perspicere possimus. Condidit igitur hominem Deus ad imaginem et similitudinem suam, ut quemadmodum Deus Dominus est omnium, ita et homo terrae totius imperium obtineret et mentis iudicio Deo quodammodo similis esset. Sed quoniam hoc Dei gloria poscebat, quemadmodum diximus circa divinae institiae considerationem, ut creatura a creatore omnem suam salutem et felicitatem peteret atque etiam exspectaret, tale inter se et nos discrimen statuere voluit, ut ipse quidem ἀναμάρτητος, nos tamen in Ada omnes tales crearit, qui peccare possemus, possemus item etiam non peccare, si Adam illi per suam obedientiam adhaesisset. Eramus ergo in lumbis Adae priusquam peccasset Domini terrae, eramus mente bona ad Dei similitudinem praediti, ad haec sancti etiam, sed qui addita nobis voluntate in utramque partem flexili peccare poteramus, idque ut intelligeremus, non in nobis ipsis sitam esse salutem nostram, sed eam a Deo solo (cui haec debetur gloria) et peti et exspectari oportere. Atque hic noster in Ada archetypus erat prinsquam illum mandati divini transgressione violasset. Quatenus vero sit violatus, ac postea rursum restitutus, id ex mandatorum et promissionum doctrina apparebit. Est autem eadem mandati illius Adae imperati et legis per Mosen latae natura. Et si vim verborum (9) sequi volumus, gravior poena additur non praestitae legi quam mandati illius primi transgressioni. Hic enim translatam legimus ab Ada in terram et serpentem maledictionem, illic maledictum hominem ipsum pronuntiari audimus, quisquis non praestet quod lege praeceptum habetur. Quodsi lex non omnem inobedientiam morti protinus aeternae addicit, ne mandato quidem primo illo aliam inobedientiam sub mortem aeternam damnari posse intelligamus, quam quae per legem damnatur. Porro cum Paulus doceat, legis officium esse duplex, alterum ut nos ad Christum finem suum deducat, unde et legem ipsam paedagogum appellat, alterum ut qui se eo deduci nolunt, omnes condemnet, certum sit item a nemine, quae lex exigit, praestari omnino posse, — perspicuum est duo inobedientiae seu peccati genera exstare oportere, alterum quo a vita quidem aeterna nobis constituta excidimus, sed non protinus tamen gehennae addicimur, etiamsi ad illam a vita exclusi feramur, alterum quo plane iam ad gehennam detrudimur. Sane addictus esse gehennae

nemo potest, qui ad Christum deduci debeat. Qui enim decreto Dei gehennae addictus est, is in ipsa iam gehenna, quod quidem in ipso est, versatur, etiamsi nondum crucietur, quemadmodum de Angelis transgressoribus Petrus et Iudas testantur. Stat namque aeterna voluntas aeterni atque immutabilis Domini, neque ad hominis exemplum mutatur. Interim tamen sunt etiam quibus nullam pacem reliquam amplius esse Deus ipse per prophetam suum profitetur. Iam si eius peccati seu inobedientiae reus erat Adam, quae est gehennae propria, tum nos quoque ad illam pertinebimur. Sin minus, certe ne nos quidem graviorem feremus condemnationem, quam tulit Adam cuius peccato omnes damnamur. Ut autem eam inobedientiam quae non est ad mortem, ut Iohannis verbo utar, ab ea quae est ad mortem vere discernamus, an domum videamus, utri nos obnoxios Adam peccato suo reddiderit, peccati nobis genera consideranda erunt, quae duo nobis a scriptura proposita habemus. Alterum quo propter Adae transgressionem mortui iuxta Paulum, h. e., extra vitam aeternam constituti sumus. Alterum quo a vita exclusi fructus dignos nostra arbore proferimus. Vulgo vocant *originale* et *actuale*. Primum autem de originali dicemus, quod etsi ab alio demanavit, nempe actuali, tamen quia primum in nobis locum obtinet, primo etiam loco exponi debet ad ordine declarandam veram nostri cognitionem.

§ 8. *De peccato originis.*

Originis nostrae labem alii vitium seu morbum, qui tamen sit perpetuus, alii peccatum, alii maculam, alii servitutem appellant. Nos si de re conveniat, nomina nihil morabimur. Si morbum ideo vocemus, quod medico opus habeat, allaturus certum exitium nisi medicus manum admovisset, nihil peccabimus. Rursum si peccatum non pro patrato facinore sed pro re exitiali accipiamus, vere peccatum est natura sua labes illa ab Ada in nos propagata, si in Christo remissa non esset. Item si maculam intelligamus impuritatem illam, quae obstat, quominus pari in Dei iudicio cum omnibus nostris iustitiis appareamus, sane et tum quoque labes nostrae originis vera macula erit, reddens impura nostra omnia, quaecunque per omnem vitam nostram optime etiam nobis egisse videmur. Sed vim atque ingenium nostrae huius labis omnium simplicissime exprimemus, si illam dicamus esse peccati servitutem. Qui facit peccatum servus est peccati, inquit Christus. Adam igitur transgresso mandato factus peccati servus, similes sui nos omnes etiam, h. e., servos peccati generavit, eamque ipsam peccati servitutem in totam suam posteritatem propagavit. Dicimus ergo labem nostrae originis vocari quidem vere mor-

bum, vicium, peccatum ac maculam, quemadmodum exposuimus (10), sed potissimum esse eius peccati adnatam nobis servitutem, quam Paulus ἀπειθίαν vocat. Huius enim fillos nos Paulus ipse appellat et sub hanc nos rursus conclusos omnes esse testatur. Haec porro servitus obstat, quominus non solum vere amemus Deum, vere illum timeamus, vere illi credamus, vere eum colamus et veneremur, sed etiam quominus percipere ex nobis ea quae Dei sunt atque adeo boni quidpiam omnino cogitare possimus. Deinde hoc facit etiam, ut Sathan efficax sit in nobis non solum ad producendos fructus eius, sub quam conclusi sumus, incredulitatis seu inobedientiae (his enim ut maxime velimus carere non possumus) sed ad pertrahendum nos quoque in suae imaginis similitudinem, siquidem oblatam in Christo gratiam fide non apprehendamus. Sunt autem praecipuae duae imaginis suae notae, contemptus et odium Dei, quas ille animis nostris infigere modis omnibus conatur, haud aliter quam Adamum parentem nostrum ad diffidentiam pertraxit. Hucusque enim efficacem in Ada Sathanam fuisse legimus, ut illum ad diffidentiam pertraxerit, ad contemptum non item, voluntarium praesertim. Non audit vocem Domini, ut nuditatem suam agnoscat, qui semel Dominum destinata voluntate contempsit, multominus autem infirmitatem suam agnoscit. Nihil horum de Sathana audimus, quem tamen dubium non est et vocem Domini nusquam non praesentis, audire potuisse, quam in paradiso audivit, et ea audita agniturum proculdubio fuisse nuditatem, h. e., defectionem suam, si non illum alio contemptus et odium Dei voluntarium detrusissent. Sed Adam etsi peccasset, sensit nihilominus Dei Domini sui praesentiam, audit vocem illius, fugitat, agnoscit se nudum, deceptum ut infirmum, non audet in conspectum nisi vocatus prodire. Haec longe adhuc a contemptu abesse adhuc videatur et ab odio multo adhuc longius. Quid! quod addita mox promissio ab omni illum et contemptus et odii suspicione prorsus liberat? Non est pax impiis, dicit Dominus, et promissio ad contemptores pertinere non potest. A contemptu igitur atque odio Dei longe adhuc abfuisse Adamum oportuit, posteaquam et Deus illi promissionem de sacrosancto olim semine suo nascendo patefecit et ille patefactam apprehendit. Quod igitur in Ada efficere non potuit Sathan, h. e., ut eum ad contemptum et odium Dei pertraheret, id in nobis iam perpetuo conatur, quos sub diffidentiae servitute conclusos habet. Atque ea demum est vis nostrae huius peccati servitutis, ut non solum obstet quominus Deum vere amare, timere, colere, illi credere et quae eius sunt percipere ex nobis possimus, quae sane in Christo fidelibus omnia remittuntur, sed ferat nos etiam vel invitos in omne scelerum genus atque adeo in ipsam etiam Sathanae similitudinem,

nisi per fidem illi, Sp. S. ductu, virtute et beneficio resistamus. Quodsi iam discrimen inde queramus inter archetypum nostrum olim et praesentem, ut nunc sumus, nostram imaginem, tam longe nos ab archetypo nostro abesse iudicare debemus quam longe a libertate per servitutem, a vita per mortem excidimus. Adam ergo liber conditus est, ut et obedire posset et peccare, nos servi peccati nascimur, ut velimus nolimus peccare perpetuo cogamur. Ille lucem divinae cognitionis additam sibi natura sua habebat, nos percipere ex nobis non possumus, quae sunt Dei. Ille ante peccatum sanctus in vitam vivebat aeternam, nos facti peccati servi in mortem aeternam ferimur, prorsus alioqui inevitabilem, nisi ab illa nos novus Adam noster, vetere Adamo adeoque et Sathana ipso potentior, merito beneficioque suo liberasset. Fatemur ergo labem nostrae originis eam esse, quae nos sub peccati servitutem redactos cogat perpetuo vel invitissimos peccare, quae menti nostrae eas offundat tenebras, ut neque quae Dei sunt ulla ex parte percipere, neque boni quidquam plane ex nobis cogitare possimus, praeterea quae nos, non (11) quidem addictos prorsus adhuc gehennae habeat, quandoquidem hoc ipsum nos ab omni promissione excluderet, sed ferat tamen ut peccati servos in mortem aeternam, iis quidem omnino inevitabilem, qui Sathanae conformes facti, non amplius Christi beneficium agnoscere iam volunt, sed a nobis iam propulsam, quos filius Dei ab illa factus homo et quidem vere liberavit. Quatenus vero ea Christi liberatio apprehensa fide nos sublevet atque ad nos pertineat, id ex doctrina promissionum Sacramentorumque ratione, quae sunt promissionum indices et sigilla, melius apparebit.

§ 9. *De peccato actuali.*

A peccato originali demanat actuale velut a putri arbore putris fructus. Qui enim servus est peccati non potest non peccare, et cum servi nascamur peccati, quod primum omnium agimus, peccatum est (Graeci παράπτωμα vocant) differtque actuale peccatum ab originali, quod hoc patrando committitur, illud nobis extra opus omne adnascitur, hocque ab illo demanat velut effectus a causa. Dum ergo Deo non vere credimus, dum illum non vere amamus, non vere colimus, non vere timemus, breviter dum mandatum illius quodcunque transgredimur, quoniam id totum patrando committitur — actuale peccatum vocamus. Neque enim consistit in solo externo opere, sed in interiore quoque quolibet animi motu et cogitatione. Huius vero actualis peccati duo genera ponit Ioannes Apostolus. Docet esse peccatum non ad mortem, et peccatum ad mortem. Vulgo veniale

et mortale vocamus, etiamsi non recte aliqui his vocibus utuntur. Ac de mortali quidem postea, nunc de veniali dicemus.

a. *De peccato veniali.*

Peccatum veniale est inobedientia erga Deum, quae tamen propter Christum remittitur, exitialis alioqui futura nisi remitteretur. Ita enim visum est Deo, ut concluso sub peccatum homine remedium illi tale adferret, quod virus peccati omne tolleret, ne iam sit amplius damnans peccatum in nobis propter Christum, siquidem eius beneficium non contemnamus. Unde et Ecclesia, certa de peccatorum remissione ait: Remitte nobis delicta nostra, — et Ioannes vult pro peccato non ad mortem, quale quale id sit, publicam precationem haberi. Neque vero ab externo opere peccata metitur Deus. Ad Ecclesiam pertinet hoc iudicium ut alia aliis statuat esse graviora, sive quod plus offendiculi quaedam pariant, quaedam minus, sive quod alia pluribus damnum dant maioreque periculo patrantur quam alia. Unde et a magistratu aliis leviora, aliis vero graviora decernuntur supplicia, et quaedam leviora, quaedam vero capitalia vocantur. Ceterum in Dei iudicio longe est alia ratio peccatorum. Cor intuetur ille, non operis faciem atque ab animo aestimat omnia. Quod enim ad externam peccati faciem attinet, quis non dicat Davidis peccatum multo fuisse gravius peccato Saulis? Is servat hominem, quem occidere debebat, servat et pecora in sacrificium Domino, — ille praeter violatam amicitiae fidem ei, cui propter multa in se officia plurimum alioqui debebat, contra Dei praeterea mandatum adulterium etiam committit, et ut secure suis fruatur amoribus, multa designat homicidia. Et tamen levius est Davidis quam Saulis peccatum in Dei iudicio, atque unica vox illa Saulis, qua se peccasse cum sciret, fateri tamen nolebat, suumque consilium aut bonam, ut vocant, intentionem veluti sanctiorem mandato divino anteponebat, unica, inquam, vox illa „Imo vero non peccavi cet." gravior erat in conspectu Dei quam Davidis et adulterium simul et tot hominum caedes. Proinde et Paulus peccatum voluntarium discernit ab aliis (12) et nullam amplius illi propitiatricem hostiam superesse testatur. A quo quidem peccato discerni sane oportet veniale hoc, de quo nunc agimus. Habet enim utrunque hoc secum commune, quod utrunque proficiscitur ab hominis voluntate, sed hoc differt rursum a peccato voluntario peccatum veniale, quod hoc serva, illud libera iam prorsus voluntate patratur. Est autem serva voluntas, qua id quod nolumus, agimus. Rapimur enim alio fere quam volumus propter adnatam nobis peccati, ut diximus, servitutem, et transverse acta voluntas nostra agit

quae neque vult, neque probat. Sic Paulus docet se agere quod non vult malum et eam peccati servitutem legem membrorum seu carnis appellat. Sed interim etiamsi ea membrorum lege seu carne legi se peccati servire fatetur, remitti hoc sibi nihilominus docet tamen propter Christum, modo ut mente Deo serviat legique membrorum repugnet. Et proinde veniale peccatum erit quod serva voluntate nostra vel, ut Paulus ait, lege membrorum nos huc impellente, sed mente nihilominus reclamante patramus, qua equidem, utcumque transverse agimur, assentimur tamen Deo, eum esse bonum, legem illius sanctam, breviter mente servimus Dei legemque illam membrorum cum omnibus eius fructibus cum intra nos ipsos conscientiae nostrae testimonio, tum vero apud Deum etiam perpetuo accusamus, eorumque certam condonationem per Dei misericordiam in Christo et petimus et exspectamus. Deinde in hoc quoque differt a peccato mortali sive voluntario potius veniale, quod hoc a servitute peccati nobis adnata seu membrorum lege demanat, illud vero nascitur ex nimia indulgentia venialium peccatorum, quam Salomon *profundum* peccatorum appellat. Impius, inquit, cum in profundum venerit peccatorum contemnit. Et quemadmodum ob adnatam nobis peccati servitutem non possumus non peccare, ita rursum si venialibus peccatis nostris nimium indulgeamus, facile etiam in mortale prolabemur. Quare danda est opera nobis omnino, ut mente nostra Deo iugiter serviamus. Sathanaeque tyranno nostro fide robusti modis omnibus resistamus, ne qui nos iam sub venialis peccati servitutem astu suo in Ada parente nostro pertraxit, idem etiam per nimiam venialium indulgentiam sub mortalis demum quoque peccati servitutem callide propellat, atque in nobis deinceps in aeternum triumphet. Huc pertinent ieiuniae, eleemosinae et assiduae precationes tum publicae tum privatae. Huc et censura Ecclesiastica, in hoc sane potissimum instituta, ut qui sibi plusculum in viciis indulgent, neque privata admonitione moveri videntur, publica saltem Ecclesiae authoritate correpti a peccato voluntario, quoad eius fieri potest, coherceantur. Iam quod ad imaginis nostrae rationem attinet, huic peccato veniali velimus nolimus subiecti sumus. Qui dicit se non peccare, is autore Ioanne facit mendacem Deum ipsum, et adeo carere peccato non possumus, ut tota vita nostra nihil aliud agamus quam peccemus, iustitiaeque nostrae omnes quaelibet speciosae puriores non sunt, quod ad nos quidem attinet, in Dei iudicio, quam est pannus mulieris menstruo profluvio obnoxiae, quemadmodum propheta testatur. Sed depuratur interim sanguine immaculati agni nostri Christi Iesu, occisi antequam mundus fieret, iuxta providentiam Patris Dei, qui in omnibus suis promissionibus filii sui unigeniti hostiam a mundi

origine intuetur. Quoniam vero peccatum hoc veniale ab originali derivatur, mortale vero nascitur e venialis nimia quadam indulgentia, non defuerunt qui sub uno originalis peccati nomine veniale quoque complecterentur, connectentes fructus omnes cum sua arbore et effectus eum causa, actuele vero ad id, quod Paulus voluntarium vocat, totum referrent, causam etiam cum effectis suis coniungentes, et originale quidem propter Christum remitti (13), actuale non item, sub quo interim nomine id potissimum intelligebant peccati genus, quod Paulus voluntarium, Ioannes ad mortem, Christus irremissibile appellant. Quae quidem sententia non recte intellecta magnarum turbarum in Ecclesia causa fuit atque infinitas questiones peperit, quae multos torquere adhuc videntur.

b. *De peccato mortali seu voluntario.*

Ex peccati venialis descriptione magna iam ex parte apparere potest, quid sit mortale peccatum, quod Paulus voluntarium appellat. Diximus veniele peccatum esse quod serva volnntate nostra, mente tamen reclamante committitur, neque septa servitutis seu infirmitatis nostrae transcendit. Peccatum igitur mortale est, quod libera prorsus neque iam serva amplius, sed destinata potius atque adeo in unum collecta quodammodo voluntate nostra, et ut Pauli verbis utar, carne simul et mente tota patretur. Dum servitutem excludimus, testamur hoc peccati genus neque ad infantes neque ad eos item etiam pertinere, qui de Deo nihil unquam sanae doctrinae audire potuerunt. Ad servitutem enim pertinet non posse ex nobis percipere quae sunt Dei, nisi id aliunde doceamur. Sanam vero doctrinam intelligimus non verbi tantum divini externam praedicationem, sed omnem praeterea legitimum Dei etiam agnoscendi rationem. Nam etsi non omnes verbum externum audimus, excitari tamen debemus omnes creaturarum varietate et rerum omnium vicissitudine ad investigandam Dei potentiam et bonitatem. Neque evadet iudicium Dei quisquis id ad se nihil arbitretur pertinere, id quod Pauli testimonio satis comprobatum habemus. Peccatum igitur ad mortem ad eos duntaxat pertinet, qui mentem suam a Deo, destinata collectaque in hoc omni voluntate sua alienant, aut sanam illius doctrinam ultro reiiciunt neque illam volunt ad se omnino pertinere. Huius peccati autor et princeps est Sathanas. Is noverat sane divinae maiestatis excellentiam et neminem habebat, qui se ab illius timore et obedientia abduceret, sed collecta inter se ipsemet propria voluntate sua contemptaque sublimitate Dei par illi esse proque Deo adorari voluit, ne Christum quidem Dominum reveritus, a quo propositis illi in conspectum regnis mundi omnibus, honores sibi divinum deferri postulavit.

Idem vero nunc etiam hoc perpetuo agit, ut posteaquam nos peccato Adae iam sub ἀπείθειαν subiecit similes quoque sui ad extremum reddat, h. e., Dei contemptores et osores. Sunt enim haec certissima adeoque et peculiaria peccati voluntarii signa, contemptus et odium Dei, quae illud ab aliis peccati generibus peculiariter discernunt. Sic Pharao contempto Deo oppugnat collectis copiis illius potentiam in persequendo Israele. Sic Saul persequitur in Davide Dei ordinationem, quam equidem probe noverat et nihilo secius impedire modis omnibus conabatur. Sic Pharisaei olim ac sacerdotum principes odio Christi virtutem adorandam Dei in Sathanam transferunt, et ut Christum perdant, regis titulo se abdicant, quem tamen Messiae suo proprium esse et proinde ad se etiam pertinere sciebant. Sic et nunc nostri seculi Pharisaei ac sacerdotum principes, constituto sibi in templo Dei novo rege suo papa, Christum illi invitum conantur subiicere et eos qui ipsis non assentiuntur Christumque Papae anteponunt, ferro et flammis crudelissime persequuntur.

Horum nihil de Ada legimus et proinde non est cur illum contemptus et odii divini reum faciamus. Non odit, multominus contemnit Deum, qui sentit illius praesentiam, audit et timet illius vocem, fugitat nuditatemque ipse suam agnoscit et accusat. Haec cum scriptura nobis aperte de Ada testetur, discrimenque his (14) testimoniis statuat inter Sathanam et hominem et inter humanum et illius peccatum, falluntur qui Adae et eius peccato contemptum et odium Dei adiungunt, quibus positis non erit discrimen ullum inter Sathanam et hominem, cum tamen servato per Christum homine sublataque omni illius peccati noxa, Sathanum cum omnibus eius angelis gehennae destinatos esse sciamus. Quare et a nostra imagine scelus hoc contemptus et odii divini excludemus, quod Sathanae proprium est et his qui in eius similitudinem nimia peccatorum indulgentia abierunt. Sunt autem qui peccatum hoc voluntarium in certas quasdam species contrahere volunt, sed tam late fere patet huius peccati varietas, quam late patet peccatum veniale. Quidquid enim libera ut diximus atque in unum collecta et carnis et mentis voluntate patratur, voluntarium est. Proficiscitur enim a plena totius hominis voluntate, qui sane mentem suam a Deo ultro alienare nisi illo contempto non potest. Vocatur vero peccatum hoc a Christo peccatum in Spiritum Sanctum quod contemtus oblatae in Christo gratiae spiritui potissimum repugnet, qui corda nostra ad illam apprehendendam afflatu divino suo excitat et illustrat. Et quoniam contemtus Dei ex nimia peccatorum indulgentia nascitur, hanc Paulus quoque spiritus contristationem appellat. Porro huic peccato nullam amplius propitiatricem hostiam reliquam esse docet Paulus, neque fieri posse,

ut ab illo quis unquam omnino recipiscat. Ioannes item non esse amplius ait, ut pro illo ulla prorsus precatio habeatur, et Christus magna emphasi manere illud testatur neque remittendum esse in aeternum. Quae causa fuit etiam plerisque ut dicerent soli huic peccato gehennam in poenam constitutam esse, praesertim cum Christus ipse fateatur eam Sathanae potissimum, huius peccati autori, et suis duntaxat angelis, hoc est, sui similibus ab aeterno fuisse constitutam. Peccato vero quod remitti debebat gehennam constitui haudquaquam potuisse, propterea quod duo haec pugnare secum omnino videantur, velle peccatum remittere et gehennam illi in poenam constituisse, quae quidem ab omni veniae spe plane excluditur, nedum ut ullam prorsus admittat peccatorum remissionem. Quod equidem et propheta pluries et Abraham ille Euangelicus aptissime testantur. Caeterum id quoque observandum hic erit, hoc potissimum peccati genere discerni Sathanae seu Antichristi Ecclesiam a Christi Ecclesia. Quemadmodum enim primum apud Christianos locum obtinet poenitentia quae apprehensa mox per fidem Dei misericordia gignit ex se protinus fructus charitatis, ita in Sathanae Ecclesia primum sibi locum obtinet contemptus Dei, qui demum per animi obstinationem gignit ex se etiam odium Christi et omnium, quicunque ab illo ad doctrinae suae ministerium vocantur. Sic desertores illi in vetere Ecclesia sacerdotum principes, adversus quos prophetas suos Deus subinde excitabat, ferre numquam potuerunt eos, qui a Domino ad vineae suae culturam mittebantur, atque adeo ipsum vineae haeredem etiam, facta adversus illum conspiratione, occiderunt. Sic et nunc ab istorum successoribus videmus nôn modo doctrinam Christi coniuratis odiis oppugnari, sed viva illius membra etiam ita tractari, ut eum sceleratissimis quibuscunque hominibus crudelius agi non possit. Interim tamen Dominus suam non deserit Ecclesiam, sed eam modis omnibus sublevat et tuetur. Confirmat fidem in se nostram per Spiritum Sanctum suum, erigit nos assidue verbi sui divini promissionibus, addit et visibilia eorum atque adeo palpabilia etiam symbola, quae nos sacramenta vocamus et adest perpetuo suis usque ad seculi consummationem, ut portae inferi adversus nos praevalere numquam possint. (15)

§ 10. *Epilogus de nostri agnitione iuxta legis seu mandatorum doctrina.*

Ex his quae de legis officiis deque peccatorum generibus dicta sunt, facile apparet, quantum a primo nostri archetypo atque a vita adeo aeterna etiam absimus, quod ad nos quidem attinet, praesertim si solam mandatorum doctrinam intueamur. Conditi sumus liberi in

Ada, nunc per eius inobedientiam servi peccati nascimur. Conditi sumus sancti divinae et gloriae et cognitionis participes, nunc percipere ex nobis non possumus, quae sunt Dei et in omni nostro quolibet specioso opere, in omni denique nostra cogitatione peccamus. Conditi sumus ad vitam aeternam ut Dei imaginem in terris referremus, nunc propter adnatam nobis ἀπειθίαν ferimur omnes in mortem aeternam et ferre cogimur Sathanam, qui nos ad suae imaginis similitudinem, h. e., contemptum et odium Dei pertrahere semper conatur. Est igitur ea nostri imago, quam in nobis agnoscere omnes debemus: Concipi et nasci in peccati servitute, subiectos tota vita nostra esse inobedientiae, subiectos caecitati quod ad divina attinet, propendere in omne genus peccatorum atque adeo in omni etiam nostro opere peccare. Praeterea ferri nos in Sathanae similitudinem ac mortem ipsam aeternam, nisi medicum haberemus, qui vitam nostram a tam horribili interitu prorsus alioqui inevitabili redemisset, idque non propter nos, multo minus propter merita nostra ulla, sed propter nominis sui sancti gloriam, quae hoc poscebat, ut intelligeremus omnem nostram salutem non a nobis ipsis nostrisve meritis sed a sola eaque gratuita illius misericordia et queri perpetuo et exspectari etiam oportere. Differimus tamen a Sathana, quod ille destinata prorsus voluntate ac contemptu voluntario agit quidquid agit, nos vero infirmitate nobis adnata peccamus. Ille non potest non perpetuo odisse Deum, nos, etsi, sub ἀπειθίαν conclusi, omnem nostram substantiam turpiter decoxerimus, reditum nihilominus tamen ad patrem nostrum omnium longe indulgentissimum, prodigi illius filii exemplo, quandoque meditamur. Ille gehennam habet iam sibi et suis angelis in poenam peccati sui constitutam, nos, etsi toti in illam quoque incredulitatis nostrae inclinatione propendeamus, nondum tamen addicti illi sumus propter Christum, qui mox a peccato promissus, continuo etiam veneficae illius viperae caput conterere in nobis coepit, ut etsi nihil aliud quam gehennam tota vita nostra promereamur, non tamen ideo ad illam condemnemur, praeterquam si Christi beneficium a nobis contemptu ipsi nostro propellamus, id quod ex promissionum doctrina clarius apparebit.

§ 11. *De divinis promissionibus.*

Omnes promissiones quae ad salutem nostram quoquomodo pertinent, Christum intuentur atque hactenus ad nos pertinent, quatenus et nos ad Christum pertinemus. Ille enim solus est ostium, ille via et vita, ille denique unicus Dei et hominum mediator, sine quo nemo prorsus ad patrem coelestem pervenire unquam potest. Datae sunt

autem promissiones, ut legis usu nobis indicato, certos etiam nos reddant de divina in nos misericordia, quae nos ad salutem aeternam per Adamum parentem nostrum amissam pro beneplacito suo reduxit. Qui enim data lege seu mandato declarare voluit, se Dominum et vere esse et agnosci etiam velle, idem quoque addita promissione manifeste ostendit, se non ideo legem seu mandatum dedisse, ut quaelibet ipsius transgressio ad gehennam condemnaretur, in qua nullus alioqui veniae locus esse deinceps unquam potest, sed ut legis occasione suam in nos misericordiam tanto evidentius exereret, quanto longius a vita iam aeterna per parentis nostri inobedientiam abessemus, palamque faceret, se lapsorum quoque servatorem esse, qui se modo non contemnerent, sed agnita sua ipsorum miseria ad ipsum confugerent opemque eius supplices implorarent. Ego feci, inquit, ego et feram, ego portabo et (16) servabo. Quatenus igitur promissiones divinae ad nos pertinent et nos ad Christum, hactenus a gehenna semper abfuimus, etiamsi illam proculdubio promeruerimus, atque in illam toti adeo etiam propendeamus, neque aliter sub legis maledicto haeremus, nisi quatenus ab illo per divinas promissiones in Christo liberati nondum sumus. Qua parte vero liberati sumus, non iam amplius sub legem concludimur, sed sub gratiam translati, per illam vivimus, neque tam est hic intuendum nobis peccati nostri pondus, quam divinae potius providentiae admirabile consilium, quo piis adiumento sunt omnia in bonum, nedum ut ad gehennam propter eorum infirmitatem condamnentur. Iam si legem seu mandatum cum promissionibus conferamus, quemadmodum eodem spectare videntur quae nobis et mandato primo illo et lege demum etiam praecepta sunt, ita idem plane nobis quoque omnibus Dei promissionibus proponitur, nisi quemadmodum per legem vis prioris mandati clarius explicatur, ita et posteriores promissiones, primam illam Adae propositam explicant et illustrant. Quod enim Adae prohibitum erat, ne fructu arboris scientiae boni et mali vesceretur, h. e., ne in aestimandis rebus tam divinis quam humanis omnibus rationis suae iudicium sequeretur, sed soli verbo mandatoque Dei modis omnibus adhaereret, id multo expressius nobis lege data explicatur, nempe ut nobis alios quoscunque deos pro nostra industria nullo pacto formemus, atque nullam Dei similitudinem neque eorum quae in coelis neque quae in terris sunt comparatione statuamus, breviter, ne quid omnino faciamus, quod nobis rectum videtur, sed ut in omnibus id potissimum sequamur, quod verbi divini testimonio nobis praeceptum habemus. Estque aeternum hoc Dei mandatum, pertinens ad omnes omnium aetatum homines, et est semper letalis omnibus illius transgressio, nisi quod scriptura, ut se nostrae infirmitati attemperaret,

voluit primum rem ipsam rerum crassarum similitudine adumbrare, quam postea lege data clarius explicaret, rationemque nostram arborem scientiae boni et mali, illius vero iudicium fructus arboris appellavit et esum pro usu accepit.

Ad eundem modum se habent etiam divinae promissiones. Caput serpentis conteri per semen mulieris debebat. Hoc sane nihil eximium erat si non magis reconditum aliquem sensum habuisset, sed admirandum est propter mysterii sublimitatem. Neque enim illic serpens quaelibet anguis est, sed insidiatrix illa vipera, Deo simul ac homini adversaria, neque item caput corporis illic membrum est, sed pro virtute ac potentia accipitur, polliceturque Deus fore, ut, quemadmodum nos suae potestati subiecerat Sathan propter parentis nostri inobedientiam, ita eadem haec ipsa potestas in Ada etiam ipso totaque eius progenie contereretur. Iam quid sit conteri Sathanae potentiam, cum in Ada ipso tum in nobis omnibus, qui in lumbis parentis nostri eramus, Dominus ipse postea explicavit, repetita eadem sed aliquanto clariore ad Abrahamum promissione, nimirum sublato a nobis peccati maledicto, restitutum iri nobis salutarem Dei benedictionem, idque seminis sanctissimi virtute, non minus Adae olim, quam Abrahae postea promissi. In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes. Quodnam vero sit benedictum hoc semen, id vero nobis et prophetarum et Apostolorum testimoniis apertissime declaratur. Paulus diserte ait esse Christum hunceque iuxta paternam promissionem semen Abrahae assumpsisse, h. e., servi forma in se sumpta hominem factum esse testatur, qui tamen idem sit etiam verus et immortalis Deus, potens quemadmodum descendit, ita rursum et ascendere carnemque humanitatis nostrae sibi in corpore suo adiunctam ad patris sui coelestis dexteram, contrito serpentis illius insidiatoris capite, collocare. In hoc igitur semine conteritur serpentis caput, h. e., benedicuntur gentes omnes, fitque Abraham, haud aliter quam Adam mul-(17)tarum gentium pater, et habet Deum iam Deum suum et Deum seminis sui inter omnes gentes, alioqui pater gentium non futurus, nisi et gentes in lumbis suis Adae exemplo habuisset conclusas. Quo pacto autem et in quibus, quatenus item et quando conterat Deus Sathanae caput per seminis huius sacrosancti virtutem, id quoniam nonnihil controversum adhuc esse videtur, paulo diligentius expendemus. Neque hic praeiudicare volumus de cuiusquam sententia, sed id tamen sequemur, quod certo et sine ullis argutiis e scripturis colligi posse videtur. Ac modum contriti capitis serpentini propheta nobis luculenter exponit eum esse, quod cum in nobis situm non esset, ut nos a Sathanae tyrannide liberare ipsi possemus ac nihil aliud iam quam mortem aeternam exspectare omnes cogeremur,

propterea quod in illam sub peccatum venundati omnino iam ferremur, transtulerit demum pater Deus eam peccati nostri servitutem, quae nos ad mortem aeternam impellebat, in eum, qui ab eo non solum non posset vinci, sed eam et in seipso et per se in nobis esset superaturus. Transtulit, inquit, Dominus in illum iniquitatem omnium nostrum. Pacis igitur nostrae erga Deum ratio seu modus in Christo positus est, cuius livore sanati sumus. Unde et a Ioanne agnus vocatus, qui in se sustulerit totius mundi peccatum, et quemadmodum in Christo homine nihil suum reperit neque habere potest Sathan, ita neque in nobis quidquam amplius habet, etiam, corpori Christi inclusis, quatenus sane ad Christum pertinemus. Ad Christum vero pertinent omnes, quos promissio complectitur, et dubium sane non est, tam late, ne dicam latius, patere Divinae promissionis vim in servando homine, quam in condemnando illo legis seu mandati sextus patebat, ut sicut per unius delictum propagata est mors in omnes homines ad condemnationem, quemadmodum Paulus ait, ita etiam per unius iustitiam propagata sit vita in omnes homines ad iustificationem. Haec nobis confirmant ipsa etiam promissionis verba, quae omnes totius orbis gentes complectuntur, et Paulus nullum discrimen facit in Christo Iudaei et Graeci, sed omnes facit unum in Domino et quidem novam creaturam. At vero si hoc ita se habeat, ut omnes ubique gentium homines in Christo serventur, ubi erunt illi, quibus iudicium iam olim non tardat et perditio non dormitat? Complectitur sane promissio omnes omnium gentium homines, sed certis quibusdam finibus, quos si qui studio vel negligant vel transcendant, hi seipsos a promissione Dei, quae est in Christo, excludunt. Ac Paulus quidem intra haec septa concludere videtur divinam in Christo gratiam seu promissionem, ut in iis dumtaxat efficax sit Christus, qui gratiae illius exuberantiam fide apprehendant, atque hactenus sit noster Christus, quatenus in illum credimus; nihil vero ad eos pertineat, qui in ipsum non credunt. Sed si nemo omnium est qui vere credere Deo possit propter adnatam omnibus incredulitatem, sub quam nos omnes conclusos esse scriptura manifeste testatur, non erit quisquam rursus, ad quem Dei promissio seu Christus ipse pertineat. Clara est enim sententia: Qui non crediderit, condemnabitur. Quare cum certum sit incredulitatem nostram non obstare nobis, quominus Dei promissio ad nos pertinere possit, neque dubium sit item plurimos damnari, etiamsi promissio omnes omnium gentium homines complectatur, illud inprimis dispiciendum erit, quatenus credere Deo dicamur, etiamsi illi vere credere non possimus, imo ne percipere quidem quae sunt Dei, et quatenus rursum a promissione alieni efficimur, etiamsi promissio omnes omnium gentium homines complectatur.

Neque hic aliorum sententias referemus, tantum quid iuxta scripturas sentiendum sit paucis et quam simplicissime exponemus.

Paulus servitutem hanc peccati, quae nobis adnascitur alicubi ἀπειθίαν, ut dixi, alicubi ἁμαρτίαν, alibi vero ἀσθένειαν appellat. Docet corpus nostrum seminari ἐν ἀσθενείᾳ. Docet nos conclusos esse sub ἀπειθίαν et ἁμαρτίαν, excludens interim a nobis πονηρίαν, quam proprie Sathanae tribuit scriptura et iis qui in illius imaginis similitudinem contempto Deo abierunt. Eam vero ipsam ἁμαρτίαν, quam Paulus ἀπειθίαν sive ἀσθένειαν vocat, et propheta (18) Esaias et Ioannes Baptista a nobis in Christum translatam esse testantur, non ut nobis non amplius adhaereat, sed ne per illam damnemur, posteaquam illam Christus in suo corpore expiavit. Et Paulus ait: Christum pro peccatoribus mortuum esse, qui quidem infirmi essent, atque vocat illos quidem inimicós, vocat et impios, sed non protinus θεοστυγής erit, qui Dei inimicus dicitur, neque item πονηρός est, quisquis impius vocatur. Dicuntur inimici καθ' ὑστέρησιν, qui non amant, et impii, qui non omnino sunt pii, quo sensu Paulus sane inimicos Dei et impios vocat, pro quibus Christus est mortuus, quod Deum vere neque amarent neque colerent ac ne possent quidem propter adnatam infirmitatem, h. e., peccati servitutem. Alioqui nullus mortalium periret, cum tamen Dei osores et voluntario peccato obnoxios Paulus ipse et Ioannes atque adeo Christus Dominus etiam ab omni gratia excludat. Sic et David morbum seu infirmitatem nostram sanari docet et addit omnem morbum, arborem ipsam cum omnibus fructibus suis complectentem, h. e., peccati servitutem cum peccatis omnibus, quae, ut supra dictum est, venialia appellamus. Quatenus igitur per eum morbum nobis adnatum vere Deo credere, pro eo ac debemus, non possumus, hactenus pro credentibus in Dei iudicio iam censemur propter Christum, per quem pater Deus totum hunc morbum nostrum pro sua iam misericordia sanavit, sive illam ἀπειθίαν sive ἁμαρτίαν aut ἀσθένειαν sive καθ' ὑστέρησιν Dei inimicitiam aut impietatem vocemus. Quatenus vero morbi huius septa transgressi, nimia peccatorum nostrorum indulgentia in Sathanae similitudinem per contemptum et odium Dei transformamur, hactenus nos ipsi a divinis promissionibus Christique dono excludimus, qui infirmitates duntaxat nostras suscipit et morbos portavit, contemptum sui hauddubie non portavit. Porro cum promissio omnes in universum omnium gentium homines complectatur, cum Esaias omnium nostrum sine exceptione iniquitates seu morbos in Christum a nobis translatos, et David item omnes etiam infirmitates nostras sine discrimine ullo sanatas esse testentur, praeterea cum Ioannes baptista Christum agnum illum esse doceat, qui in se iam recepisset omnem

totius mundi ἁμαρτίαν, postremo cum Christus ipse infirmitatis se nostrae medicum esse profiteatur, non est cur ullam omnino ullius etiam hominis infirmitatem in ipso amplius homine intueamur, sed pro credentibus habeamus potius omnes, quorum incredulitatem, nobis adnatam, ab illis iam sustulit Pater Deus atque in filium suum reiecit. Quid quod infantes quoque ipsos pro credentibus habendos esse censuit idem ipse Deus, etiamsi constet, illos nullam habere fidem, posteaquam illa signaculo iustitiae fidei insigniri praecepit. Nimirum fideles iam reputantur omnes, qui ea incredulitate peccant, quam Christus, olim promissus, nunc vero omni prorsus mortalium generi et proinde infantibus quoque nostris exhibitus, expiavit. Unde et nos eam ipsam Dei voluntatem sequuti, infantes nostros pro fidelibus iam reputari in Dei iudicio testamur, quoties eos signaculo iustitiae fidei quae est in Christo per baptismum insignimus, certi doctrinam ac voluntatem Christi diversam non esse a Patris sui coelestis doctrina et voluntate. Si igitur modum contriti in nobis serpentini illius capitis quaerimus, si scire volumus in quibus et quatenus illud contritum sit, Deus ipse est, qui per Christum, Abrahae semen iuxta carnem, caput Sathanae contrivit, translata in ipsum infirmitate omnium nostrum. Contrivit autem in omnibus gentibus, quemadmodum verba promissionis testantur. Et hactenus contrivit, quatenus adnata nobis peccati servitute peccamus, quam Christus corporis sui sacrosancti hostia in carne nostra expiavit. Iam quando sit contritum caput hoc serpentis, docent nos plurima tum testimonia, tum exempla. Nos e multis pauca adducemus. Paulus docet pontificatus Christi neque initium, neque finem ullum posse statui, quemadmodum Melchizedech sacerdotii neque origo neque finis reperiri potest, et docet fide in Christum promissum servatos esse, qui etsi exhibitum illum iuxta promissionem nondum accepissent, eminus eum tamen venturum nihilominus iam videbant. Sic et Abraham vidit diem Christi Domini et gavisus est, et Adam nisi eundem diem (19) multo antea vidisset, numquam ex Eva hominem ullum secundum Deum sustulisset, neque quisquam postea extitisset, qui diem Christi Domini videre posset. Iam Christum habet pontificem quisquis Abrahami exemplo diem illius videt, quem si Adam quoque vidit, dubium esse non potest, Christum iam tum illius etiam pontificem fuisse iuxta promissionem. Et si Adam ad Christi pontificium post peccatum suum pertinebat, quidni eodem quoque pertineat tota illius progenies, quae una cum ipso Abrahamo in lumbis illius haud dubie concludebatur. Sane Ioannes agnum hunc a mundi origine occisum esse testatur. Et Paulus docet Christum esse heri et hodie eundemque et in secula permansurum, in quem reiecta omnis omnium hominum infirmitas neminem prorsus,

qui modo septa illius non transcendat, condemnare amplius potest. Neque vero tollimus ideo originis peccatum, quod ab infantibus nostris excludimus condemnationem. Fatemur enim nos nasci et concipi in peccati servitute, quae nobis natura sua eas offundat tenebras, ut percipere ex nobis ipsis non possimus quae sunt Dei, et ut in omne peccatorum genus animi nostri inclinatione propendeamus, atque adeo in omni nostro opere etiam omnique nostra cogitatione peccemus. Ceterum in ea ipsa tam horribili peccati servitute docemus contritum esse per Christum, ab ipso mox pontificatus sui initio, totum serpentis caput iuxta promissionem, hoc est, omnem Sathanae potentiam, qua ille Adamum cum universa eius progenie sub peccatum venundata ad suae imaginis similitudinem mortemque aeternam impellebat. Igitur quod ad nostri cognitionem ex doctrina promissionum attinet, eam ex illa nostri imaginem agnoscemus, quod qui per Adae peccatum ad mortem omnes generabamur, nunc omnes per Christum etiam ad vitam rursus regeneramur. In Ada peccatores, in Christo sancti sumus. In Ada ferebamur in mortem aeternam omnes venundati sub peccatum, nunc a servitutis noxa omni per Christum liberati, non amplius morimur, praeterquam si contempto illius beneficio nos ipsi ultro Sathanae adiungamus, imo vero corpori Christi iam inclusi non in terris versamur amplius, sed in coelesti potius gloria ad patris coelestis dexteram cum illo residemus, certi veracem esse, qui se omnem suam gloriam nobis dedisse testatur, quamcunque ipsemet a patre suo factus homo accepisset. Iam vero ineffabilem hanc Dei in nos misericordiam per Christum nobis oblatam, fide apprehendi oportet ab iis, qui pro aetate fidei iam capaces utcumque esse possunt. Et quoniam de fide quoque varia docetur a multis, nos quoque veram de fide doctrinam Ecclesiae nostrae trademus.

§ 12. *De fide.*

De fide multi multa disputant. Nos rem paucis et quam simplicissime expediemus. Paulus docet fidem esse donum Dei gignique in nobis autore Spiritu Sancto ubi verbum Dei audivimus. Haec nos admonent non protinus fidem esse, quidquid nobis de Deo pro captu ingenii nostri persuademus, sed quae vera fides dicenda est, eam autore Deo in animis nostris gigni oportere, idque per Spiritum Sanctum, ne hic nos a spiritibus impostoribus falli patiamur, qui se non raro angelos lucis esse assimilant suisque divina praetexunt. At vero Spiritus Sanctus non docet, nisi quae et Christus docuit. De meo, inquit, accipiet. Ideo ab his quae Christus docuit fides nostra initium atque originem suam ducere debet. Excitat nimirum animos

nostros Spiritus Sanctus afflatu divino suo, ut audita Christi doctrina, illam amplectamur. Illustrat in nobis quod audivimus, ut in amorem rapiamur Dei, qui nos prior dilexit ac per Christum in filios iam charissimos condonata noxa infirmitatis nostrae adoptavit. Postremo dat nobis signa certis-(20)sima suae praesentiae, nempe fidei fructus, veluti sui ipsius indices, quod nos certos reddant de vera tum nostra tum aliorum fide, ac tum demum veram fidem in nobis et aliis intelligamus esse, si studium fructificandi in nobis vigere sentiamus, idque iuxta verbum Dei, propriam fidei cathedram seu sedem, — sin minus tam nos a fide longe adhuc abesse sciamus. Necesse est autem eam de fide doctrinam in Ecclesia retineri. Non enim dormit Sathan et quos a fide arcere vi aperta non potest, eos alia via aggreditur, ut illis pro fide praesumptionem obtrudat. Multi iactant Christi meritum, iactant persoluta per illum Patri iam quae debebamus omnia, iactant se iustificatos fide, quam se nihilo infirmiorem Petro habere gloriantur, interim indulgent suis vitiis, neque ullum dant specimen praesentis in se Spiritus Sancti, sine quo nemo prorsus dicere etiam vere Dominum Iesum potest, nedum ut in illum credat. Quare satis non est in fide dignoscenda inniti verbi divini testimoniis, quae et Sathan detorquere novit ac sub illorum fuco multis imponit, sed autorem quoque fidei nostrae diligenter intueri debemus, qui cum alius esse non possit, quam divinus ille atque adorandus spiritus, is vero tam non potest non spirare in nobis, dum illum praesentem habemus, quam non potest non semper esse Deus, cogitare debemus fidem sine Spiritu Sancto esse non posse, et ubi is adsit, eum spirare etiam in nobis oportere, ut fructos se dignos faciamus; quos si non videamus et interim tamen Christi meritum praetexi, fidem iactari et misericordiam praedicari audiamus, existimare debemus, eos qui haec faciant non equidem fidem illam, sed fidei larvam potius, h. e., praesumptionem habere, quam Sathan fidei similem videri vult, et pro vera fide obtrudit. Consistit autem fides non in intellectu, quemadmodum argutantur sophistae sed in animi affectu. Corde enim credi ad iustitiam docet Paulus, non intellectu, etiamsi intellectu percipi prius oporteat, quod corde demum credere debemus. Est igitur fides animi nostri affectus per Spiritum Sanctum in nobis verbo audito excitatus, quo Deo credimus, illum amamus et illi iam deinceps perpetuo adhaerendum esse statuimus, etiamsi infirmitate nostra perpetuo peccemus. Sic Paulus credit Deo dum reddendam sibi omnino coronam iustitiae ab illo velut iusto iudice testatur. Sic amat Christum, ut in illius gratiam mundum sibi et se mundo crucifixum esse dicat. Sic adhaeret Deo, ut etsi carnis infirmitate legi peccati servire cogatur, mente tamen per Spiritum Sanctum excitata Deo perpetuo

serviat. Hac fide, hoc animi nostri affectu apprehendere debemus divinas promissiones et oblatam in Christo gratiam si inter fideles volumus numerari. Neque tamen nos movere hoc debet, quod in fide hac ex toto corde nostro credere Deo, illum amare, illi adhaerere non possimus. Non id a nobis ideo ita exigitur ut pro infidelibus habeamur, si non id totum pro eo ac debemus praestemus, sed sic nobis ob oculos ponere voluit Deus infirmitatis nostrae magnitudinem, ut intelligamus totum mundum obnoxium esse Deo nosque a nobis ipsis proelium auspicari oportere, si ad veram in illum fidem velimus pervenire, h. e., ut adversus nos ipsos primum certamen instituamus infirmitatemque nostram imprimis agnoscamus, hanc accusemus, in hac nobis displiceamus, adversus hanc remedium quaeramus apud eum, qui illam totam immaculata corporis sui hostia expiavit. Is nimirum hoc efficiet, ut nobis obesse haudquaquam possit, quominus inter vere credentes numeremur. Imo vero sua illam conteget sufficientia, ut nullum sit amplius conspicuum in nobis futurum infirmitatis nostrae vestigium, sed iam possimus in eo omnia, qui divinam potentiam suam in nostra infirmitate adversus mundum, Sathanam et mortem illustrare (21) dignatur. Accusari igitur a nobis infirmitatem nostram nosque ipsos nobis displicere in illa oportet, si veram fidem habere volumus. Quod si faciamus, indulgere profecto vitiis nostris non poterimus, et si indulgeamus, nos ipsi testabimur, nos nihil adhuc verae fidei habere, aut si quam habebamus abiecisse. Attemperat se autem Deus nostrae infirmitati et qui nos natura nostra diffidentiae filios esse novit, dat nobis adversus illam praesentissima remedia, quibus nostram erga se fidem subinde exerceamus ac quodammodo renovemus. Reliquit publicum verbi sui ministerium, quo misericordiae suae magnitudinem animis nostris assidue audito illius testimonio inculcemus. Reliquit et visibilia gratiae in nos suae symbola, quae nobis oculis etiam id totum quodammodo subiiciant, atque adeo in cordibus nostris obsignent, quod verbi divini sui testimonio nobis promissum habemus, nos sacramenta vocamus, de quibus iam demum etiam dicemus.

§ 13. *De sacramentis in genere.*

Sacramentorum naturam non aliunde melius agnoscere possumus quam si finem propter quem instituta sunt intueamur, qui a plerisque neglectus magnas iam pridem turbas in Ecclesiis excitavit. Qui baptismo peccatum originis primum omnium tolli docent, unde docebunt ideo baptismum institutum esse, ut peccatum originis remittat, quod ante baptismi institutionem in veteri Ecclesia remissum esse

constat, etiam priusquam circumcisio exstaret? Rursum qui in Coena Domini metamorphoses quasdam somniant, unde docebunt coenam ideo institutam esse, ut vertat rerum species, cum certum sit verum Christi Domini corpus coepisse esse ante annos millequingentos, et ita coepisse ut numquam amplius desinat esse, nedum ut ullam metamorphosin admittat? Et tamen videmus quantam nobis idololatriam prodigiosa illa transsubstantiatio toto propemodum terrarum orbe invexit, quam equidem iis potissimum debemus, qui in causa Sacramentorum quidvis sibi aliud potius quam finem illum propter quem sunt instituta intuendum esse putarunt. Quare nos sacramenta omnia a fine potissimum aestimabimus propter quem sunt instituta, et hoc illis tribuemus, quod fini illi, propter quem sunt instituta, scripturae testimonio viderimus subservire. Praeterea nihil vero addemus, ut qui nobis id potissimum praestandum esse putemus, ut quae extra controversiam certa sunt, ea sola Ecclesiae nostrae tradamus, neminem interim indicantes, neque hoc nomine scindentes Ecclesiam, quod quae alii hic affirmant, nos attingenda nobis non esse arbitramur. Est autem eadem ratio omnium sacramentorum veteris et novae Ecclesiae, ut, quemadmodum omnes promissiones Christum intuentur, ita et sacramenta, cum sint promissionum appendices, Christi beneficium oculis nostris proponant. Unde et Paulus patres nostros eandem nobiscum escam edisse, idemque poculum spirituale bibisse docet, nempe Christum, tum quidem promissum, nunc vero iam exhibitum. Is enim solus est, qui in anguli capite collocatus, utriusque parietis lapides ita connectit, ut omnes in illo solo simus iam filii Dei, quicunque illo vescimur, sive exhibito, sive promisso. Proponunt vero nobis Sacramenta beneficium Christi, non quasi Christo ante usum illorum caruissemus — alioqui vanae essent promissiones, quae semper priores Sacramentis fuerunt, —, sed oculis nostris proponunt, quod apprehensa per fidem promissione iam nostrum erat eamque ipsam promissionum fidem, dum in oculos incurrunt, in animis nostris renovant et obsignant, quoties illis utimur iuxta Domini institutionem. Sic Paulus circumcisionem σφραγῖδα appellat eius iustitiae, h. e., acceptationis in gratiam Dei, quae per fidem apprehenditur. Et diserte eius gratiae applicationem ab ipsa circumcisione discernit, ut Abrahamum (22) gentium quoque patrem faciat, quarum profecto pater esse non posset, si acceptatio seminis sui in gratiam Dei circumcisione, ac non potius promissione per fidem apprehensa familiae suae applicaretur. Solet quidem scriptura circumcisionem foedus vocare, baptismum item regenerationis lavacrum, coenam corporis et sanguinis Christi communionem, sed non alio sensu quam Euangelium potentia ad salutem omni credenti vocatur. Neque vero servamur Euangelii praedicatione,

sed Euangelium testificatur nobis de Dei misericordia, per quam servamur, unde et a Ioanne *testimonium* appellatur et Christus Euangelii praecones *testes* vocat. Sic circumcisio testimonium erat divini foederis icti cum Abrahamo et universo eius semine, et quoniam testimonium verbis potissimum constat, sacramenta vero adnexa habent visibilia symbola, ideo σφραγῖδες etiam vocantur, quod non solum vocalia sint, sed visibilia quaedam et palpabilia quoque testimonia et veluti obsignationes. Estque hic finis praecipuus omnium Sacramentorum sive veteris sive novae Ecclesiae, ut sint σφραγῖδες divinae ergo nos misericordiae, in promissionibus veluti diplomatis quibusdam nobis oblatae. Ab hoc fine dependent alii fines omnes. Qui enim fidem promissionum in animo suo usu sacramentorum per Spiritum Sanctum obsignari sentit, is proculdubio cogitabit etiam praestandum sibi esse quidquid sacramentorum mysteriis sive allegoriis designatur. Quare ex hoc potissimum fine sacramentorum nos omnem naturam et usum aestimabimus, et Paulum sequuti sacramenta σφραγῖδας esse dicemus acceptationis nostrae in gratiam Dei, verbi divini promissionibus nobis velnti diplomate quodam oblatae, obsignarique animos usu sacramentorum in fide promissionum, ut quas semel apprehendimus, perpetuo animis nostris impressas teneamus. Sic ignis olim de coelo perveniens sacrificiaque vetera consumens, obsignabat animos illorum in fide acceptae promissionis, uempe contritam esse Sathanae potentiam in iis, quorum sacrificia Deus dato manifesto gratiae suae signo acceptasset. Sic iris etiamnum obsignat animos nostros in fide divinae promissionis, nimirum numquam fore ut genus humanum internicione pereat. Sic et in Abrahae familia obsignabat circumcisio animos omnium in fide eius promissionis, qua se Deus Abrahae et seminis sui universi Deum fore promittebat. Et agni paschalis esus ad eundum modum etiam Iudaeorum animos in fide divinae promissionis obsignabat, qua Deus illis, ex Aegypto eductis, se eorum Deum et ipsos populum suum fore pollicebatur. Haec ut clara sunt, ita vera esse etiam res ipsa testatur, siquidem sequamur Pauli doctrinam et fidei analogiam intueamur. Nunc de generibus et numero Sacramentorum dicemus.

§ 14. *De generibus et numero Sacramentorum.*

Varia statui possent Sacramentorum genera, sed eorum, quae ad institutum nostrum pertinent, duo tantum genera ponemus. Alterum quod, etsi Deum ipsum autorem habeat, neque tamen est in ministerio Ecclesiae et adiunctam sibi salutis conditionem non habet. Huius generis sunt iris, quam Deus in nubibus coeli constituit et

arcam foederis appellavit, et flamma coelestis illa, quae nascentis mundi sacrificia consumebat. Utraque enim haec in Ecclesiae ministerio posita non erant, sed Deus illa dum volebat oculis hominum obiiciebat, et non habebant sibi adnexam salutis promissionem. Alterum genus Sacramentorum est, quod est institutum ad ministerium Ecclesiae Dei et habet adnexam salutis (23) conditionem, ut a vita aeterna contemptores illorum omnino excludantur. Huius generis duo praecipua in vetere Ecclesia fuerunt, circumcisio et agnus paschalis. Nos illorum loco duo etiam habemus baptismum et coenam Domini. Non alia saue quam erant priora illa, nisi quod nostra mutatis elementis exhibitum id nobis iam in Christo esse testantur, quod priora illa futurum adhuc designabant, sic ut non tam sacramenta ipsa mutata sint, quam potius sacramentorum elementa, quemadmodum Augustinus docet. Habent autem singula huius generis sacramenta peculiares suas promissiones, quibus veluti diplomatis adnexa appendent suntque illorum σφραγῖδες iuxta Paulum. Habent item peculiaria symbola, quibus coelestia adumbrent mysteria, suntque vere quod dicuntur sacramenta, h. e., invisibilis gratiae visibilia signa. Habent praeterea peculiaria quoque mandata, ne quid hic nobis mutandum addendum detrahendumve pro arbitrio nostro esse putemus. Habent et peculiares caeremonias, quae donorum in nobis coelestium obsignationem attestentur et oculis nostris repraesentent. Atque in his omnibus adiunctam habent salutis conditionem, quae ornet illorum usum et docet illum citra salutis discrimen negligi haudquaquam posse, multo minus autem contemni. Quae quidem omnia ex utriusque nostri sacramenti explicatione facile apparebunt.

§ 15. *De baptismo.*

Diximus sacramenta omnia ab eo potissimum fine aestimanda esse, ad quem sunt praecipue instituta. Itaque nos Paulum in hac parte imitati dicimus Baptismum σφραγῖδα esse iustitiae seu acceptationis nostrae in gratiam Dei propter Christum. Is enim translata in se noxa nostrorum omnium peccatorum, suam nobis innocentiam voluit secum toto terrarum orbe esse commune, ut per eam grati simus in iudicio Dei, modo ne tanti beneficii magnitudinem contemnamus. Porro quemadmodum sigillis quae diplomatis appenduntur non tam explicantur dona iis quibus aliquid est donatum, quam donationes ipsae obfirmantur potius, ut et posteris fidem faciant et adversariorum conatus si qui forte exorirentur retundant, ita Baptismo non tam proprie nobis applicatur iustitia nostra seu in gratiam Dei acceptatio, quam potius per Christum semel applicata obfirmatur ac veluti sigillo

quodam, Euangelio promissionis appenso, obsignatur, ut et nos ipsos per omnem vitam nostram totamque praeterea Ecclesiam de salute nostra certam faciat et nostram hanc fidem adversus perpetui adversarii nostri Sathanae insultus omnes communiat. Si tamen vim ipsam atque efficaciam obsignationis *applicandi* verbo designare volumus, non inepte illud sacramentis accomodabimus, ut hactenus nobis applicari sacramentis intelligamus fidei iustitiam, quatenus omnis de illa dubitatio, quae nobis vel invitis adhaeret, usu illorum tollitur ac nostra in Deum fides erigitur et quodammodo renovatur. Sed si rem vere et propius intueamur, facile intelligemus, iustitiam seu acceptationem nostri in gratiam Dei applicari nobis proprie misericordia Dei per Christum — non enim hoc currentis aut volentis est sed miserentis Dei — annuntiari autem illam promissionibus per Euangelium, demum vero fide apprehendi et sacramentis veluti sigillis promissionum obsignari. Iustitiam vero fidei intelligimus acceptationem nostram in gratiam Dei, quae fide apprehenditur. Quemadmodum enim circumcisio iuxta Paulum iustitiae imputationem, h. e., acceptationem in Abrahamo, quam is fide apprehenderat, et demum eius communionem in illius familia obsignabat, ita et in baptismo obsignatur in nobis acceptationis nostrae cum Christo (24) capite nostro coniunctio, quo fit ut pro filiis Dei in illo iam habeamur, intelligamusque vocem illam coelitus ad Christum baptizatum demissam ad nos etiam corpori eius inclusos pertinere, si ipsius beneficium non contemnamus. Habet autem baptismus suam promissionem: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Habet symbolum aquam, ut, quemadmodum pro mundatis habentur qui loti sunt, ita qui baptizantur mundi censeantur etiam in conspectu Dei propter promissionem. Habet et mandatum: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eas cet. Habet et caeremoniam, nimirum ipsam tinctionem, quae sub visibili actione coelestis nobis regenerationis fidem facit eamque in animis nostris obsignat. Postremo in his omnibus habet adiunctam salutis conditionem: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei, ut intelligamus non aqua tantum tingi corpora nostra in baptismo, sed Spiritum quoque Sanctum adesse operi seu institutioni Christi, huncque aqua repraesentari quodammodo, dum tingimur, et hunc etiam contemni a nobis, si baptismum contemnamus, quo sane contempto nulla spes salutis reliqua esse potest. Atque haec de baptismo docuisse satis esse putamus. Nunc vero aliorum sententias referemus.

Sunt qui putant iustitiam apud Paulum ubi de circumcisione agit pro obedientia et non pro acceptatione accipi oportere, circumcisionemque non tam acceptationis sigillum in Abraha et eius familia fuisse quam

obedientiae, quam Deus sibi gratam fuisse hoc signo scilicet testari voluerit. Sed hanc interpretationem refellit Paulus ipse, dum ait, Abrahamum nihil habuisse de quo apud Deum gloriari quoquomodo potuisset, nedum ut Deus ullam illius obedientiae communionem veluti rem sibi placitam in eius familia ad iustitiam imputare voluerit, multo minus autem obsignare, quippe cum Abraham ipse nullo suo opere Deo placere posset et ad approbandam Deo suam obedientiam alterius ope, nempe Christo Domini egeret. Quid! quod aperte dicit Paulus circumcisionem sigillum esse iustitiae, non operis ullius, sed fidei, et cum obedientia ad opus pertineat opereque constet, quo pacto exclusis a iustitia hac operibus ad obedientiam illam referemus. Quare falluntur qui hac ratione docent baptismum sigillum esse nostrae obedientiae erga Deum, quae illi in nobis placeat, quemadmodum Abrahami obedientiam placuisse videri volunt testimonio circumcisionis. Neque hic agit Paulus, an piorum opera placeant Deo, sed modum ac rationem salutis nostrae indicat seu iustificationis, a qua operum nostrorum omnium dignitatem excludit et dicit, ne Abrahamum quidem, ita laudatum alioqui patriarcham, habuisse quidquam, quod Deo approbare posset, etiamsi voci illius summa religione obediisset atque omni virtutum genere alios omnes superaret. Et quidem plurimum damni nobis daret et circumcisio simul et baptismus, si nostram in nobis obedientiam obsignaret. Nimirum aliud nihil et in Abrahamo et in nobis omnibus obsignaretur, quam nostra infirmitas atque adeo ipsa servitus peccati, qua ne Abraham quidem ipse carebat, essetque iam et circumcisio et baptismus non salutis sane nostrae aut promissionis divinae σφραγίς, sed condemnationis. Et tamen qui hoc docent, se solos esse gloriantur, qui scripturas intelligant germanumque illarum sensum habeant, alios vero prae se velut rerum divinarum expertes ac tantum non Ethnicos contemnunt. Sunt rursum qui eodem quidem spectant, sed alia ratione. Iustitiae sigillum intelligunt non ante actae obedientiae approbationem, sed professionem novae et quasi quandam inaugurationem, qua veterem hominem exuere et novum nos inducere profitemur. Et quoniam infantes ne dignoscere quidem possunt veterem hominem a novo, nedum altero exuto alterum induere, nihil ad infantes baptismum pertinere volunt. Sed et hos refellit etiam ipse Paulus, dum Abrahamum credidisse Deo ait, non autem ullam obedientiam professum esse, cuius circumcisio veluti quaedam inauguratio esset, neque (25) propter ullam obedientiae vel professionem vel approbationem Abrahamum reputatum fuisse iustum a Deo, sed propterea potissimum, quod divinae promissioni sine omni disquisitione credidisset, eamque Paulus non obedientiae sed fidei iustitiam appellat et docet illius σφραγῖδα esse circumcisionem. Sed

de infantium baptismo postea. Nunc ad alias de baptismo opiniones descendemus. Sunt enim qui hoc quidem fatentur, baptismum idem apud nos esse, quod apud veteres circumcisio erat, huncque in locum illius successisse, sed interim plus baptismo tribuunt quam tribui possit circumcisioni, imo vero quam omnibus sacramentis tribui possit. Docent baptismo remitti peccatum originis et ita id docent, ut infantes non baptizatos regno coelorum excludant. Haec doctrina, praeterquam quod secum ipse pugnat, detrahit etiam Christo suam gloriam, illamque in elementa transfert. Pugnat secum ipsa, dum alibi fatetur baptismum nihil aliud esse quam olim circumcisio erat, alibi vero plus illi tribuit quam circumcisioni. Neque hic loquor de ea nostrorum sacramentorum praestantia, qua nobis id totum iam exhibitum esse testantur, quod vetera futurum adhuc designabant, sed de vi et natura illorum loquor, quam utrobique eandem esse Paulus testatur. Qui vero id fieri potest, ut baptismus et idem sit apud nos, quod apud veteres circumcisio erat, et plus interim nobis praestet quam Iudaeis olim circumcisio praestabat, nisi si id doceri possit, circumcisione quoque solitum remitti originis peccatum, quemadmodum nunc baptismo remitti docent. At vero Paulus circumcisionem vocat non causam ullam iustitiae sed sigillum, et docet Abrahamum iustum habitum in conspectu Dei, dum adhuc incircumcisus esset, inque praeputio Deo credidisse, et proinde gentium quoque patrem esse propter delatam illi iustitiam, antequam de circumcisione quidquam omnino cogitasset. Hic vero discrimen faciunt quidam circumcisionis in Abraha ipso et eius semine, ac Abrahae quidem circumcisionem fuisse sigillum antea imputatae iustitiae, in se nunc vero circumcisione et donari simul iustitiam et obsignari. Confirmant vero id quibusdam testimoniis, quibus circumcisio non foederis modo signum sed ipsummet etiam foedus appellatur. Sed hoc familiare est scripturis, ut symbola rerum ipsarum, quarum sunt symbola, nominibus ornent, et res ipsa docet circumcisionem non posse ulla ratione foedus proprie aut esse aut etiam vocari. Foedus enim Dei nobiscum non ad circumcisos tantum pertinet in ipso Abrahae semine, est namque et gentium pater iuxta promissionem. Quare in foedere quoque sunt qui non circumciduntur estque et praeputium aeque foedus atque ipsa circumcisio, in quo Abraham suum etiam semen habet. Deinde si in Abrahae familia circumcisio foedus erat, extra foedus fuisse oportuit infantes Iudaeorum omnes, qui ante circumcisionis diem moriebantur, multo magis autem eos, qui in deserto contra Domini mandatum totos quadraginta annos incircumcisi permanserunt. Sed credendum non est, Deum illorum Deum ante circumcisionem non esse, quorum ille se Deum fore nulla circumcisionis ad-

iecta conditione, priusquam vel verbum de illa fecisset, spopondit, multo minus autem eorum, quibus tot signis editis manifeste testatus est, se fuisse propitium, etiamsi tanto tempore circumcisionem praeter Dei institutionem neglexissent. Et ut donemus divina dispensatione factum esse, ut circumcisio tantisper dum in deserto Iudaei versati sunt intermitteretur, certe illa ipsa dispensatio documento nobis interim erit, foedus in Abrahae semine non constare circumcisione et non foedus ex circumcisione sed ex foedere potius circumcisionem pendere aestimarique oportere. Quod si apud nos idem est baptismus, quod apud veteres circumcisio erat, non ex baptismo sane iustitiam nostram seu peccati (26) remissionem aestimabimus, sed potius baptismum ipsum ex delata ante per promissionem in Christo iustitia et reconciliatione, fatebimurque priorem esse baptismo reconciliationem, quemadmodum olim in Abrahae familia iustitia seu acceptatio prior erat circumcisione, — sed eam reconciliationem in Ecclesia nostra baptismo obsignari, ne quid omnino de illa dubitemus, quemadmodum olim in Abrahae posteritate obsignabatur circumcisione. Reconciliamur ergo Deo non baptismo sed misericordia Dei in Christo per promissionem, per quam et peccatum originis remittitur priusquam baptizemur, tantum abest ut in baptismo primum remittatur. Detrahit autem et Christo doctrina haec suam gloriam, dum illam ad tempora et personas restringit, et quod gravius est in elementa transferre etiam videtur. Christi gloria est, illum Dei et hominum unicum mediatorem esse, idque non hoc aut illo tempore sed et heri et hodie et in secula, neque item in hoc aut illo hominum genere, sed in omnibus omnium gentium hominibus, qui modo se illi ex adverso non statuerent per contemptum. Qui non est contra me, inquit, mecum est. Contra Christum vero esse nemo potest nisi qui illum contemnit; alioqui infirmitas omnium nostrum in ipsum translata perque ipsum expiata, illi opponere sese non potest, ut per illam a Christo excludamur, quemadmodum in promissionum doctrina demonstratum est. Detrahit igitur Christo suam gloriam quisquis illius beneficium ad baptismi tempus adstringit, cum ille efficax sit in infirmitate nostra expianda a mundi origine per patris sui coelestis promissionem. Detrahit item quisquis Christum toti mundo donatum ad certum hominum genus ita contrahit, nempe tinctorum, ut ab aliis illum omnibus sine ullo infirmitatis aut contemptus discrimine excludat. Sed multo indignius tractant Christum, qui translatam in ipsum omnem totius mundi ἁμαρτίαν seu infirmitatem, illi rursum eripere atque in nos denuo reiicere conantur, donec baptizemur. Scilicet baptismus efficacior est Christo, ut per illum emundetur in nobis, quod morte Christi nondum sit expiatum! Quid vero? an ideo institutus est baptismus

ut nos a peccatis redimat? ac non potius ut redemptos iam mundatosque esse testetur per Christum? Quo pacto vero non tinctos a salute excludat, qui totius mundi peccatum iamdudum a nobis sublatum expiatumque in Christo esse testatur, eamque ipsam expiationem in nobis obsignat iuxta Christi institutionem? Contemptum semper excipio, quo nos ipsi a Christo excludimus, dum aut negligimus aut contemnimus illius institutionem. Appellatur quidem baptismus lavacrum regenerationis, appellatur ablutio seu remissio peccatorum et multa id genus, sed hoc est commune omnibus sacramentis ut earum rerum, quarum sunt σφραγῖδες, nominibus ornentur, ut tanto maiore studio illorum mysteria nobiscum reputemus animisque nostris imprimamus. Sic circumcisio foedus vocatur, quia foederis sigillum erat, quemadmodum Paulus docet. Sic agnus paschalis Phase vocatur, quia transitus illius admirabilis beneficium in animis Iudaeorum obsignabat. Sic et baptismus dicitur regeneratio, dicitur ablutio, dicitur remissio peccatorum, quia est σφραγίς horum omnium omniaque haec in nobis obsignat ex Christi institutione. Dicimus nos inseri etiam baptismo in Dei Ecclesiam, non quod ante baptismum ad illam non pertineamus — pertinet enim ad Ecclesiam quisquis ad Christum pertinet qui Ecclesiae caput est, et ad Christum pertinet quisquis ad salutem admittitur — sed quod baptismus visibile sit testimonium nostrae insertionis, nosque visibiliter inserat, qui merito (27) Christi dudum alioqui ad Ecclesiam per delatam nobis a mundi origine corporis et sanguinis sui communionem invisibiliter pertinemus. Alioqui quo pacto Eva primogenitum suum filium secundum Deum possedisset, cum neque baptismus adhuc neque circumcisio exstaret? etiamsi is postea se impietate sua a Deo avertisset. Aut quo pacto gestaret nos Dominus ab utero atque a vulva ipsa portaret, quemadmodum propheta docet? Sane scriptura Deum non solum ῥύστην sed et βοηθὸν et ἀντιλήπτορα quoque nostrum facit idque ab ipso mox utero matrum nostrarum, h. e., liberatorem, auxiliatorem vindicemque salutis nostrae seu assertorem. Et Christus Dominus de non baptizatis infantibus ait, talium est regnum coelorum, acceptisque in ulnas suas, non facta interim baptismi mentione, benedixit, ut intelligamus baptismo non tam offerri nos Christo, quam declarari potius, nos ad illum omnes, post translatam in ipsum infirmitatem nostram, pertinere, si eius beneficium non contemnamus. Ita enim baptismus fini suo ad quem est institutus respondebit, h. e., ut sit σφραγίς divinae erga nos voluntatis, qua vult salvos fieri Deus omnes homines ubique gentium per promissionem in Christo consignatam, qui omnem omnium ubique hominum infirmitatem et portavit et expiavit. Atque de baptismi natura et institutione tantum. Nunc de infantium bap-

tismo dicemus, quem quoniam impugnare nonnulli conantur nosque propter illum aversantur, tuendum nobis in nostra Ecclesia esse putamus.

§ 16. *De infantium baptismo.*

Qui baptismum infantium impugnare conantur, non aliud magis iactant, quam se ideo a paedobaptismo abhorrere, quod et humanum commentum esse et manifestam idololatriam etiam prae se ferre videtur. Proinde et nostras aversantur Ecclesias et indignas putant Ecclesiae nomine, quod praeter verbi divini testimonium (quo solo nos regi oportebat) humanis innixi rationibus baptismum prophanaverimus, idolumque fecerimus ex sacramento, quemadmodum illi putant. Sed si utrumque hoc vanum esse ita ostenderimus, ut omnibus perspicuum fiat neque idololatriam ullam paedobaptismo nostro induci et in eo observando nos sequi non equidem humanas rationes ullas, sed ipsam potius Dei optimi maximi doctrinam et voluntatem, atque eam insuper culpam omnem in ipsosmet retorserimus etiam, quam illi nobis impingere miris modis conantur, an non se manifeste iam intelligent ét fines Christianae ergo nos charitatis longe praetergressos esse, quo tamen nos antecellere videri volunt, ét contempsisse praeterea in nobis Ecclesiam Dei, dum a nostra societate separati nova sibi nescio quae foedera novamque Ecclesiam constituendam putarunt. Fateor Christianum non esse communicare idolis ad alendam idololatrarum pertinaciam, et multo minus Christianum est, fratres nihil tale commeritos, ne dicam bene meritos, re nondum satis discussa in unius aut alterius doctoris gratiam, idololatriae condemnare, mysticum Christi Domini corpus, per Spiritum Sanctum insolubili apud pios verbi divini glutino compactum, quamlibet ob causam scindere, omnes prae se Pharisaeorum more contemnere et qui a nobis modo dissentiant continuo pro deploratis habere, — ut interim taceam, quantum absit a Christiana tum modestia tum pietate verum et germanum scripturae intellectum nobis solis prae aliis omnibus arrogare ita velle, ac divini spiritus lucem veluti palmo (28) quodam concludere ut illam omnibus propemodum aliis adimamus. Equidem si tam certum indubitatumque esset, nos in tuendo observandoque paedobaptismo nostro errare omnino, aliquod tamen discrimen habendum interim erat inter infirmitatem et pertinaciam, atque hoc saltem quod Paulus suo nobis exemplo commendavit. Is etsi damnaret iam tum omnem circumcisionis usum certusque esset illum Euangelio abrogatum plane esse, tantum abest tamen ut omnes aversaretur aut contemneret illius nomine, nedum ut pro deploratis habuerit, ut ipsemet testetur se voluisse Iudaeis Iudaeum esse, infirmis infirmum, si quo-

modo eos lucrifacere potuisset, qui in manifesto neque amplius ferendo errore infirmitate peccabant. Nunc cum utrique nobis nihil aliud quam alii aliis errare ac falli videmur, atque utrique interim unanimiter fatemur, nos ad verbi divini praescriptum certissimam omnis veritatis regulam nostra nos referre debere omnia, — quae ista est obsecro Christiana charitas, quae modestia, quae mansuetudo, quae pietas, indignos protinus nostra communione iudicare omneis, qui quoquomodo a nobis dissentiunt? impura atque adeo impia etiam existimare omnia, quaecunque ab iis geruntur, omniaque illorum haud aliter quam anathema quoddam aversari? et tamen qui haec faciunt, imo qui haec docent, non aliis fere nominibus sese magis venditant apud imperitam ac rudem plebeculam, quam pietatis mansuetudinis modestiae ac charitatis Christianae. Quodsi hic paululum desipere cum Paulo nosque cum illis per insipientiam nonnihil conferre velimus, nostra sane Ecclesia tulit hactenus et fert etiamnum Anabaptistas omnis generis, si quomodo aut sua nobis approbare aut ad nostrae doctrinae consensum reduci forte possint. Numquam illos a nobis nostraque communione excludendos ullo modo esse putavimus, propterea quod a nobis dissentiunt, et adeo illos a nobis numquam volumus exclusos, ut eos ultro semper ad nostras conciones et quidem amantissime invitaverimus. Expetivimus amica fraterna, denique et libera colloquia illorum. Magistratus severitatem adversus ipsos lenire modis semper omnibus studuimus, et quod ad doctrinam attinet testati semper sumus, non aliud nos ab illis petere, quam ut aut nobis approbent sua claris et non detortis scripturae testimoniis, aut si id se non posse videant, nostra sibi persuaderi patiantur. Haec inquam cum privatim et publice egerimus omnia ac nunc etiam summa cura agamus, vellem ut ipsimet secum probe expendant et ingenue fateantur, utri hic nostrum longius absint a pietate, mansuetudine modestia et charitate Christiana, ipsi ne, qui haec cum iactent interim nos tamen neque admonitos umquam, neque ad ullum unquam colloquium vocatos, adhaec ignotos plane, nedum ut certi aliquid vere de nobis iudicare possint, sed omnes simul ex unius aut alterius indulgentia metientes a sese excludunt, impuros iudicant, idololatriae condemnant et plane pro Ethnicis habent, — an vero nos qui infirmitatem ipsi nostram agnoscere atque adeo accusare etiam malumus quam quicquam omnino iactare, nedum ut nos ulli hominum generi anteponi quoquomodo velimus, et quamquam nihil unquam dubitaverimus ac ne nunc quidem etiam dubitemus, illos gravissimis erroribus implicatos esse, non solum eos tamen ferendos nobis hactenus, sed ad societatem quoque nostram summa cura ac studio alliciendos esse atque ad eius potissimum doctrinae consensum

quae verbo divino stabiliri possit amantissime sollicitandos esse statuerimus, imo vero non aliud magis nunc etiam cupiamus quam ut qui inter illos sunt veritatis studiosi, amice fraterne et familiariter (29) nobiscum colloquantur, doctrinam suam cum nostra diligenter ac bona fide conferant et aut sua nobis approbent, aut nostra suscipiant. Equidem haec negare ipsimet de nobis non poterunt, quae tamen non ideo commemorare voluimus, ut vel nos ipsos commendare hoc nomine populo, vel illos gravare invidia quoquomodo velimus, sed ut animum nostrum ergo eos testaremur, qui tantopere Paedobaptismo nostro offenduntur, quem tamen convellere hactenus scripturae testimoniis numquam potuerunt ut propter illum nostra damnent omnia nostramque Ecclesiam aversentur, utque omnes intelligant nos nullo in illos odio ferri, adeoque illos non contemnere, ut modis plane omnibus, quatenus id modo per verbi divini autoritatem liceat, concordes cum illis ex animo esse cupiamus. Infirmitatem omnem feremus multo libentissime et nostram vicissim alicubi convincamur non inviti agnoscemus. Ceterum temeritatem et pertinaciam, quemadmodum a nobis ipsi deprecamur, ita in aliis quoque illam deinceps alere alienum ab officio nostro esse putamus.

Iam vero haec ita praefati ostendemus nullam prorsus idololatriam paedobaptismo nostro induci nosque in eo observando aliud nihil sequi quam ipsius optimi maximi Dei sacrosanctam voluntatem. Quodque ad idololatriam primum attinet, idolum id proprie esse dicimus, in quod divinam servandi nostri potestatem quocunque tandem modo transferimus, qua sublata et idolum non amplius idolum erit et omnes illius cultus seu idololatria peribit. Quemadmodum enim sublato Deo, nullus illius cultus haberi amplius potest, ita sublato idolo non est etiam quod nobis ab idololatria amplius metuamus. Porro etsi demus nonnullos ita de baptismo sensisse, ut videri forte possint idolum ex illo nescio quo pacto facere per imprudentiam voluisse — docent enim baptismo remitti peccatum, liberari nos a morte, Sathana et gehenna, conferri Spiritum Sanctum et vitam aeternam donari, et ita id docent ut quicunque baptizati non sint a salute omnes sine exceptione aut discrimine ullo excludant — nos tamen istiusmodi doctrinam partim resecuimus a nostra Ecclesia, partim vero moderati ita sumus, ut nullam amplius idololatriae apud nos speciem baptismus noster prae se ferat. Neque enim assentimur illis, qui putant Christum Dominum vim suam omnem baptismo ita astrinxisse, ut vel ante illum vel sine illo nihil unquam prodesse queat, et baptismo nostro non amplius omnino tribuimus, quam Paulus tribuat circumcisioni, nisi quod baptismo per symboli commutati analogiam doceri dicimus, exhibitum id iam nobis esse in Christo Do-

mino nostro omnium capite, quod futurum adhuc circumcisio olim designabat, docemusque, nos non tum primum offerri Deo, neque tum primum inseri Christo, cum baptizamur, sed oblatos iam inde a mundi origine in seminis promissi hostia Christoque iam tum in lumbis Adae destinata Dei voluntate gratuitaque misericordia per promissionem insitos, in ea nostri insitione obsignari, ut baptismus aliud non sit apud nos quam sigillum iustitiae seu acceptationis nostrae in gratiam Dei propter nostri insitionem per Christum, efficacem hauddubie in omni mortalium genere per promissionem, omnes totius orbis gentes sine ullo discrimine complectentem, quemadmodum circumcisio, [quae] σφραγίς erat iustitiae seu acceptationis Abrahami et eius seminis in gratiam Dei, interim tamen a salute non excludebat neque eos qui ante constitutum illius diem moriebantur, neque qui illam divina quadam dispensatione et providentia, non autem contemptu ullo negligebant. Aut igitur Paulum idololatriae nobiscum condemnabunt, si baptismo nostro, iuxta hanc doctrinam, idololatriam induci putant (id totum namque tribuit ille circumcisioni quod nos baptismo tribuimus) — aut nos una cum Paulo omni simul idololatriae culpa ac suspicione liberabunt. Neque vero discrimen ullum ponimus inter adultorum et infantium baptismum, quemadmodum neque olim discrimen ullum fuisse legimus inter circumcisionem aut octo dierum infantium, aut seriorem illam emptitiorum servorum, aut eorum etiam qui superato primum Iordane iam propemodum quadragenarii circumcidebantur, ut, si baptismus noster idololatria semel liberetur, ne paedobaptismus quidem noster (30) etiam illius nomine condemnari a quoquam amplius ulla ratione possit. Haec sufficere arbitror piis omnibus ad depellendam a nostro sive infantium sive adultorum baptismo omnem idololatriae suspicionem, neque pluribus hic lectori molestus esse volo. Iam si doctrinam hanc nostram cum illorum doctrina conferamus, qui paedobaptismo nostro idololatriam induci clamant, facile intelliget quisquam, eos ipsosmet magis multo doctrina sua ad idololatriam statuendam propendere. Dabo eius rei specimen paucis. Docent baptismo suo innovari hominem totum et renasci, neque pro renato habendum putant qui non ad illorum modum aut tingatur aut retingatur, atque habent hic quidem sua suffugia, quibus eam idololatriae suspicionem a baptismo suo depellere conantur, sed stat immobile domini verbum, neminem nisi renatum salvum fore. Quod si baptismo illorum regeneramur, baptismo hauddubie et servamur, eritque iuxta ipsos baptismus regenerans servator, et dicunt quidem hoc non tinctione ipsa effici, ut qui ab ipsis baptizati sunt renascantur, sed hoc per verbum fieri, per quod valida tinctio illa reddatur, — at vero cum et Spiritum et verbum Dei suae illi tinctioni ita alligant, ut pro

renatis haberi haudquaquam veliut, quicunque ab ipsis baptizari nolunt, an non ipsa Spiritus et verbi divini ad baptismum suum alligatione idolum manifeste ex sacramento faciunt? Sane omnibus idolis nomen divinum praetexitur. Proinde cum et Spiritus et verbi divini alligationem baptismo suo praetexunt atque ad illum adstringunt etiam nostram regenerationem, quonam pacto eum a gravissima idololatriae suspicione liberabunt? Sane qui antea tinctos retingi a se rursum oportere docent et, qui id non faciant, pro renatis non habent, perspicuum est eos nostri regenerationem ad suum illum νεανισβαπτισμὸν alligare, novumque ex illo salutare idolum facere. Ac de regeneratione postea, nunc satis est ostendisse, non solum nos culpa omni idololatriae vacare, quam nobis impingere adversarii modis omnibus conantur, sed eos ipsosmet ab idololatria se liberare non posse, cuius potissimum nomine nos omes adversantur.

Venio nunc ad tuendum Paedobaptismum nostrum ex verbi divini testimoniis, quibus illi nos carere prorsus, se vero totos inniti gloriantur. Et ita gloriantur ut in universa scriptura constanter negent vel unam litteram exstare, qua paedobaptismus noster approbari possit. Prius tamen vellem hoc mihi interim responderent, quaenam haec ipsorum est Christiana modestia ut cum sciamus talenta non uni soli cupiam omnia committi, sed alteri dari unum, alteri duo, alteri vero quinque, illi tamen negent ab aliis reperiri ullo modo posse, quae ipsi non invenissent. Littera est quidquid illis adversatur scilicet? et soli illi clavem scientiae ita possident, ut quae ab oculis ipsorum abscondita sunt, alii deinceps nulli revelari iam possint? Equidem non tam hominis ullius affectum intueri hic debemus, quam rem potius ipsam atque adeo divinam imprimis providentiam et voluntatem, quae unicuique spiritum suum ad mensuram, pro ut vult, ad gloriam nominis sui donat. Facile est intermiscere frequenter exclamatinunculas, facile appellare fratres iam „charissimos", iam „spirituales", iam „nostra in domino viscera", facile dicere „videte fratres", „cavete fratres" et id genus multa, sed plurimum interest, an haec insinuandi nos in lectorum benevolentiam atque alios degravandi animo arte quadam dicamus, an vero ad Christi solius gloriam Ecclesiaeque aedificationem. Ac nos quidem de nostro erga Ecclesiam Christi animo nihil iactare volumus, quin nos potius multa in nobis ipsis desiderare fatemur, sed Deus interim, qui non irridetur is novit corda nostrum omnium et sane istiusmodi παρεγγέλματα neminem captare, multo minus autem fascinare volumus, sed illud paucis rogamus, ut, positis affectibus omnibus testimoniorum nostrorum et argumentorum inde deductorum pondus quisque secum perpendat atque in iis librandis sequatur potissimum fidei analogiam

et mutuam locorum collationem. (31) Primum autem adferemus ea, quibus nos paedobaptismum nostrum confirmamus. Deinde vero quae ab adversariis obiiciuntur refellemus. Agemus vero bona fide et paucis, ut qui non tam de numero argumentorum ad ostentationem quam de virtute potius ad fructum aliquem faciendum cogitandum esse putamus: pondererari ea malumus quam numerari.

Primum igitur e scripturis hoc habemus: Unum esse utriusque Ecclesiae aeternum atque immutabilem Deum, unam per Christum in illum utriusque Ecclesiae fidem, unam in utraque Ecclesia propositam promissionibus salutis nostrae rationem, denique unam unius perpetuo Dei utramque Ecclesiam. Paulus vero docet proposito nobis circumcisionis exemplo sacramenta σφραγῖδας esse nostrae salutis oblataeque in Christo divinae erga nos gratiae. Appellat enim, ut antea quoque diximus, fidei iustitiam eam Dei in nos benevolentiam, qua nos ille propter filium suum, olim promissum, nunc vero iam exhibitum, acceptat, ac iustos adeo ad salutem reputat etiam, cum tamen natura nostra aliud non sumus quam peccatores, si illi modo non prorsus diffidamus. Docet item patres nostros eandem nobiscum escam spiritualem edisse et idem bibisse poculum, nempe Christum. Iam his ita positis atque scriptura confirmatis, ita demum non sane ex humana Philosophia sed e verbi divini autoritate argumentabimur. 1. Quorum unus est perpetuo aeternus atque immutabilis Deus, una omnium salutis ab aeterno in Christo proposita ratio, una fides, una Ecclesia, idem spiritualis cibus ac potus, eorum non possunt esse nisi eadem etiam sacramenta. 2. Iudaeorum pariter ac Graecorum unus atque idem perpetuo Deus, una ab aeterno salutis in Christo proposita ratio, una fides, una Ecclesia idemque spiritualis cibus ac potus. 3. Ergo Iudaeorum pariter ac Graecorum non possunt esse nisi eadem etiam sacramenta. — Maior apte deducitur ex supra scriptis testimoniis, nisi si sacramenta nostra neque ad fidem, neque ad Ecclesiam, neque ad spiritualem illius escam aut potum referri omnino velimus, sed tum plane ne sacramenta quidem erunt. Minorem probat tota Pauli ad Rhomanos epistola. Quod si eadem sint utriusque Ecclesiae sacramenta, qui fieri id iam potest, ut commutatis illorum symbolis alia aliis non succedant? aut si succedunt, quo pacto demum, qui mandato Dei ad usum illorum admittuntur in vetere Ecclesia, iidem ab eo apud nos hodie arceantur? Id equidem utrumque probandum esset adversariis, priusquam encomium canant, cum nos et eadem in utraque Ecclesia sacramenta esse ex praedictis testimoniis et eundem illorum usum retineri debere doceamus. Atque optandum est sane, ut aut hoc clare et dilucide faciant, aut ne amplius Ecclesiam Dei scindant. Sed hic respondent: Si idem usus esse debeat baptismi et

circumcisionis, tum neque femellas baptizandas esse, quia hae non circumcidebantur, et ad octavum diem etiam baptismum, quemadmodum et circumcisionem adstringi oportere. Id porro quoniam observatum non esse constat, hinc sane apparere, non idem esse baptismi et circumcisionis sacramentum. Imo inde colligunt etiam nullos infantes baptizari omnino debere, quia olim femellae non circumcidebantur. Hac sua raciocinatione putant subrui iam posse nostram argumentationem. Caeterum docere prius debebant istiusmodi ratiocinationes, quae nullis innituntur testimoniis, tantum pondus habere apud pios oportere, ut argumentationi e verbo divino petitae opponi possint. Ubi enim hoc probabunt scripturae testimoniis, quibus tamen solis insistendum esse docent, ut si idem usus esse debeat baptismi et circumcisionis, eandem utrobique atiam et temporis et locorum et personarum rationem esse omnino retinendam? id si doceri non potest, imo si diversum doceri potest, etiamne adhuc gloriabuntur refutatam a se esse nostram argumentationem? At vero nos ab elementorum servitute liberati, scimus sub-(32)latam esse Euangelio et temporum et personarum observationem, quemadmodum Paulus docet. Et proinde in sacramentorum usu non tam illorum moramur symbola, non temporum ac personarum in iis observationem, quam promissiones potius unius eiusdemque perpetuo Dei, unum salutis nostrae in illis mysterium et unam circa eorum usum Patris simul ac Filii voluntatem. Hoc primo refutandum adversariis erit, si refutatam a se nostram argumentationem gloriari volent. Sed universam scripturam subrui plane oporteret, si hoc refelli deberet. Quanquam autem sublata elementorum a Paulo observatione consistere non iam possit illorum et de octavo circumcisionis die et de femellis non circumcidi solitis tota prorsus ratiocinatio, perspicuumque sit post sublatam semel προσωποληψίαν, cuius magna semper erat apud Iudaeos observatio, excludi a baptismo nostro non debere, qui ad circumcisionem non pertinebant, — tamen, quo magis intelligi possit vanitas istius ipsorum a foemellarum exemplo petitae argumentationis, illud mihi ostendent velim, unde mihi ratiocinationem hanc approbabunt, ut, quod apud veteres ad sexum foemineum non pertinebat olim, idem quoque et apud nos nihil non ad ipsas modo foeminas, sed ne ad masculos quidem etiam debeat omnino pertinere. Hic sane e scripturis documentum aliquod adferre eos oportebat, ut et legibus suis, quibus se sine scripturis nihil docere velle profitentur, satisfacerent, et nobis etiam quae docent certa esse verbi divini testimoniis declararent. Nunc cum nihil huiusmodi exstet in sacris litteris, atque adeo etiam vel communi omnium sensui repugnet, mirum est eos ita sibi in hac ratiocinatione placere, ut non aliam magis fere urgeant, et hanc eo

loco habeant, ut ea sola velut ariete quodam nostra sterni momento posse omnia hauddubie putent. Quid hic in nos non dicerent, si cum illis ad hunc modum argumentaremur. Ubi enim hoc traditum est in ullis omnino sive sacris sive prophanis litteris, ut e foeminei sexus conditione universum genus mortalium aestimare debeamus? Aut quaenam haec ratio est, ut masculi ab his omnibus excludantur, a quibus foeminae vel fuere olim vel nunc sint etiam alienae. Quod, si ad hunc modum argumentari libet, equidem nos in contrariam partem multo solidius argumentabimur ostendemusque id potius statuendum esse, ut ad femellas infantes baptismus pertineat, posteaquam ad masculos infantes olim circumcisio pertinebat, quam ut infantes nostros omneis a baptismo propterea arceamus, quod circumcisio olim ad infantes foemellas non pertinebat. Primum enim aequius est, ut ex eo quod est nobilius, id etiam quod est infirmius aestimemus, praesertim si ad eandem societatem pertineant. Deinde scripturae quoque testimonio scimus Evae neque mandatum fuisse datum ullum neque denunciatam mortis ullius interminationem, et tamen non minus ad Evam quam ad ipsum Adamum et transgressio ipsa et mors transgressionis poena pertinebat. Scimus item transgressionem non prius Evae fuisse ad condemnationem imputatam, etiamsi prior lapsa esset, quam Adam ipse peccasset. Quod equidem eo pertinet, ut intelligamus non sane e foeminarum conditione masculos, sed e masculorum et conditione et exemplo potius foemellas omnes esse omnino metiendas. Et si hic sequi volumus sive humanae rationis sive scripturae imprimis divinae iudicium, quidni potius foemellas quoque ad baptismum pertinere dicamus, cum certum mandatum de infantium circumcisione habeamus, quam ut infantes omnes ab baptismo excludamus, propterea quod foemellae ad circumcisionem non pertinerent. Iam cum caeremoniae propemodum omnes in vetere Ecclesia verorum ἀντίτυπα adhuc erant, quemadmodum Paulus docet, mirum non est si temporum, locorum et personarum discrimina observari tum Deus volebat, ut per ea quae umbratica adhuc erant ad lucem veritatis nos adduceret. Separavit Levitas Dominus olim a toto reliquo suo populo in Ecclesiae ministerium, non quod alii quoque (33) Dei populus perinde atque Levitae ipsi non essent, sed quod hoc exemplo adumbrare quodammodo voluit, ministros suae Ecclesiae a se constitui, etiamsi per homines designentur. Alioqui neque Melchizedech certam ullam familiam sacerdotio destinatam habebat et interim tamen sacerdos Domini fuisse legitur. Et nunc si ad certam domum aliquod sacerdotium adstringere vellemus, an non et Apostolicam doctrinam violaremus gravissime et universum plane Euangelium eadem opera etiam subrueremus. Rursum praeceperat Dominus, ut qui liberam oppres-

sisset una cum oppressa moreretur, qui vero servae vim attulisset, is non equidem occideretur, sed sacrificio delictum suum expiaret. Quid vero! an ideo puniendi non erunt hodie virginum stupratores, quod qui servas olim violassent a morte liberabantur. Hoc certe statuendum esset, si a veterum exemplis iuxta istorum ratiocinationem argumentari liceret. At vero Deus non ideo discrimen illud servae et liberae observari ad tempus voluit, quod alterius stupro gravius, alterius vero levius offenderetur, sed ut manifesto testimonio doceret, se magno apud se loco habere omneis, quos in populum suum elegisset. Quod equidem duraturum esset, tantisper dum non alio omnium longe gravissimo ac prorsus ineffabili testimonio tanti nos a se fieri declararet, ut ne unigenito quidem filio suo nostra causa parceret, sed illum loco nostro carne nostra indutum morti crudelissimae addiceret subque peccati nostri maledictum, ut hominem, condemnaret. Quo iam demum completo, evanuit sane umbraticum illud servae et liberae discrimen, neque sine Christi Domini ignominia renovari rursum potest. Ad eundem modum etiam voluit haberi discrimen Dominus in circumcisione inter masculos et foemineas infantes, non quod foemineae ad foedus circumcisionis non pertinerent, sed quod hoc discrimine innuere nobis volebat Deus salutis nostrae arcanum, quod circumcisionis sacramento adumbrabatur, et ad quod non sacramenta solum foederis, sed ipsum adeo foedus universum etiam referri omnino oportet. Erat autem hoc salutis nostrae arcanum, ut, quemadmodum Adam in universam carnem nostram et peccatum ipsius et eius noxam propagaverat, ita in universa carne nostra etiam illius praeputium, h. e., condemnatio omnis, posteaquam illam filius Dei assumeret, amputaretur. Id vero quoniam non sane in nova quapiam Eva aut femina sed in novo illo Adamo, qui Christus est, complendum erat, discrimine hoc masculorum et foemellarum infantium adumbrare tum suis Dominus ipse volebat, donec id quod externa ceremonia adumbrabatur, re ipsa tandem suo tempore orbi universo exhiberetur, — quo demum exhibito omnia haec locorum, temporum, sexuum et personarum in summa omnium discrimine, veluti umbrae ad lucem exortam evanescerent prorsusque cessarent. Neque vero ideo ad foeminas non pertinebat circumcisionis sacramentum, quod masculi soli circumciderentur. Minima pars sacramentorum sunt elementa, et ad quos promissiones mysteriaque sacramentorum pertinent, hi sane a sacramentis excludi neque possunt (si illa modo non contemnant) neque debent. Expleto igitur salutis nostrae in Christo mysterio ad quod referri citra controversiam oportet omnem omnium tum adultorum tum infantium salutem, sublatoque per Euangelium omni locorum, temporum ac personarum discrimine, non est, cur aut diem baptismo ullum iuxta

circumcisionis exemplum statuamus, aut aetatis sexusve discrimina observemus. Neque enim amplius in Christo masculus aut femina, non graecus aut iudaeus, non adultus aut infans, non libera aut serva, non clericus aut laicus, ut vocant, sed in omnibus omnia Christus, et omnes in illo vicissim nova creatura per acceptationem. Tantum abest, ut vel foeminas a baptismo arceamus propterea quod olim non circumciderentur, vel ex illarum conditione, quod multo est absurdius, infantes nostros omneis metiamur. Stat ergo inconcussa nostra de eodem in utraque Dei Ecclesia sacramentorum usu et ratione argumentatio, petita ex fontibus scripturarum, certissima omnis nostrae doctrinae regula (34) et fundamento. Nunc ad secundam argumentationem descendemus.

Alterum est, quod paedobaptismum nostrum manifeste adstruit et tuetur adversus omnes morsus adversariorum. Exstat clarum ac certum testimonium: Neminem prorsus neque ad Patrem nisi per filium neque ad filium nisi per Patrem venire posse. Exstat idem disertis verbis expressum, eandem eum paterna esse filii etiam et doctrinam et voluntatem, quod praesertim ad salutis nostrae negotium attinet. A patre exiit et ad patrem rediit. Deinde usum sacramentorum hactenus necessarium ad salutem esse testatur, cum in veteri lege Deus ipse, tum in nova etiam Christus, ut sine salutis discrimine haudquaquam negligi, multo minus autem contemni possit. Haec igitur simul coniuncta Paedobaptismum nostrum instituunt ad hunc modum: In his quae ad salutem pertinent eadem est perpetua Patris et Filii voluntas: usus sacramentorum ad salutem nostram ita pertinet, ut neque temere negligi, multo minus autem contemni possit: in usu igitur sacramentorum eadem est perpetuo Patris et Filii voluntas. Iam cum perspicuum sit et baptismum et circumcisionem esse sacramenta Ecclesiae Dei, etiamsi donemus diversa esse, neque alterum alteri respondere, quod tamen doceri neque potuit hactenus neque potest, manifestum est filii voluntatem in baptismi usu eandem haudubie esse, quae et Patris olim fuerat in usu circumcisionis. Et quoniam mandato de circumcisione infantium praedito certi sumus, usum sacramentorum ad infantes quoque pertinere, — ab ea sane paterna voluntate ac doctrina filii quoque de baptismo doctrinam et voluntatem metiri debemus, neque baptismo indignos existimare, quos Pater Deus sacramentis suis indignos non esse iudicavit. Sumus igitur certi, quod ad Paedobaptismum nostrum attinet, de Christi doctrina et voluntate, quam cum paterna eandem esse scimus et nobis sequendam esse putamus. Quae vero hic de ordine retinendo doctrinae fidei et signorum ab adversariis dicuntur, ea nihil huc facere paulo post ostendemus, multo minus autem locum illum Marci ultimo: „Qui

crediderit et baptizatus fuerit salvus erit." Quo uno equidem loco eis adempto corruet suapte sponte protinus universum illud ipsorum retinctionis aedificium quod huic fundamento tanto conatu superstruxerant, stabitque immotus paedobaptismus noster, non sane humana ulla, quemadmodum ipsi cavillant, sed divina adeo ipsa eademque immutabili et Patris simul et filii doctrina et voluntate, adversus quam non durum est modo, sed impium praeterea etiam calcitrare.

Tertium Paedobaptismi nostri documentum in Paulo clarissimum habemus. Docet ille veteris populi Ecclesiam per Mosen baptizatam esse, docet baptismi typum fuisse nubem et mare, et in Exodo legimus non adultos modo sed infantes quoque nube illa mystica contectos per mare transiisse. His ergo innixi testimoniis ita argumentamur: Ad quos typum baptismi pertinuisse certum est, ad eosdem et veritatem baptismi ipsam pertinere dubium esse non poterit. Maiorem probat Paulus qui typos veteris Ecclesiae veritatis exemplaria esse docet, nimirum quod venturam suo tempore veritatem adumbrabant, quae illis vicissim postea etiam, ubi exoriretur, responderet. Minor expresse habetur in supra scriptis testimoniis, quae ut in dubium revocari non possunt, ita paedobaptismum nostrum communiunt et confirmant, ut qui illum impugnare quoquomodo velint, eos necesse sit, non tam adversus nos quam adversus Paulum ipsum certamen suscipere docereque vanum esse quod ille docuit, h. e., typis ita olim adumbratam fuisse veritatem ut illis ea nunc vicissim exorta non possit non respondere. Nos Paulum sequuti infantes baptizamus et baptizandos esse docemus. (35) Haec piis satis erunt ad approbandum infantium baptismum, qaem alioqui sub Apostolis ipsis in usu fuisse tradunt Origenes et Cyprianus, etiamsi magna tum ex parte, ut fit in rerum initiis, adulti passim quoque baptizarentur, quemadmodum id ex Tertulliano et plerisque aliis colligi potest. Nunc ad diluendas adversariorum obiectiones descendamus.

§ 17. *Obiectiones adversariorum contra Paedobaptismum.*

Multa adversus hanc doctrinam adversarii nostri adferunt, sed tria potissimum fundamenta omnis suae doctrinae constituunt, quibus subrutis reliqua mox omnia collabentur. Urgent imprimis sed non suo loco baptismi institutionem, ex qua demum ordinem hunc constituunt, ut primum locum decernant doctrinae, alterum fidei, postremum autem baptismo, violarique docent Christi institutionem si hic ordo non observetur. Deinde urgent exempla quaedam Apostolorum, in quibus adultos ab Apostolis baptizatos fuisse constat, infantes non item. Haec omnium validissima esse videntur quibus illi paedo-

baptismum nostrum subvertere atque adeo idololatriae etiam condemnare nituntur. Quae quidem bona fide expendemus ordine omnia et ita nostra moderabimur, ut omnes intelligant nos aliud nihil quaerere quam Christi gloriam et legitimam fidelium omnium in Christi doctrina consensum et unionem, quam promovere omnes pro summa virili nostra debemus.

Baptismi institutionem referunt ad loca illa ultimorum Matthaei et Marci capitum eaque ita connectunt, ut quidquid de baptismo utrobique illic habetur, id totum et ad institutionem baptismi pertinere doceant, et veluti mandatum accipi velint. Nos vero utrumque id illis negamus, h. e., et his locis baptismum institutum esse et quidquid utrobique illic habetur, id totum pro mandato accipi oportere. Cum enim certum sit Apostolos multo antea mandato Domini baptizasse, quam haec illos doceret, quae in ultimis hisce Matthaei et Marci capitibus habentur, perspicuum est, id tum non potuisse primum institui, quod dudum alioqui in usu iam erat, et quae apud Marcum sub verbis promissionis habentur non equidem ut mandatum accipienda esse dicimus, sed potius ut summam quandam eius Euangelii, quod Dominus, sive omnibus gentibus, quemadmodum habet Matthaeus, sive omni creaturae iuxta Marcum, praedicari deinceps volebat. Sunt enim ἀπρόσωπα illic omnia ut nihil cuiquam imperent et praeter nudam promissionem nihil omnino complectantur. Duo igitur docere initio haec debebant, nempe et baptismum hisce locis institui, qui dudum alioqui antea Christo ipso autore in usu erat, et quae nihil cuiquam imperant ea mandati loco accipi oportere. Id porro quoniam pugnare secum videtur, mirum videri non debet adversariis, quod illis in horum locorum interpretatione non assentiamur, qua illi amissa negare sane non poterunt, toti suae doctrinae magnam haud dubie ruinam impendere. Et ut intelligant nos hic non temere a se dissentire, nostram horum locorum interpretationem adferemus. Dicimus hic nos aliud non agi, quam id, quod Dominus ipse antea praedixerat esse futurum, h. e., ut regnum Dei olim iudaeis potissimum promissum, ad gentes demum etiam per Euangelium transferretur. Oportebat sane per Christum impleri quod gentibus promissum erat. Is vero etsi non paucos a gentibus ipsemet iam docuerat atque etiam a morbis variis sanarat, tamen, quoniam Apostolis suis edixerat ne in vias (36) gentium abirent, laxari edictum hoc oportebat, quod in illum usque diem ab omnibus fuerat observatum. Nolebat autem illud laxari adhuc iam ante mortem ipsam eum Philippus et Andreas graecos homines ad ipsum adduxissent, sed brevi id iam fore innuebat, quandoquidem hora glorificationis suae iam venisset. His igitur locis ultimorum Matthaei et

Marci capitum non equidem institui ullum aut Euangelium aut baptismum docemus, cuius utriusque usus iam apud iudaeos alioqui dudum erat, sed quod iudaeis tum solis donatum adhuc erat, id iam hisce locis ad omnes gentes sive omnem creaturam transferri, idemque hoc loco utroque demum significare voluisse ac si dixisset: „Hactenus dum vobiscum eram iudaeis me attemperare volui ut illos patri meo lucrifacerem, dicebam me missum non esse nisi ad Israelis oviculas, dicebam iniquum videri posse, filiorum panem canibus obiici, nolebam ut et vos cuiquam omnino praeter illos serviretis. At nunc posteaquam hisce omnibus nihil est profectum, neque per me neque per vos, imo vero me etiam, quem ut medicum agnoscere debebant, ita crudeliter occiderunt, auferam ego ab illis iam vicissim etiam hunc honorem, quo illos pater meus hactenus est dignatus, nempe ut regni divini, h. e., Ecclesiae sedem apud se haberent, eumque per vos ad gentes omnes transferam iuxta Euangelii mei doctrinam. Euntes igitur docete seu praedicate Euangelium omnibus gentibus sive omni creaturae, et ne putetis eandem esse legis Mosaicae et mei Euangelii rationem, aperiam vobis utriusque discrimen paucis: Lex Mosi docet perire omnes, qui legi per omnia non satisfaciunt, ego merito meo servari omneis qui mihi credant doceo. Lex condemnat omneis, quorum praeputium octavo die non circumcidatur. Ego qui resectum totius orbis praeputium, h. e., noxam omnium peccatorum corporis mei hostia expiavi, non requiro amplius quod mei umbra erat, sed testimonium tantum mei erga omnes beneficii in baptismo exstare volo, ut se in me mundos omnes esse intelligant, quicunque servari volunt. Hoc meum est Euangelium, quod vos omnibus gentibus annuntiare debetis, baptizantes interim eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et docentes eos servare omnia quaecunque praecepi vobis." Sic nos utrumque locum istum interpretamur et praestitisse hic Dominum dicimus, quod alibi promiserat, h. e., Euangelium, Ecclesiam ac Dei adeo regnum totum a iudaeis ad omnes totius orbis gentes transtulisse. Quod si nobis hic reclament adversarii, ostendant ubi legem illam de interdictis gentium viis Dominus relaxarit, promissionique suae satisfecerit. Si vero id nusquam habetur evidentius, desinant loca haec torquere, quae nihil ad institutum ipsorum faciunt, neque amplius imperitam multitudinem fallant. Tantum abest autem ut haec loca patrocinari doctrinae illorum possint, ut contra illos faciant etiam, si illa mutuo collata recte expendant. Quod enim hic baptismum institui doceant, id vanum esse ostendimus, cum certum sit multo antea Apostolos mandato Domini baptizasse, et apud Marcum nullum prorsus habetur de baptismo, eo quidem loco, mandatum. Praeterea Mattheus contra illos plane facit, dum baptismum

institutioni praeponit, quae διδασκαλία vocatur. Notum est enim apud graecos discrimen inter διδάσκειν et μαθητεύειν, etiamsi nostri utrumque id uno docendi verbo reddiderunt. Estque διδάσκειν proprie „in doctrina instituere", μαθητεύειν vero „discipulos ad institutionem inducere sive praeparare", quodque nos apud Matthaeum legimus: Euntes docete omnes gentes, id in graeco non est διδάξατε, quod ad doctrinae institutionem pertinet, sed est μαθητεύσατε, h. e., discipulos ad doctrinae institutionem colligite seu praeparate, ut sensus is sit: Euntes colligite seu praeparate Euangelio meo discipulos in omnibus gentibus, — moxque addit modum parandi discipulos: Baptizantes, inquit, eas in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et docentes eas (graeca habent (37) διδάσκοντες), servare omnia, quaecunque dixi vobis, h. e., instituentes eas in observatione omnium quaecunque dixi vobis. Haec, qui graece utrumque norunt, facile diiudicare possunt, nisi quod isti quae non intelligunt damnant omnia et humanas argutias appellant, interim et se et suum fallentes populum, dum non intellecta pro oraculis obtrudunt, ut interim taceam Spiritus Sancti in donis suis contemptum, quae adversarii mundi sapientiam vocant, quasi vero linguarum et disciplinarum dona Spiritum Sanctum autorem non habeant, et illo non contempto contemni possint. At nos verbis ab Euangelista nobis relictis innitimur, et certi afflatu Spiritus Sancti prodita esse, propriam illorum significationem sequimur et retinemus. Iam quod Matthaeus dicit: Parate, colligite, seu facite mihi discipulas omnes gentes, id Marcus clarius expressit κηρύξατε Εὐαγγέλιον, h. e., praeconum more promulgate Euangelium omni creaturae, subditque hoc ipsum Euangelium, quod longe a legis natura diversum est, et non tam in praeceptis aut caeremoniis, quam potius in promissione gratuitae misericordiae consistit, si illam non contemnamus. Estque haec promulgandi Euangelii promissio et summa: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui autem non crediderit condemnabitur, — non autem mandatum ullum Apostolis datum, quo ordo ille (quem isti urgent) primum doctrinae, deinde fidei, postremo baptismi statuatur, quem nos quidem etiam non damnamus si recte suo loco et intelligatur et observetur, sed hoc Marci loco illum constitui negamus, in quo nullum de modo aut ordine baptismi mandatum videmus. Imo vero alium ordinem apud Matthaeum videmus, qui baptismum praeposuit doctrinae suae institutioni. Primum enim ait *baptizantes eas*, nempe gentes, deinde vero *docentes*. Perspicuum est igitur, vanum esse quod de his duobus locis adversarii docent, videlicet, et baptismum simul ac ordinem illius hic institui et mandati loco accipiendum esse, quidquid utrobique illic habetur. Quid! quod ipsimet fatentur, nullam haberi promissio-

nem sine mandato oportereque mandatum praecedere semper, cui promissio appendeat? Aut igitur mandatum de baptismo apud Marcum ostendant, quod promissionem praecedat, si quidem verba illa „Qui crediderit cet." ut promissionem accipiunt, aut alteram promissionem proferant, si verba haec pro mandato accipi volunt, quae huic mandato appendeat. Quorum cum neutrum eo loco habeatur (neque enim mandatum de baptismo praecedet, si haec promissionis loco accipienda sunt, neque promissio alia sequitur, si haec mandati loco accipiamus) quis non videat utraque in hac re falli adversarios, ét cum haec mandati loco accipiunt ét cum docent promissiones sine mandato efficaces non esse? Quae sane doctrina tantum abest ut ex his locis peti possit, ut totam fere Euangelii vim atque efficaciam elevet plane ac subvertat, id quod mox ostendam ubi paucis adhuc indicavero, verba haec promissionis apud Marcum ut mandatum accipi nulla ratione posse. Sequitur mox apud Marcum promissionem salutis signorum promissio, adiuncta etiam fidei conditione. Quod si adiuncta conditio credendi et baptizandi in salutis promissione mandati vim obtinet, ut illi promissio appendeat, eadem sane opera credendi conditio signorum promissioni adiuncta vim mandati obtinebit, atque signorum edendorum promissio illa conditioni adiunctae ita etiam appendebit, ut quicumque credit is non possit signa illa non edere, neque edere rursus quisquam possit qui non credit. At vero plurimos in Ecclesia et fuisse et esse passim videmus, qui nihil illorum signorum edant, et rursum multos scimus ea signa edere atque edituros adhuc esse, quos tamen non novit Dominus, et ut impuritatis operarios a se propellit. Quare neque in salutis promissione adiuncta illa credendi et baptizandi conditio alligat sibi veluti mandato alicui salutis promissionem, ut qui illi non satisfaciat servari omnino non possit. Et certum est infantes nostros priusquam vel credant vel baptizantur, servari propter (38) promissionem de illis factam ante institutum vel baptismum vel circumcisionem. Quod equidem huc facit ut omnes intelligant conditiones credendi et baptizandi, salutis promissioni adiunctas, nullam eiusmodi vim mandati obtinere, ut ab illis promissio ipsa pendeat, multo minus autem ut ordinem illum ipsorum constituant, quem illi nobis pro oraculo obtrudunt. Iam unde docebunt tantam esse vim mandatorum quod quidem ad salutem nostram attinet, ut ab illis promissiones omnes pendere dicamus? Quis unquam docuit in Euangelio mandata promissionibus anteponenda esse, quasi vero in nobis situm sit, ut nos priores aliquid ex nobis praestemus Deo ac ille demum merita nostra vitae aeternae praemio rependat. Loquitur quidem ad hunc modum scriptura, sed non eo sensu, ut promissiones a mandatis dependere existimemus. Alioqui neminem agno-

scit Paulus qui Deo aliquid prior dederit et omnem nostram salutem refert, non ad mandatorum obedientiam ullam, sed ad gratuitam illius misericordiam, Euangelica promissione citra ullius mandati obligationem revelatam. Cui vero mandato appensa est promissio illa serpentini capitis conterendi, universo iam inde ab initio mortalium generi sub Adae nomine proposita? Cui item et Euengelica illa post Christum natum cautio, qua illi Dei erga homines pacem, sibi iam in nobis per Christum placentis, universo orbi annuntiant simul et promittunt? Deinde en non et Abraham ipse iustus habitus est, mox ut audit oblatam promissionem, etiamsi nullum adhuc mandatum de circumcisione accepisset? Et Paulus an non apte a lege salutem nostram transfert ad gratiam, non utiquo mandato ulli astrictam, sed promissionibus gratuito revelatam, quod frustra sane ageret, si salutis nostrae promissiones a mandatorum conditione dependerent, nedum a sacramentis quae et posteriora sunt citra controversiam promissionibus et ab illis omnino dependent. Quaro ita potius ratiocinari debebant: Ad quoscunque pertinent promissiones, ad eosdem etiam promissionum symbola, h. e., sacramenta pertinere, — non autem ad eos duntaxat promissiones pertinere qui sacramenta haberent. Aut enim nobis assentiantur necesse est, non e mandatis dependere promissiones sed a promissionibus mandata et tum aliter argumentari non poterunt. Aut certe docebunt, etiamsi promissiones sint priores mandatis, atque adeo gratuitae quoque misericordiae testes, priorem nihilominus tamen locum mandata quam promissiones obtinere in salutis nostrae ratione, neque promissiones ullas efficaces esse sine mandatis. Id vero callide agit Sathan, ut sub splendido pietatis fuco Christi apud nos beneficium, unicum damnationis nostrae antidotum, elevet atque obscuret. Scit a piis requiri mandatorum obedientiam, hanc itaque ita urget, ut ad illam promissiones Dei astringat, non quod nos Deo obedire velit, sed quod hoc unum molitur, ut, quemadmodum nostrae obedientiae inniti certo non possumus propter adnatam nobis ἀπείθειαν, ita ne etiam promissionibus innitamur, quandoquidem promissionum certitudinem ab obedientia pendere oportebit, si mandatis promissiones adstringamus. Quod equidem quid secum ferat, quisquis Christi gloriae serviat, (ad quam tamen referri omnia oportet,) pius quisque cogitare secum potest. Atque utinam omnes, quemadmodum videri volumus, vere et ex animo gloriam Christi regis, domini et servatoris nostri, quaeramus. Ceterum sublata promissionum dignitate ac sub mandatorum rursus saepta conclusa, quae erit Euangelii, obsecro, ad salutem virtus seu potentia? Quod illius ac legis discrimen? quod meritum mortis Christi (quod tamen Paulus donum et quidem gratuitum appellat)? quae illius gloria seu triumphus,

quo captivitatem nostram sua contectam iustitia captivam in suo corpore ad coelos usque evexit? Donum esse non potest, quod a legis seu mandati conditione dependet et captivitatem nostram captivam vere esse fateri omnino non possunt, qui promissiones mandatis astringere conantur. Proinde nos Christo Domino suam deferimus gloriam, dum gratuitae ac per illum solum promeritae Patris Dei misericordiae omnem nostram (39) salutem simpliciter transscribimus, nullis illam mandatis nullaque obedientia suffultam, quam equidem nihilominus requirimus et necessariam quoque esse dicimus, sed eam testem atque indicem salutis nostrae facimus, non adiutricem, nedum ut eam promissionibus anteponamus. Iam etsi nulli dubium esse potest praedictis Matthaei et Marci locis neque baptismum institui neque ullum illius modum aut ordinem praescribi, multo minus autem doctrinam eiusmodi tradi, quae mandata promissionibus anteponat, — tamen ut omnibus perspicuum fiat, eos ne suae quidem interpretationi inniti posse, ut, etiamsi illorum interpretationem non reiiciamus, confirmare ex illa tamen doctrinam suam queant, fingamus apud Marcum, quem illi dogmatis sui summum eo loco patronum faciunt, modum ac ordinem baptismi constitui, fingamus primum locum doctrinae, proximum fidei, postremum vero baptismo decerni, — an vero iam vicerunt si hoc illis donemus. An nos iam propterea violatae Christi iustitutionis atque idololatriae in paedobaptismo nostro condemnabunt? Age vero, si verum est quod docent, conditiones praedicandi et credendi hoc Marci loco mandati vim obtinere, ex quo demum ordo is, quem urgent, constitui posset. Si item verum est, promissionem mandato ita appendere, ut ubi non sit mandatum, ibi promissio etiam efficax esse non possit, quo pacto salutis promissio ad infantes pertinebit, qui neque doceri neque credere iuxta illos possunt, multo minus baptizari? Clara est antithesis, quae promissionem exponit: Qui non crediderit condemnabitur, quae cum non possit esse non vera, siquidem Christo credimus, aut certi ad infantes non pertinebit, qui, quod ipsimet docent, mandato instituendi et credendi satisfacere non possunt, — aut si ad illos pertinet, omnes hauddubie sine exceptione sive baptizatos sive non baptizatos condemnabit. Torqueant se hic ut volent adversarii, ringantur ut volent, hanc certe promissionis antithesin loco suo movere non possunt, faterique coguntur, aut illam ad infantes non pertinere, si illos a salute non excludunt, aut infantes toto terrarum orbe omnes damnari propterea quod non credant, imo ne possint quidem. Iam cum ipsimet fatentur infantes a salute non excludi, negare profecto non possunt, antithesin hanc nihil etiam ad infantes pertinere. Quod si antithesis nihil ad illos pertinet, tum sane neque promissio illa tota,

neque discendi credendique mandatum promissioni inclusum, multo minus autem ordo ille, quo postremus baptismo locus decernitur, ad eos quoquomodo etiam pertinebit. Quo pacto enim promissio ad salutem admittat eos qui addita mox antithesi ab ea excludantur? Aut quo pacto per antithesin excludantur quos promissio admittit? Quare si addita antithesis, qua promissio ipsa explicatur, totam promissionem hanc ab infantibus submovet, certe et mandatum illud discendi et credendi eo loco additum ad infantes nihil pertinebit, ad quos nihil pertinet tota eius loci promissio, quam ad pueros applicare nullo modo possunt, nisi si illos a salute omnes per additam antithesin excludant. Manifestum est igitur his Matthaei et Marci locis baptismum non institui multo minus autem cum constitui ordinem, quem adversarii contendunt, circa baptismum observari oportere, quemque Matthaeus ipse eodem ipso loco invertit, — et ut constituatur, nihil tamen adversus paedobaptismum nostrum facere, quum totus ille Marci locus ad pueros applicari nulla ratione possit, nisi eadem opera omnes etiam condemnat. Eant nunc et hos locos doctrinae suae fundamentum esse iactent. Clament se fideles scripturae interpretes, nos nihil aliud quam philosophos et argutores. Dicant a nemine praeterquam a se scripturas intelligi, hic certe pulchrum horum omnium documentum dederunt, cum ea doctrinae suae praetexant, quae non solum nihil ad causam ipsorum faciunt, sed doctrinae quoque eorum aperte repugnant, cum a Matthaeo ordo ille ipsorum apertissime invertatur. (40) Sed hic rursum obiiciunt. Si locus hic Marci, inquiunt, et Matthaei nihil ad infantes pertinet, neque baptismus etiam ad illos pertinebit, cum nusquam alibi mandatum exstet quo pueri baptizari iubeantur. At vero proferant illi mihi vicissim mandatum aliquod litteris expressum quo Ioanni ut baptizaret imperatum esse constet. Id si nusquam habetur an ideo Ioannis quoque baptismum idololatriae condemnabunt, quod sine expresso scripturae mandato baptizarit? Aut an tum ad neminem baptismus pertinebat, de quo expressum scripturae mandatum non exstaret? Nos certi unum eundemque Patrem Deum et baptismi et circumcisionis autorem esse, eandem illum etiam voluntatem retinuisse credimus in baptismi usu, quam se habuisse declaravit in usu circumcisionis, et quos ille olim sacramentis indignos non esse iudicavit, nos ab eis excludendos etiam minime esse putamus, praesertim cum nihil diversum nobis scriptura praecipiat et Christus Dominus aperte testetur in his, quae ad salutem nostram pertinent, e quorum numero sacramenta quoque esse ostendimus, eandem esse suam et Patris sui coelestis doctrinam et voluntatem. Atque ad primam illorum obiectionem tantum. Iam alteram excutiamus.

Alterum est, quo paedobaptismum nostrum impugnare conantur. Dicunt frustra baptizari eos, qui baptismi mysteria percipere non possunt, et inter mysteria interim ipsa nullum faciunt discrimen, imo vero et ordinem illorum invertunt, ut dogmati suo locum faciant, et subvertunt praecipuam illorum significationem. Sed de discrimine ordine et significatione mysteriorum postea, nune mibi respondeant, an non participant mysteriis, qui ea percipere, h. e., digne secum reputare non possunt? Non loquor de contemptoribus, sed qui infirmiores sunt, quam ut ea possint percipere per naturae imbecillitatem. Si id concedunt, doceant scripturae testimonio aliquo, eos qui mysteriis sacramentorum participant ad symbola illorum admitti non debere, praesertim cum Petrus testetur suum non esse, ut a baptismo excluderet eos, quos mysteriis illius iam participes Spiritus Sancti testimonio videbat. Si vero id negant, ostendant quo pacto pueri et olim servabantur et nunc servantur etiam posteaquam et circumcisionis et baptismi mysteriis participare hactenus non possunt, quatenus illa etiam cogitatione assequi ac percipere non queant. Equidem negare non possunt circumcisionis praecipuum mysterium esse foedus illud, quo se Deus ipse ore suo Abrahae et eius seminis Deum fore pollicebatur, quandoquidem ipsemet Deus circumcisionem huius foederis signum vocat. Neque item negare possunt praecipuum baptismi mysterium esse, Christum induisse, quemadmodum Paulus docet, sine quo nemo servari seu ad patrem pervenire unquam potest. Vertant se igitur hic quo volent, certe aut pueros a Christo omnique foederis promissione et proinde a salute quoque ipsa excludent, si illos neque circumcisionis neque baptismi mysteriis participare dicant, et tum mendacem facient eum Patrem ipsum Deum, qui se in foedere seminis quoque nostri Deum fore promittit, tum vero et Christum Dominum, qui adeo regnum coelorum ad pueros proprie pertinere testatur, ut qui illis similes non sint, ab eo omnes excludat. Aut si pueris mysteriorum participationem permittant, prudentiores certe erunt ipso Deo, qui tum infantes a circumcisione non excluserit, propterea quod eius mysterio participarent, etiamsi illud animo complecti non possent, ipsi tamen eos a baptismo arcent propterea quod illius mysteria percipere non possint, etiamsi eis largiantur illorum participationem. Nos certi extra Christum, mysticam baptismi nostri vestem, neminem servari posse, a mysteriorum symbolis eos non arcemus, quos mysteriis, etiamsi illa animo complecti non possint, certo participare scimus, atque hic sequi malumus Dei Patris exemplum et voluntatem, cum qua suam quoque Christus ipse Dominus noster coniungit, quam eorum qui adversus illam a symbolis mysteriorum arcent eos, qui mysteria secum reputare non possunt,

etiamsi excludere eos ab illorum (41) participatione nulla ratione possint.

Quod vero ad mysteriorum discrimen ordinem et significationem attinet, id paucis exponemus, ac discrimen primum ipsorum ex Paulo petemus. Docet igitur Paulus proposito circumcisionis exemplo, sacramenta σφραγῖδας esse nostrae in gratiam Dei acceptationis, quemadmodum ante indicavimus. Docet iterum nos admoneri sacramentis officiorum nostrorum ex mysteriorum natura, quae sacramentis repraesentantur. Quemadmodum vult ut nos corde circumcisos per affectuum moderationem esse testemur, quandoquidem circumcisionis sacramento cordis circumcisio adumbrabatur, vult item ut nos mutuo omnes diligamus, qui Coenae Dominicae mysterio in unum corpus nos coaluisse testamur. Ex quibus Pauli testimoniis facile apparet, duo esse in sacramentis mysteriorum genera, alterum eorum in quorum fide iuxta promissiones obsignamur idque σφραγιτικὸν *) vocari posse, alterum vero παραινετικὸν, quod nos sui commemoratione officiorum nostrorum admoneat. Atque in baptismo σφραγιτικὸν esse renasci seu ut Pauli verbis utar, Christum induisse h. e., nos, etsi in peccato concipiamur et nascamur, iustos tamen ac innocentes censeri propter Christum, in quo nos Pater coelestis noster gratuita bona voluntate sua regenuit ad vitam, corporique ipsius a mundi origine iuxta providentiam suam inseruit per promissionem et horum omnium sigillum baptismum esse voluit, quemadmodum in circumcisione σφραγιτικὸν erat, acceptos esse infantes Deo propterea quod is illorum quoque Deum se fore spopondisset, — παραινετικὰ vero tot in baptismo erunt, quot illi allegoriae adoptari possunt. Sic Paulus baptismi mysterium facit nostri mortificationem et mysticum cum Christo συνταφιασμὸν, atque inde nos hortatur, ut peccatis cum Christo semel mortui in baptismo illique consepulti, non amplius illa regnare in nobis patiamur, sed posteaquam iuxta Spiritum cum illo etiam resurreximus, non sane amplius veterem in nobis alamus hominem, sed facti nova in Deo creatura in novitate vitae potius ambulemus. Differunt autem inter se haec mysteria quod σφραγιτικὰ ex promissionibus petuntur obsignanturque in nobis usu ipso sacramentorum, ne de illis quidquam omnino dubitemus, — παραινετικὰ vero colliguntur e symbolorum allegoriis huceque spectant, ut posteaquam de priorum obsignatione certi sumus, admoneant nos omnes nostrae erga Deum gratitudinis utque vitam nostram illius voluntati pro tantis beneficiis iuxta symbolorum allegorias attemperemus. Sic in cir-

*) Barbarum illud σφραγιτικὸν intactum reliquimus. Pluries in hac pericopa obvium reperitur, quam ut pro calami lapsu habeatur.

circumcisione petebatur mysterium resectae noxae a nobis nostrorum peccatorum ex promissione Dei, qui se Deum nostrum fore pollicetur, cum simus peccatores, atque hoc ipsum in nobis dum circumcisio durabat obsignabatur: petebatur item et e symboli allegoria, dum praeputii circumcisione cordis circumcisio adumbrabatur, nosque simul admonebamur ut qui carne circumcidebamur, corde nos etiam circumcisos esse declararemus. Sic et in baptismo petitur mysterium ex promissione, qua salus promittitur omnibus qui amplecterentur Euangelium et baptismum. Sub mortem conclusa erat prior nostri ex Ada generatio neque quisquam, dum in ea generatione haereret, ad vitam pertinebat. Dum igitur vita baptizatis promittitur testimonium est baptismus, nos a priore illa in mortem generatione exemptos, in vitam rursus gratuita Dei misericordia regenitos esse, iuxta promissionem, Adae primum ore Dei viventis propositam, deinde vero universo orbi per Euangelium revelatam, de quo mox plura. Petuntur item alia quoque mysteria ex symbolorum allegoriis, ut ex mersione mortificatio carnis, veteris hominis depositio, nostri abnegatio et cum Christo consepultio, ex emersione rursus in vitae novitatem exsuscitatio, quam Paulus συνέγερσιν cum Christo vocat. Hoc mysteriorum discrimen observari oportet in ratione sacramentorum, ut sciamus, quae ex divinis promissionibus et quae ex symbolorum allegoriis petantur, atque inde (42) verum quoque ac legitimum ordinem illorum reperiamus, quem equidem adversarii, nescio imprudentiave an vero certo destinatoque concilio, certe contra ipsam Euangelii naturam inverterunt. Ita enim paraenetica haec urgere videntur ut priora illa magna sane ex parte obscurent atque adeo adulterent etiam illorum significationem, quibus tamen violatis omnia haec evanescere prorsus oportebit. Etenim quid prodest mortificasse carnem nostram atque adeo sepeliisse etiam, quid vitam quamlibet novam instituisse, denique quid et egisse et pertulisse omnia, nisi Christo prius insiti per misericordiam Patris Dei e filiis irae ac mortis in filios Dei adoptemur, atque ad Christum Dominum velut membra ad caput ipsius beneficio pertineamus? Sane etiam in Christo carnem nostram neque mortificare neque sepelire ita possumus, multo minus autem novum inducere hominem, ut non semper membrorum legem in nobis, dum hic vivimus, multo quam velimus validiorem vel inviti sentiamus, nedum ut extra Christum quidquam horum nobis arrogare ullo modo valeamus. Et si id conemur, hypocrisis erunt haec omnia, quantumvis speciosum pietatis fucum prae se ferant, sed sunt salutaria nobis per Christum, qui nostram infirmitatem sua contegit sufficientia, quatenus destinata Patris Dei voluntate regeniti ad illum prius, iuxta Petri et Iacobi testimonia, pertinemus. Cum igitur Christo nos prius insitos

esse oporteat, quam cum illo una vel mori vel sepeliri vel in novitatem vitae consurgere etiam possimus, quae obsecro haec religio est, ut quod primum adeoque et summum locum obtinet in salutis nostrae ratione, id postremo demum loco in usu sacramentorum ponatur? quasi vero non haec sit summa dignitas omnium sacramentorum, quod sint salutis nostrae in nobis obsignationes, aut alius ordo retinendus nobis sit in salutis nostrae ratione, alius in obsignatione? Quum potius hic Satbanae artibus omnes renitimur, is non alibi fere usquam maiore astu utitur quam in detrahenda Christo sua gloria, quae hoc sane nomine apud nos est omnium celeberrima, quod illi insitis mundum, mortem ac infernum ipsius merito per fidem vincimus atque etiam conculcamus. Huius igitur nostrae in Christum insitionis vim atque rationem obscurare potissimum abolereque in nobis perpetuo ille conatur, cum alibi ubique, tum vero maxime in usu sacramentorum, quod haec ideo potissimum instituta esse novit, ut sint σφραγῖδες eius ipsius nostri in Christum tantopere invisae insitionis. Atque antea quidem id ita egit, ut vim omnem sacramentorum ab operis ipsius dignitate metiendam sub Papatu esse docuerit. Nunc vero retecto iam fuco hoc, alium comminiscitur eumque ut multo callidiorem ita multo etiam haudubie nocentiorem. Adulterat nostrae in Christum insitionis rationem ac modum, mox illam in postremum quendam locum reiicit, ne illi tantopere fidamus, et quod Christi proprium est, id in nos transferre modis omnibus ita conatur, ut quod nobis ipsi tribuimus, id Christo Domino et eius gloriae detrahamus, certus nos fore suos, simul atque Christum nobis coniunctum, imo vero autorem ac largitorem omnis nostrae salutis non habeamus. Quare cum ea res ad Christi Domini dignitatem tota pertineat et certum sit paraenetica omnium sacramentorum mysteria ab obsignatoriis dependere, atque obsignatoriis omnem fere salutis nostrae et spem et rationem nobis proponi, nos primum illis etiam locum tribuimus in usu omnium sacramentorum. Paraenetica vero iis adiungimus, veluti testes ac iudices verae in nobis obsignationis illorum, quae σφραγιστικά vocamus, atque eorum commemoratione animum nostrum ad approbandam et nobis ipsis et toti Ecclesiae nostri in Christum insitionem summa cura ac studio adiiciamus. Perfacile autem hic Sathanae dolus agnosci potest in invertendo mysteriorum ordine circa usum sacramentorum. Postremum haberi vult quod caput est omnium, nempe vim divinarum promissionum, ut pondere illarum elevato animis eas nostris excutiat ad extremum, atque in nostrum pietatis studium spem nostrae salutis demum (43) transferat, quam soli Dei Patris et quidem gratuitae misericordiae promissionibus nobis in Christo revelatae debemus. Et ne hic doli

illius cognosci ab omnibus mox possint, hoc primum agit, ut veram eorum significationem, quae fidem nostram omnium maxime corroborant, adulteret atque obscuret, quo adempta illis vera ec legitima significatione, minus peccare postea in invertendo eorum ordine etiam videatur. Sic olim in circumcisione depravare per Pharisaeos conatus est *iustitiae* significationem, quam etsi Moses ad gratuitam imputationem seu acceptationem referat, atque Paulus item *fidei* non *operum* iustitiam appellat, quemadmodum ante dictum est, ipse tamen mira arte illam detorsit semper ad operum dignitatem et circumcisionem legalis nescio cuius obedientiae sigillum faciebat, quae iustitia vocaretur. Sic et nunc in baptismo propriam regenerationis et Christi induti significationem depravare [et] subvertere conatur, ut hac obscurata dubiam nobis reddat tandem salutis nostrae rationem, atque ad extremum nos artibus suis ad desperationem deducat. Proinde mirum videri non debet adversariis si illorum de iustitia, regeneratione et Christi, ut ita dicam, induitione interpretationi non protinus assentiamur. Videtur enim eo spectare, ut bonam nostrae salutis partem nobis ipsis ascribat, quam tamen uni solique Christo Domino eiusque gratuitae bonitati debemus. Ac de iustitia quidem diximus iam circa primam baptismi explicationem. Nunc de regeneratione Christique induitione dicemus. Docent igitur regenerationem idem esse quod mentis nostrae in nobis seu affectuum innovationem. Docent item Christum induisse apud Paulum nihil aliud esse quam mores ingenium totamque plane vitam nostram iuxta Christi doctrinam et exemplum instituisse, atque intra hos fines et regenerationem ipsam et Paulinum illud Christi ἔνδυμα ita constringunt ut latius illa patere omnino negent et doceant ea ad infantes nihil plane pertinere. Nos vero non ignoramus, quod quidem ad regenerationem et renovationem nostri attinet, duo haec in scripturis frequenter ita usurpari, ut quoniam alterum ab altero dependet, quandoque alterum pro utroque συνεκδοχικῶς, quandoque vero μετωνυμικῶς alterum pro altero ponatur. Est enim frequentissimus horum schematum in scripturis usus (Io. 3). Et proinde non repugnamus, quominus aut regeneratio pro renovatione aut renovatio pro regeneratione interdum accipiatur. Quin id quoque in adversariis magnopere lauderemus, quod in renatis tanto studio urgent officia renovationis, si id modo quod est nostrae regenerationis caput non interim obscurarent. Non enim satis haec inculcare unquam pro incredibili hominum socordia possunt. Ceterum quod sumpta inde occasione regenerationem constringunt sub renovationis nostrae fines, neque illam latius patere concedunt, renovationem vero aliter non accipiunt, quam pro mentis nostrae post auditum verbum Dei immutationem, quam graeci μετάνοιαν vocant,

id vero ab omni doctrina Christiana alienum esse putamus. Huc enim nos doctrina haec deducit, ut aut infantes a salute omnes toto terrarum orbe, ab ipso usque Adamo, excludere cogamur, aut salutem certe extra Christum cum Pelagianis ponamus. Id vero utrumque eiusmodi est, ut utrumlibet admittatur, mendacem faciat hauddubie in suis promissionibus eum Christum ipsum, tum vero etiam patrem Deum. Quis vero ad haec non exhorrescat, qui vel micum modo mentis Christianae habeat. Aut quo loco a nobis haberi volent sectarum huius temporis autores, qui istiusmodi doctrinis scindunt Ecclesiam Dei ac simplici credulaeque nimium plebeculae sub pietatis fuco imponunt? Iam ut perspicuum fiat omnibus hac istorum doctrina mendacem reddi et Christum (44) pariter et Patrem Deum, utramlibet illius partem admittamus, manifesta sunt Christi Domini verba, quibus neminem usquam nisi per se ad Patrem suum et proinde ad vitam quoque aeternam pervenire posse docet, se esse viam, se ostium, se et ostiarium. Paulus illum item unum atque solum Dei et hominum mediatorem esse ait, haud aliter atque unus est et solus atque idem perpetuo ipse Deus. Praeterea ipsemet Pater Deus in solo Christo Domino animum suam, peccato nostro a nobis abalienatam, denuo placatam esse testatur. Et Petrus verbis clarissimis docet, non esse aliud ullum sub coelo nomen, in quo servari possimus. Porro ad Christum nemo pertinet, qui non illi velut viti palmites aut plantis surculi inseratur. Quod equidem fieri haudquaquam potest, tantisper dum in priore nostra ex Ada patre nostro generatione haeremus. Quamdiu enim Adae progenies sumus, tam diu nos manet semper indicium inevitabile in condemnationem, neque vivere possumus, nisi hanc in mortem nostri ex Ada generationem altera quae in vitam est permutemus. Simul igitur et in priore quae est ad mortem generatione haerere, et ad Christum etiam pertinere nullo modo possumus, cum nulla sit condemnatio his qui sunt in Christo Iesu, praeterquam si illius beneficium contemnant, — eos vero qui in priore ex Ada generatione haerent, nihil aliud maneat omneis quam inevitabile in condemnationem iudicium, quemadmodum Paulus docet, etiamsi non omnes ad similitudinem transgressionis Adae peccarunt. Quare aut vana erit divina illa ad Adamum, nos omneis in lumbis suis tunc complectentem, prolata sententia „morte morieris", vanum item Pauli illud omnes in Ada mori et manere nos omnes inevitabile iudicium in condemnationem tantisper dum in priore ex Ada generatione haeremus, siquidem ante regenerationem servamur. Aut si nonnisi renati servamur et regeneratio aliud non est quam μετάνοια, tum certe nos fallit divina promissio illa „Ero Deus seminis tui," fallit et Christi testimonium, qui infantibus vitam aeternam ac reg-

num coelorum ita ascribit, ut ab eo excludat omnes, quicunque illis similes esse nolint. Denique et Spiritus Sancti evidentissimum iudicium nos hic fallat oportet, qui manifesta in infantibus virtutis ac praesentiae suae signa exemplo Hieremiae et Ioannis baptistae exeruit. Quod equidem ut singulari quodam in his duobus privilegio factum esse donemus, clarissimo nobis id tamen documento est interim, infantes nostros sub ira ac condemnatione et proinde sub priore quoque illa ex Ada generatione non amplius haerere, posteaquam se ab ea hominis aetate Spiritus Sanctus non abhorrere testatur, numquam alioqui illius virtutis ac praesentiae specimen in illa editurus, si tota illa aetas nostra sub morte ac condemnatione, sub quam in Ada conclusi eramus, adhuc haereret. Haec nos, inquam, fallunt omnia, si omnes non renati damnantur, praesertim si regenerationem aliud nihil esse dicamus quam μετάνοιαν, cum infantes certum sit non posse μετανοεῖν et proinde neque renasci. At vero est verax Deus, vera item Apostolica doctrina, qua cum docemur in Ada mori omnes, docemur item in Christo nos ad vitam revocari, deinde id scimus etiam, oleae nos inseri non posse nisi ex priore nostra oleastro, ut Pauli verbis utar, exscindamur (id vero certi sumus ad infantes pertinere etiamsi non possint innovari), aliud sane esse dicimus regenerationem, aliud vero μετάνοιαν seu mentis nostrae innovationem. Ut autem id clarius percipi ab omnibus possit, rem omnem in duas argumentationes conferemus, sic ut altera ab altera pendeat, ad hunc modum: Qui ad Christum non pertinent, ad salutem quoque non pertinent. Non renati ad Christum non pertinent. Ergo non renati ad salutem quoque non pertinent. Maiorem probant praedicta testimonia de unico nostrum omnium mediatore, unica via, unico ostio, unico ostiario, Christo, et inter haec Domini ipsius verba aper-(45)tissima: „Nemo ascendit in coelum nisi idem qui et descendit", sic ut nos Christo inclusos esse oporteat, ut cum illo aut in illo potius ad coelos ascendamus, si non excludi volumus. Minorem probat Paulus aliis iam etiam adductis testimoniis, quibus priorem nostri ex Ada generationem sub peccatum et mortem concludit, nosque omnes secundum illam irae filios et corpus suum mortis corpus appellat, manereque nos omneis docet inevitabile iudicium in condemnationem tantisper dum in ea generatione haeremus, a qua nos transferri atque ad vitam restitui sane oportet, si ad Christum, qui vita est, pertinere debeamus. Constat igitur ad Christum et proinde ad salutem quoque non pertinere, qui a priore ex Ada generatione non transferuntur atque ad vitam denuo in Christo non regignuntur. Atque hoc ipsum petitur [e] priore hac nostra argumentatione, qua ita iam confirmata ad aliam descendemus. — Antequam ad vitam in Christo regignamur

servari non possumus. Ante μετάνοιαν seu mentis nostrae innovationem servamur. Ergo et aliud est regeneratio nostri quam renovatio et est prior renovatione. Maiorem efficit prior argumentatio. Minorem probat divina promissio salutem deferens infantibus, probat et Christus regnum coelorum illis ascribens, cum certum sit, illos ne vim quidem mentis ullam posse exercere, nedum ut illam immutare queant. Perspicuum est igitur aliud esse regenerationem, aliud vero renovationem. Neque vero facilius neque item verius etiam regenerationis nostrae naturam percipere possumus, quam si priorem nostri generationem propius intueamur, ac demum quod illi contrarium est ad regeneretionem referamus. Est autem prior nostri generatio, quemadmodum ex Paulo docuimus, ea omnium hominum conditio qua sub peccatum ac mortem conclusi, rei sumus aeternae damnationis, atque adeo in illam plane iam ferebamur omnes, nisi nos ab illa Deus iuxta copiosam misericordiam suam in Christo Domino liberasset. Quare et regeneratio aliud proprie esse non potest, etiam iuxta ipsam nominis etymologiam, quam prioris illius generationis commutatio, h. e., ea nostri vicissim per gratuitam Dei misericordiam nobis deleta conditio, que morti prius aeternae obnoxii ad vitam rursus Christo insiti renascimur, testimonio promissionis veri viventis et aeterni Dei ad nos per Euangelium delatae, ut certi simus nos Dei filios iam esse in Christo, qui antea in Ada mortis atque irae filii eremus. Sic Iacobus gratuita nos patris Dei voluntate regenitos esse ait per verbi divini promissionem, quam „sermonem veritatis" appellat. Sic Petrus nos iuxta copiosam Patris Dei misericordiam regenitos etiam esse docet in spem vivam per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, et aliquanto post repetit, nos ex immortali semine, nempe ipso Deo, regenitos esse, non equidem per nostram μετάνοιαν sed per sermonem viventis et aeterni Dei, h. e., per promissionem. Neque hoc loco sermo accipi potest pro externa verbi praedicatione, quemadmodum adversarii putant, nam ea interpretatio infantes rursum nostros a salute excluderet, quos certum est servari et proinde regigni etiam, licet non possint percipere externam verbi praedicationem. Et Petrus ipsemet se explicat dum ait, eum sermonem, per quem nos regenuit Pater Deus esse, non ipsam sane Euangelii enunciationem, sed id potius quod ad nos defertur Euangelii enunciatione, h. e., promissionem. Proprie enim promissiones ad Euangelium pertinent, quemadmodum ad legem interminationes, etiamsi neque lex promissionibus neque Euangelium item interminationibus careat. Habemus ergo regenerationem aliud esse quam μετάνοιαν nosque renasci non ipsa enunciatione Euangelii, seu externo verbo, ut vocant, sed destinata voluntate Dei iuxta copiosam ipsius miseri-

cordiam, quemadmodum Iacobus et Petrus docent, idque testimonio promissionum veri viventis et aeterni Dei, quas per Euangelium ad nos in Christo delatas habemus. Porro μετάνοια seu mentis nostrae innovatio testis est atque index adeoque et fructus etiam nostrae regenerationis. (46) Innovatione enim sentimus, nos renatos esse postquam adolevimus, per quam Spiritus Sanctus testimonium perhibet, cum nobis ipsis, tum vero etiam toti Ecclesiae, quod sumus filii Dei. Quemadmodum index testis et fructus fidei est charitas, quae nos certos reddit de nostra in Deum fide, dum eos a nobis propter Christum amari sentimus, quos per doctrinam Euangelii, unius atque eiusdem nobiscum corporis membra esse scimus. Interim tamen aliud est fides, aliud est charitas, ita aliud est proprie regeneratio, aliud innovatio, etiamsi in adultis alterum ab altero separari non possit, quemadmodum et fides viva sine charitate esse non potest. Hic vero libenter assentimur adversariis, ad veram nostri innovationem necessarium esse verbi externi auditum fatemurque verbum externum regulam esse nostrae innovationis, imo vero ita plane sentimus, neminem vere innovari nisi credat, neminem vere credere qui non audierit, non equidem doctrinas hominum, sed doctrinam ipsius Dei nobis in Iesu Christi Euangelio revelatam. Sed negamus ideo a baptismo infantes arcendos esse, quod innovari non possint, quandoquidem Deus a circumcisione illos non exclusit, etiamsi ad eam aetatem cordis circumcisio nihil pertineret. Alioqui aut eiusdem erroris nobiscum Deum ipsum accusabunt adversarii, quod circumcidi eos iusserit, qui corde circumcidi adhuc non poterant, si nos ideo sua societate indignos esse putant quod eos baptizamus qui per infantiam innovari adhuc non possint, aut in nobis amplius non reprehendent, quod iuxta Dei exemplum et voluntatem infantes nostros baptizamus. Neque vero ideo a baptismo excludimus mysterium innovationis — Paulus enim baptismum et regenerationis simul et innovationis lavacrum vocat — sed inter regenerationis et innovationis mysteria discrimen quoddam ex Pauli doctrina ponimus, atque σφραγιστικὸν id esse docemus in baptismo, quod ad regenerationem pertinet, παραινετικὰ vero ea omnia, quaecunque iuxta baptismi allegorias ad nostri abnegationem atque innovationem referuntur. Estque baptismus apud nos non ipsa regeneratio (prior est enim sacramento promissio et promissione item voluntas illa Dei per quam a morte ad vitam iuxta copiosam illius misericordiam regeneramur), neque item est renovatio ipsa, nam alios ante baptismum, alios vero longo post baptismum intervallo renovatos esse legimus: sed est σφραγίς nostrae regenerationis sive acceptationis in gratiam Dei propter Christum, propter quem infantes quoque nostri servantur, et est

simul etiam παραίνεμα quoddam nostrae innovationis, ut illam tota vita nostra exprimamus, quemadmodum circumcisio olim σφραγίς erat acceptationis Abrahami familiae in gratiam Dei, et simul erat παραίνεμα etiam spiritualis circumcisionis, ut qui carne circumcisi erant, cogitarent etiam corda se circumcisos esse oportere. Ad eundem modum et coena Domini est nunc σφραγίς communionis corporis et sanguinis Christi, et est interim etiam παραίνεμα gratiarum actionis et mutuae invicem dilectionis nostrae, qui unum nos in Christo corpus esse omnes coenae testimonio profitemur, ideoque a priscis iam ἀγάπη, iam εὐχαριστία vocatur. Atque de regeneratione et renovatione nostri tantum, reliquisque baptismi mysteriis quorum nomine adversarii infantes nostros a baptismo arcere conantur, inverso interim illorum ordine et depravata obsignatoriorum mysteriorum significatione.

Tertium est quo adversari adversus paedobaptismum nostrum nituntur sed nihilo prioribus firmius, ne dicam infirmius. Dicunt non constare ab Apostolis ullos alios baptizatos esse nisi adultos, et proinde nunc etiam praeter adultos neminem baptizari oportere. Confirmant hoc praeterea veterum quorundam testimoniis, ex quibus apparet adultos tum magna ex (47) parte solitos baptizari. At vellem mihi responderent, ubinam constat virginem matrem baptizatam esse? ubi Apostolos? Id si non constat, num ideo existimandum est illos numquam fuisse baptizatos. Quod si dubitare non licet de baptismo Mariae et Apostolorum etiamsi baptizatos esse non constet, praeterquam si illos omnes baptismi contemptores faciamus, neque de infantium baptismo dubitandum sane erit sub Apostolorum temporibus etiamsi non constet fuisse baptizatos, nisi ipsorum parentes aut negligentiae aut certe eiusdem contemptus etiam omnes damnemus. Nam quod de differendo in adultam aetatem baptismo adferunt, id nusquam in scripturis habetur. Et si quid eiusmodi Apostoli statuissent ex Christi Domini doctrina sive praescripto exstaret proculdubio aliquod eius rei testimonium, quemadmodum de sublata circumcisione testimonium habemus, praesertim cum dubium esse non possit, iudaeos, qui ne baptizatos quidem a circumcisione liberos esse volebant, multo minus id laturos fuisse, si pueri illorum neque baptizarentur neque circumciderentur, et perinde huius quoque rei aliquod haud dubie testimonium haberemus. Quae vero de ordine docendi, credendi ac demum baptizandi doceant ex ultimo Matthaei capite, ea iam ex eodem ipso loco refutavimus, et adeo nihil ad infantes pertinent, ut ne in adultis quidem omnibus sint olim sub ipsis etiam Apostolis observata. Iam veterum testimoniis nihil aliud efficiunt, quam adultos olim sub fidei initiis fuisse baptizatos, nempe

eos, qui in aetate iam grandiore ad fidem Christianam convortebantur. At id quoquo in Actis Apostolicis habemus multis locis et in Apostolicis item epistolis, — interim tamen de dilato in adultam aetatem baptismo nihil hinc doceri potest. Quemadmodum si quis nunc sparso inter Turcas Euangelii semine doceret, plurimos adultos illic baptizari, is sano vera scriberet, sed interim pueros a baptismo non excluderet, etiamsi nullam illorum faceret mentionem, praesertim cum nos clarissimis Origenis, Cypriani et Augustini testimoniis infantes a tempore Apostolorum baptizari solitos sciamus, ne quid dicam interim de baptizatis ab Apostolis domibus et familiis totis, de quibus etsi multa argutentur adversarii, numquam tamen docere poterunt probabilius esse in diversis familiis nullos infantes fuisse, quam aliquos fuisse, quemadmodum nos putamus. Et si fuerunt, certum est esse baptizatos, totas enim domos baptizatas sine exceptione esse scriptura testatur. Non est igitur quod de subverso paedobaptismo nostro adversarii glorientur. In quo tuendo atque etiam observando ostendimus nos aliud nihil sequi, quam ipsiusmet Optimi Maximi Dei doctrinam et voluntatem, adversus quam nihil unquam poterunt non adversariorum modo argutiae aut conatus, sed ne ipsae quidem Tartari portae, etiamsi nunc os suum si unquam alias maxime expandisse videantur. Res ipsa coegit me longiorem hic esse quam volebam, sed in tanta opinionum ac iudiciorum apud nos (veritate *sic in M. S.*) varietate confirmari doctrinam nostram oportebat atque ita eam paedobaptismi nostri causam tractari, ut omnes intelligant vana esse, quae hic nobis ab adversariis nostris obiiciuntur, quae illi tamen pro oraculis omnia haberi volunt, et nos illorum, si Deo placet, nomine idololatriae condemnant indignosque iudicant quos in Ecclesia Christi numerent, Papam nimirum in hoc imitati, egregium religionis iudicem ac doctorem, qui quos (nos *in M. S.*) verbi divini testimoniis convinci non posse videt, eos iniquissimis praeiudiciis capitis condemnat, priusquam ad iudicium admittat. Nos Deum precamur ut scismata in Ecclesia sua verbi sui glutino consolidare dignetur, praecamur et adversarios nostros, ut se Dei potius, qui pacis autor est, ministros exhibeant in componendis Ecclesiae controversiis, quam illius qui aliud non agit, quam ut dissipet ac perdat mundumque dissidiis ac tumultibus expleat. Extremo nunc conatu rem suam agit Sathan, sentit enim non procul iam fortiorem illum abesse, qui se regno hoc mundi huius eiiciat. Proinde quo magis ille turbare conatur omnia, hoc magis nos etiam Deum precari debemus, ut nos in una fide doctrina et societate retineat, et qui unicum regni (48) in nobis sui sceptrum agnoscimus, nempe sacrosanctum Iesu Christi Domini ac regis nostri Euangelium, idem omnes in illo etiam sentiamus, illi nos omnes de-

positis affectibus nostris vero et ex animo subiiciamus, neque nos in nobis amplius, sed illud potius et in animis et in omnibus nostris actionibus regnare pro nostra virili declaremus. Ita fiet enim ut baptismo nostro vere respondeamus, quem vita nostra exprimere magis oportet, quam de illius momentis ac temporibus digladiare. Nunc ad Coenae Dominicae sacramentum veniamus.

§ 19. *De Coena Domini.*

De Coena Domini multi multa tradidere, neque hic minus operae posuit Sathan in profananda vere divina hac Christi Domini institutione, quam in depravando baptismi usu et significatione. Imo vero dolos suos hic omnes potissimum exeruit tantumque suorum opera demum effecit, ut quod omnium firmissimum omniumque maxime consolatorium salutis nostrae testimonium ac pignus propemodum esse debebat, id ille in nefandissimae abominationis mysterium verterit, quodque omnium efficacissimum pietatis alendaeque inter nos charitatis mutuae incitamentum apud suos esse Dominus ipse volebat, id ille fecerit iam odiorum ac dissidiorum seminarium, etiam inter eos qui praecipua illustrandi Euangelii lumina nostro hoc seculo fuerunt. Quare si usquam cavendum est, hic maxime cavendum est ne quid doceamus praeter id, quod liquido constet claris ac dilucidis scripturae testimoniis ad Christi Domini institutionem proprie pertinere. Non libet hoc loco excutere aliorum hac de re sententias, sed nostras tamen Ecclesias monendas puto, ne quidquam peregrinum facile hic admittant, quod verbo Dei perspicue doceri non possit. Sacrosanctum est, quod hic Christus Dominus instituit et perinde summa etiam religione summaque observantia tractari a nobis debet, nempe ea quam nobis a Paulo propositam habemus, h. e., ut quod solum accepimus, id duntaxat etiam tradamus. Quorsum enim attinet ea sacramento huic attexere, quae ad sacramenta nihil pertinent, imo vero invertunt etiam usum omnem et naturam ipsam sacramentorum? Qui coenae symbola extra illius usum in sublime attolli atque ita demum adorari volunt, doceant vel in usu sacramentorum hoc requiri, ut eorum symbola ad hunc modum adorationi exponantur vel Christum Dominum ideo coenam suam instituisse, ut eius symbola loco suo adorentur. Id si docere non possunt, tradere sane non debebant, quod non ex ore Domini acceperunt, praesertim cum exstet mandatum clarissimum: Non addes quidquam neo minues. Rursus qui physicam quandam ac localem, ut vocant, corporis et sanguinis Christi praesentiam symbolis coenae includere seu connectere nituntur, doceant Christum hac fini coenam suam instituisse, ut

in ea corpus et sanguis ipsius pani et vino naturaliter ac realiter connectantur atque adeo etiam includantur. Id si docebant, libenter hic nos traderemus aut a nostra societate excluderemus omneis, qui a nobis hac duntaxat in parte dissentirent. Sin minus, cur hic quod non accepimus, traderemus aut a nostra societate excluderemus omneis, qui a nobis hac duntaxat in parte dissentirent? Certe cum ex coenae verbis doceri id certo non possit (quemadmodum mox apparebit) et nihil praeterea in scripturis exstet, quod ad doctrinae huius confirmationem quoquomodo faciat, nos magnum in illa momentum ponendum non esse putamus, praesertim cum et multa dissidia in Ecclesia pepererit hactenus et causam Euangelii apud illius adversarios gravissime infamarit. Mitto hic corporis et sanguinis Christi immensam illam πανταχουσίαν, qua non tollitur solum discrimen omne escae spiritualis a reliquo ciborum genere, sed ipsa etiam veri in Christo hominis ratio aboletur. Mitto prodigiosam imaginationem ac transsubstantiationem, omnis papisticae idololatriae parentem. Mitto et abominationem illam translati ad symbola haec propitiatorii sacrificii atque ad vivos demum pariter ac mortuos quaestus gratiâ applicati. Haec omnia non aliunde nobis orta sunt, quam quod plerique aliud sibi quidvis in hac coenae dominicae causa, quam Domini ipsius institutionem eiusque finem praecipuum intuendum esse putarunt. (49) Nos igitur coenam Domini non aliunde metiemur, quam ab eo fine potissimum, ad quem proprie institutam esse ipsius Domini verba testantur, ac defixis in illum oculis, id tantum coenae tribuemus, quod ad eum ipsum finem ad quem proprie instituta est citra controversiam pertinebit. Testatur autem Dominus ipse verbis minime obscuris, quam ob causam potissimum coenam hanc suam instituerit, nempe ut esset sui apud nos reminiscentia sive recordatio. „Hoc facite" inquit „in mei recordationem". Idem porro testatur et Paulus repetens magistri sui verba et addit cam ipsam Christi in coena sua reminiscentiam constare potissimum mortis sui consideratione. Vocat enim coenam mortis dominicae καταγγελίαν, cuius nos alioqui admonerent etiam sumpta separatim corporis et sanguinis symbola. Neque vero haec Christi Domini reminiscentia aut mortis illius rememoratio consistit in historica duntaxat mortis suae recordatione, sed in meriti potius ac virtutis illius pia diligenti et minime ociosa reputatione, nempe nostrum esse iam id totum quod ipse in carne nostra, tradito videlicet in mortem corpore effusoque item sanguine suo, nobis promeruisset, quandoquidem is pro nobis pertulit, quidquid omnino pertulit, et quemadmodum iniquitates nostras omnes in se recepit per naturae nostrae participationem, ita suorum vicissim omnium communionem nobis donavit in corporis et sanguinis μετουσίᾳ,

in qua nostra omnia, ut fidelis pontifex, expiasset. Ad hanc talem mortis dominicae recordationem Paulus Coenam Domini institutam esse docet, dum eam illius καταγγελίαν esse testatur, h. e., renuntiationem sive rememorationem, et communionem praeterea corporis ac sanguinis Christi appellat. Neque alio respexit ipsemet Dominus noster, dum coenam hanc suam nobis sub mysteriorum ipsorum, h. e., corporis et sanguinis sui nomine commendaret. Ex quibus omnibus perspicuum est, eum esse praecipuum coenae dominicae finem, ut sit mortis dominicae inter nos eiusmodi rememoratio, quae plenam meriti ac virtutis illius communionem in animis nostris efficaciter contestetur. Iam quemadmodum in aliorum sacramentorum usu obsignari dicimus animos nostros in fide mysteriorum quae per posita nobis ob oculos visibilia illorum symbola designantur, ita et coenam sigillum esse docemus communionis corporis et sanguinis Christi, Paulum in hac parte secuti, qui circumcisionem, ut saepe iam dictum est, sigillum iustitiae fidei vocat. Inde vero apparet etiam quodnam sit summum Coenae Dominicae mysterium ab eo ipso fine deductum, nempe una atque eadem nostrum omnium qui de pane illo edimus certa et indubitata cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius μετουσία, id quod ex apertissimis Pauli verbis facile apparet, dum nos, qui de pane hoc edimus, unum Christi Domini corpus omneis, non equidem fieri (quasi non et antea essemus), sed esse iam docet: Quoniam, inquit, unum corpus, nempe Christi, sumus omneis qui praesertim de eodem pane participamus. Quin et Christus Dominus diserte nobis exponit nostram hanc secum μετουσίαν: Qui edit, inquit, carnem meam et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. Quid autem vel ad fidem nostram in animis nostris obfirmandam, vel ad conscientiae nostrae consolationem gravius atque efficacius haberi potest, quam animos nostros subinde in ea nostra cum Christo Domino μετουσίᾳ obsignari iuxta ipsius institutionem, in qua certi alioqui sumus, nos in illo illumque in nobis ita vicissim esse, ut neque nos sine illo damnandi quoquomodo iam simus, neque ille sine nobis regnare etiam velit. Huic porro tali carnis suae et sanguinis sui alimoniae, cum certam vitae aeternae promissionem a Domino ipso additam habeamus, sine ulla vel corporalis praesentiae, vel ubiqueitatis, vel etiam transformationis mentione, et sciamus item nihil horum novisse veterem Ecclesiam, quae tamen eandem ipsam nobiscum escam spiritualem, nempe Christi Domini carnem, in vitam edebat aeternam, quemadmodum Paulus docet, — non magnum nos in illis etiam momentum in coenae dominicae consideratione ponendum esse putamus, praesertim cum non ita multum attinet urgere id in manducationis obsignatione, quod in manducatione ipsa praetermissum,

ne dicam impugnatum esse a Domino ipso videmus. Decertent pro istis qui volent, nos id solum Ecclesiis nostris tradimus, quod ex ore Domini habemus, et ad salutarem carnis suae manducationem necessarium esse scimus. Qui in coenae symbolis corpus et sanguinem Christi realiter ut vocant contineri docent atque etiam distribui, hi et pronomen demonstrativum τοῦτο et *corporis* nomen substantive accipi volunt pro panis et corporis substantia, et in paulina item interpretatione *communionem* active pro *distributione* exponendam esse putant. Sed Paulus diserte docet pronomen (50) τοῦτο non ad substantiam sed ad fractionem panis, h. e., ad ipsam coenae actionem referri potius oportere, non enim alium quam fractum panem, h. e., in cibum iam exhibitum, vocat communionem corporis Christi, et eundem fractum panem mox mensam Domini appellat, ut facile appareat non de substantia sed de fractione panis, h. e., de ipsa coenae actione loquutum esse, dum docet, panem esse corporis Christi communionem. Corporis item nomen non pro substantia corporis accipit Paulus, sed pro corporis communione, h. e. participatione, idque iuxta sacramenti rationem, h. e., pro communionis obsignatione, quemadmodum et circumcisio foedus dicitur, baptismus peccatorum ablutio, agnus paschalis Phasae, cum tamen proprie sint σφραγῖδες horum omnium. Iam et communio apud Paulum active exponi non potest pro corporis dominici distributione sive porrectione, neque enim docet Paulus symbolorum in coena porrectione hoc effici, ut corpori Christi tum primum participemus, quasi non antea membra ipsius fuissemus. Imo vero docet corporis Christi communionem exstitisse in veteri Ecclesia priusquam etiam Christus Dominus carnem ullam haberet, et expresse addit, nos *esse* iam, non autem *fieri* corpus Christi, qui praesertim de illius pane participamus. Quid! quod ipsa Pauli eo loco argumentatio non patitur, ut communionem active ullo prorsus modo exponamus. Sed nos hic apologiam non scribimus, tantum (tamen *in m. s.*) nostros admonemus paucis, nihil effici his, quae ad confirmandam realem cum symbolis in Coena Domini unionem ex coenae verbis et hoc Pauli loco adferuntur. Igitur τὸ σφραγιστικὸν coenae dominicae est nostra cum Christo Domino in corpore et sanguine suo, ab ipso usque mundi initio nobis per promissionem porrecto, μετουσία. Ab hoc fine dependent omnes alii fines aliaque mysteria quae παραινετικά vocamus, et petuntur vel ex iis quae ipsa communionis nostrae cum Christo ratio a nobis exposcit, vel e symbolorum allegoriis, non temere alioqui a Domino coenae ipsi additis. Quid autem communionis huius nostrae ratio a nobis exposcat, id nos totum uno verbo Ioannes docet, nempe ut Christum Dominum, cui insiti sumus, tota vita nostra, quantum maxime possumus, exprimamus. Qui dicit se

in Christo manere, inquit, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. Hinc facile colligi possunt reliqui coenae dominicae fines, nempe pietas, dilectio mutua et verbi divini obedientia. In his enim vult Dominus ipse, ut sua sequamur vestigia si ad se volumus etiam quoquomodo pertinere. Peccant igitur adversus coenae dominicae dignitatem, imo vero adversus ipsum corpus Christi Domini, qui illius communionem dedecorant, dum hos fines in coenae usu non pro eo ac aequum est, observant. Peccant item qui tales in coenae contumeliam scientes ac volentes ad usum illius admittunt. Eorumdem porro nos admonent etiam symbolorum allegoriae. Quemadmodum enim panis confici non potest nisi collectis in unum multis granis, neque vinum item, nisi e multis botryonibus, ita docemur nostri officii esse, ut qui de eodem pane edimus, unius nos panis grana in unum collecta atque unius corporis membra esse per mutuam invicem dilectionem declaremus. Docemur item satis non esse, ut nos humano quodam affectu mutuo diligamus. Quemadmodum enim in pane conficiendo satis non est, grana multa in unum quocunque modo collegisse, sed poni sub mola adeoque et conteri oportet omnia, si bonus panis esse debeat, ita in nobis conteri oportere etiam omnes carnis nostrae affectus per verbi divini molam, ut in illo solo nos mutuum amemus et extra illud nullam omnino societatem agnoscamus. Admonemur praeterea quantopere nos mutuo amare simul ita collecti debeamus. Neque enim satis est si panis fieri debeat, ut collecta in unum grana sub mola conterantur, sed quae comminuta sunt in pastam redigi addita aqua oportet, ita et nos statuere debemus nostrum esse, ut in unum collecti coenae dominicae testimonio depositisque affectibus nostris omnibus in unam partem omnes etiam per Spiritum sanctum ita in verbi divini obedientia coadunemur, ut ab invicem discerni deinceps dissiparique non possimus et ad omnes simul etiam pertinere omnino cogitamus, quidquid vel ad minimum quemque nostrum pertinet, quicunque nos coenae usu unius corporis membra esse profitemur. Adhaec quemadmodum igni torreri pastam oportet ut panis fiat, ita et nos intelligere debemus sine afflictionibus hic nos vivere non posse, dum unius cum Domino panis esse studemus, et perinde nos debere animos nostros ad omnem patientiam praeparare, ut nos hic mundi huius afflictionibus torreri patiamur, si ita Dominus velit, ad illius nominis gloriam et Ecclesiae suae aedificationem. Postremo illud quoque symbolorum in coena allegoria monemur, ut, quemadmodum mundus panis haberi non potest (51), nisi crassi furfures omnes a reliqua farina secernantur, ita et nos crassos furfures nostros a nobis secernamus, qui massam totam sua impuritate labefactant, si mundum Domini panem exhibere nos in illius coena volumus et corporis

Christi dignitatem observare. Est nempe gravissima Pauli sententia, qua docet non minus dignos esse morte qui malefactis assentiuntur, quam qui illa perpetrant, et fateri cogimur nos assentiri vitiis, quae non reprehendimus aut aversamur, in ea praesertim actione, in qua mutuam nostrum omnium societatem publice contestamur. Horum omnium nos admonent symbolorum in coena mysteria, si illa nobiscum digne reputemus, et reputare sane debemus, si rei esse nolimus corporis et sanguinis Christi. Iam si coenam Domini ex his finibus ac mysteriis aestimare velimus, atque in his omnibus Christi Domini beneficium simpliciter intueri, facile sane et quidnam sit coena ipsa et quid recte observata adferat intelligemus. Utque eius diffinitionem aliquam habeamus: Coena Domini est Christi institutio, qua ille nostram secum in corpore et sanguine suo communionem sive μετουσίαν sub panis et vini sumptione in Ecclesia sua obsignari vult, donec veniat. Estque praeterea παραίνεμα sive monumentum quoddam dilectionis mutuae, abnegationis nostri, consensus unanimis in retinenda verbi divini obedientia et praeparandorum ad patientiam animorum nostrorum propter Christi gloriam et Ecclesiae aedificationem. Quo id etiam admonemur ut a nobis secernamus omneis, a quibus publice offendi Ecclesiam maleque audire scimus. Habet autem haec Christi institutio suum mandatum *hoc facite*, ut intelligamus illam a Christi Ecclesia, quae pastoris sui vocem libenter audit et sequitur, praetermitti neque posse neque etiam debere, — imo vero certi simus illic haud dubie esse Ecclesiam Christi, ubi legitimum illius usum exstare videmus ac rursum frustra praetexi Ecclesiae nomen, ubi vel abolitus sit illius usus vel destinato consilio adulteratus. Sed et ipsa coenae ceremonia, si illam propius intueamur, talis est, ut nos ad frequentem sui actionem allicere merito deberet, etiamsi nullum de illa mandatum exstaret. Ita enim nobis ob oculos ponit totius nostrae salutis modum atque rationem, ut eam non animo solum complecti, sed ipsis etiam oculis cernere quodammodo possimus. Sunt qui sibi nimium metuant a Dei iustitia, quod huius officium sit condemnare peccatum: itaque etsi spem quandam salutis suae ponunt in Dei misericordia, per iustitiam tamen se damnandos putant. Adversus istiusmodi imaginationes clarissimum nobis documentum adfert coenae, ut est a Domino instituta, caeremonia, nempe nos nihilo prorsus secius per ipsam Dei iustitiam quam per misericordiam servari. Misericordiae erat, quod Deus Pater unigenitum filium suum carne infirmitatis nostrae induerit, ut ille vicissim omnem suam iuxta carnem innocentiam, omne meritum et omnem, quam a Patre accepisset, gloriam nobis impertiret. Sed iustitiae opus est, non amplius id ad condemnationem imputare, quod semel et quidem abunde expiatum esset.

Est enim iustitiae unicuique quod suum reddere, quae sane donatam nobis a Christo meriti victoriae ac gloriae suae communionem adimere nobis non potest, praeterquam si nos ipsi illam destinata voluntate nostra contemnamus et quod nostrum est pro nostro haberi nolumus. Oblato igitur in coena separatim mystico pane illo, qui corporis Christi communionem in nobis obsignat, proponitur oculis nostris opus divinae misericordiae, qua factum est ut filius Dei idem nobiscum ficret, ut nos idem cum illo vicissim esse possimus, cui quidem henadi nos salutem nostram omnem debemus. Oblato vero separatim etiam poculo, quo omnis meriti et gloriae per sanguinem Christi promeritae communio in nobis visibiliter obsignatur, proponitur nobis ad eundem modum proprium divinae iustitiae opus, qua factum est, ut in carne nostre persolvi expiarique id oporteret, quod nostrae carni in poenam constitutum erat, per eum qui id solus praestare poterat, Emmanuel Christus, fitque iam, ut quod semel persolutum est, non amplius a nobis exigi, quodque semel expiatum est, non amplius etiam in nobis condemnari possit. Testatur ergo nobis ipsa coenae Domini caeremonia, haud secus Dei iustitia nos quam ipsa misericordia servari, neque haberi potest maior ulla certiorque de salute nostra consolatio, quam dum perspicimus ipsam etiam Dei iustitiam, omnium alioqui peccatorum iudicem, adiumento nobis esse ad salutem, atque adeo hac potissimum effici, ut damnari amplius nullo modo possimus, praeterquam si nos a salute contemptu nostro voluntario (52) ipsimet excludamur. Quo magis mirum est exstitisse eos, qui sacrosanctam hanc Christi institutionem violarint surrepto illi poculi usu, ac demum etiam idolum ex illa fecerint, quo ad quaestum deinde suum turpissime abuterentur. Sed et nos pudere deberet, quod tanta mysteria et tam raro et tam negligenter tractemus, multo magis autem eos, qui circa illa λογομαχίας quasdam straunt, quae praeterquam quod nihil ad pietatem faciunt, perturbant etiam ac scindunt Ecclesiarum societatem. Plus satis est dissidiorum etiamsi hic non rixemur, et praestaret sub his nunc mundi insanientis furiis dissidiorum seminaria tolli modis omnibus quam seri, id, quod equidem hac ratione omnium tutissime faciemus, si omnem nostram doctrinam intra eos fines contineamus, intra quos illam Spiritus Sanctus per os Apostolorum conclusit. Neque enim errare poterimus si hic consistamus, et nemo erit omnium, quibus modo credi (*sic!*) sit vera religio qui consilium hoc nostrum improbare possit. Proinde et nos de coena Domini aliud docere nolumus, quam quae ad naturam sacramentorum proprie pertinere et citra omnem controversiam e scripturis doceri posse scimus. Interim vero damnamus sacramentarios qui sacramenta nuda signa et humanae duntaxat societatis symbola appellant et

proinde indifferentia quoque esse docent. Quemadmodum enim magnum est discrimen inter sigilla principum quae diplomatis illorum appendi solent et inter eadem ipsorum signa nuda quae in fenestris aut parietibus depinguntur — illa enim principum donationes obsignant certaque nos reddunt de principum voluntate et in ea praeterea existimatione habentur, ut illa vel praeter mandatum principis vel alieno alicui diplomati applicasse, crimen sit laesae principis ipsius maiestatis, multo magis autem si quis ea vel contemueret vel violaret: haec vero et statui quocunque loco et deponi rursum sine principis contumelia possunt neque ullam dant voluntatis praeterea principis significationem, — ita nos sacramentis cum Paulo tribuimus omnia quae sunt sigillorum propria atque a nudis illa signis quantum possumus discernimus, et, quemadmodum item magni se facere testantur principum beneficium omnes, qui donationes illorum sigillis communitas summa cura studio ac sollicitudine adservant, ita nos legitimum sacramentorum usum, quae divinae erga nos voluntatis sigilla esse putamus, utilem ac necessarium esse ad commendandum nobis assidue Christi Domini in nos beneficium putamus, et omnes qui illa negligunt violant et contemnunt pro Dei ipsius et Christi Domini contemptoribus habendos esse censemus.

§ 20. *Epilogus de nostri cognitione iuxta doctrinam promissionum.*

Iam si unde primum de sacramentis dicere orsi sumus, eo rursum redire, h. e., ad vim divinarum in nobis promissionum, atque ex iis nos metiri etiam volumus, non equidem amplius nos in nobis, sed Christum ipsum in nobis et nos in Christo vicissim agnoscemus. Si illi insiti vere sumus, si corpori et sanguini eius vere communicamus neque nos sine illo iam damnabimur haud dubie, neque ille sine nobis regnare etiam potest. Qui igitur servi peccati eramus ad mortem nunc regale Dei in Christo sacerdotium sumus, — qui natura mortis ac irae filii eramus, nunc per Christum sumus filii Dei, — qui nihil aliud eramus quam Sathanae mancipia quaedam, nunc conculcata per Christum Sathanae tyrannide, regni coelestis haereditatem sub spe certissima possidemus. Breviter quidquid Christi est, nostrum est et rursum illius sunt etiam, non autem nostra amplius, mala omnia quaecunque per infirmitatem nostram patramus. Si haec puuienda sunt, in illo iam punienda erunt, qui ea omnia a nobis translata in se recepit, et ita recepit, ut non sit ea rursus in nos reiecturus unquam, si tantum illius beneficium fide apprehendamus. Imo hic se quoque nobis attemperat divina misericordia. In ipsa etiam fide infirmitatem nostram condonat proque fidelibus reputat eos, qui credere

nondum possunt, vultque illos institiae signaculis communiri. In summa nullum infirmitatis genus (53) excipit, qui illam semel in se receptam ultro totam perfert, sed eos solos non agnoscit qui solo contemptu sese ab ipso excludunt. Est igitur nostri imago iuxta promissionum doctrinam, nos filios Dei esse, qui irae ac mortis filii eramus, esse regni coelesti haeredes, qui sub peccatum conclusi, servi Sathanae eramus, breviter esse id quod Christus est, si illi credimus, quandoquidem ille esse voluit, quod nos sumus, ut illi credamus perque illum servemur. Deus, Pater omnipotens, qui nos in eam filii sui imaginem iuxta copiosam suam misericordiam regenuit, addat nobis Spiritum suum Sanctum ut nos in hac ipsa imagine firmos ac stabiles per fidem retineat efficiatque ut illam vita etiam nostra pro infirmitate nostra exprimamus ad Ecclesiae suae aedificationem.

Hactenus de doctrina Ecclesiis nostris tradenda egimus, quae circa Dei simul ac nostri cognitione versatur, ut certus illius scopus aliquis haberi possit et sit etiam unde petatur omnis doctrinae nostrae ratio, in qua praesertim non opium aut fortunarum, non vitae huius mox periturae, sed aut salutis aut damnationis aeternae ratio ac summa tota versatur. Egimus autem ea fide, quam nos non equidem hominibus (pro minimo enim nobis est iudicari ab humano die), sed inevitabili olim omnium hominum ac doctorum iudici approbaturos esse minime dubitamus. Interim tamen iudicio Christi Ecclesiarum submittimus omnia, parati ex animo assentiri semper omnibus, qui ex verbo Dei docuerint meliora. Imo vero hoc nomine gratias quoque illis agemus. Neque enim aliud quaerimus quam ut Christi nomen ac gloria indies magis ac magis sive per nos sive per alios quoscunque in eius Ecclesia propagetur. Illum enim oportet crescere, nos autem minui. Illi laus et imperium cum Patre et Sancto Spiritu in saecula saeculorum. Amen.

Sequitur in eodem M. S. Regiomontano epistola, qua uberius suam de coena mentem explicuit, hoc ornata titulo:

(55) *Epistola ad amicum quemdam doctum scripta dum aegrotarem de verbis Coenae Domini, ut vocant, qui nostram de Coena doctrinam ex Patrum et Conciliorum autoritate impugnare, amice tamen, conabatur.*

Dabis mihi veniam, vir doctissime! quod ad tuam Epistolam serius forte respondeam. In causa est valetudo mea, quae etiamnum eius-

modi est adhuc, ut me non patiatur nisi ex intervallis quidquam agere, nedum ad te pro eo ac vellem scribare quoquomodo possim. Et tamen facere amplius nolui, quin tibi utcumqna tandem responderem, quod equidem malui, quam te in iis quae ad ma scripsisti nimium diu suspensum tenere. Tu vero cogitabis mea haec ab homine aegroto ad te amice et confidenter scripta esse et valetudini meae si qua in parte tibi non satisfecero imputabis. Primnm igitur quod ad amicitiam nostram attiuet, ego non minus do tua mihi gratulor, neque minoris illam equidem facio, qnam tu meam te facere deque illa gratulari tibi scribis. Non est amor ullus vel arctior vel sincerior, vel magis diuturnns etiam, quam qui ex divinorum in nobis donorum consideratione oritur. Is enim eum non tam hominem ipsum in homine, quam Deum potius intuetur, nullis equidem humanis casibus nnllaque rerum vicissitudina dissolvi unquam potest, atque adeo hoc magis augetur etiam, quo maiorem in nobis mutuo donorum indies accessionem agnoscit, id quod sana vateres non obscure nobis, posito inter terrenam ut nosti et coelestem venerem discrimine, designarunt. Sic ego te amare coepi propter singularia Dei in te dona, h. e., linguarum et discipliuarum cognitionem, et nunc multo magis amo, posteaquam dona haec tua conferre te vella video ad ornandam autoris illorum gloriam, nempe Dei. Est sana hoc Christiani cuiusque hominis officium. Hac fini enim nos ab ignorantiae tenebris ad lucis cognitionem evocatos esse docet Petrus, ut in enarrandis donis Dei illius gloriae sarviamus. Sed ut nihil est hoc conatu pulchrius, nihil decentius, nibil magis Christianum, ita nihil quoqua difficilius et magis arduum. Nosti illud χαλεπὰ τὰ καλά. Quare praesenti hic si usquam alias animo opus est, idqua eo magis quo plures intra extraque nos habemus, qui nos in cursu hoc longe pulcherrimo partim remorentur, partim vero in devia qnaedam abripere modis omnibus conentur. Cavera igitur ante omnia debemus, ne aut distineri hic nos, aut transverse item a via regia quaquaversum agi patiamur. Alia parantur industria labore usu, caeterum haec sacra, quod dicitur, longe aliter constant. Non hic pendet res ab acumine ingenii, non a dexteritate iudicii, non a laboris sedulitate. Habent haec quidem suum pondus ac locum, sunt enim dona Dei, sed sunt veluti secundariae quaedam operae quae pietati cedant necesse est, quam graeci θεοσέβειαν vocant. Haec una est, quae in hoc cursu nostro principem semper locum obtinere apud nos debet, et quam nisi intra nos ipsi in cordis nostri penetralibus sentiamus, nihil hic agimus prorsus, etiamsi nobis multa agere videamur. Nosti autem eum esse proprium veraa pietatis scopum, ut redacto in captivitatem omni rationis nostrae iudicio sub verbi divini obedientiam, atque abnegatis praeterea affec-

tibus nostris omnibus, Christum solum, unicum doctorem, regem ac pontificem nostrum aeternum intueamur et sequamur, illumque solum omnium nostrarum actionum et omnium item consiliorum modum, mensuram ac scopum, ut Platonis verbi utar, statuamus. Hoc si spectemus facile mox intelligemus peccare eos, qui vel suam ipsorum laudem vel applausum quemdam popularem in sacris studiis quaerunt potius, quam Dei gloriam. Peccare item qui humana divinis aequare conantur, sed non minus, ne dicamus gravius, peccare eos, qui Spiritus Sancti virtutem per homines sese exerentem, non contemnunt solum, sed maledictis etiam incessunt, si parum modo a receptis vulgo dogmatis, scripturae autoritate moti, dissentire quoquomodo videantur. Hi namque omnes ab eo longe adhuc abesse existimandi sunt, ut consilii sui modum, mensuram ac scopum Deum ipsum statuant, sed affectibus suis indulgent potius, quos tamen intra nos prorsus comprimamus necesse est, si solidum aliquem e sacris studiis fructum reportare velimus, ut interim taceam, nostrum non esse Spiritum Sanctum in restituenda Euangelii sui luce, quam multis alioqui annis per Pharisaeorum tyrannidem adulteratam esse videmus, velle ita palmo quodammodo nostro concludere, ut revelari aliis non posse credamus, quod nobis nondum revelatum esset. Perinde ego institutum illorum probare (56) numquam potui, qui vel divina ex humanis metienda ac scripturae autoritatem e Patrum aut Conciliorum numero ac concordia aestimandam esse putarent vel propter controversa rursum dogmata quaedam pios alioqui scripturae interpretes, tum veteres tum novos damnent illico et conviciis proscindant. Si nos homines esse fatemur intelligimus omnes commune id nobis omnibus esse, ut et fallamur et erremus, et proinde neque a summis quibusque patribus alienum id esse cogitabimus, neque protinus item damnabimus omneis, quos alicubi lapsos esse videmus, sed scopum nostrum semper intuebimur Deum ipsum, qui se nobis in filii sui doctrina, propheticis et Apostolicis litteris nobis prodita, patefecit. Hae qui sua confirmant dogmata atque ex ea aestimari illa volunt, Christum Dominum in illis intuebimur et sequemur, sive veteres sint, sive novi, sive item pro nobis, sive contra nos faciant. Ceterum qui scopo hoc neglecto sua urgent ac pro divinis haberi volunt, in his quum Christum Dominum scopum nostrum videre non possumus, mirum videri non debet, si illos, quatenus hoc faciunt, non audiamus, etiamsi eruditione, eloquentia ac nominis celebritate alios omneis antecellant. Itidem et de voce Ecclesiae sentimus. Habet haec semper errata sua, quae sibi indies remitti postulat, habet et zyzania inter triticum suppululantia, et sunt qui illius titulum tyrannidi suae impudentissime praetexunt. Quare hic quoque a scopo nostro recedere non debemus, sed memoria fir-

miter impressam habebimus doctrinam Christi qui nullam Ecclesiam pro sua agnoscit, nisi quae ipsius vocem coram audiat, neque aliter ullius Ecclesiae assensum sequemur, nisi quatenus verbo Dei nitatur, ut scopum in illa nostrum intueri semper possimus. Ita plane affectos esse oportet omneis, vir ornatissime! qui in sacrarum litterarum adytis cum fructu versari volunt. Ad unum enim proprie pertinere vox illa coelestis „hunc audite," nempe Christum, extra quem locum habere nullum apud nos neque debet neque potest vox Pythagoreorum illa αὐτὸς ἔφα. Ad eundem porro modum in proposito per te nobis de Christi corpore argumento, eos potissimum nos sequimur, in quibus Christum Dominum in verbo suo lucere videmus. Qui nobis transsubstantiationem aut corporalem praesentiam in pane e Patribus et Conciliis approbare conantur ac Ecclesiae quoque antoritatem illi praetexunt, in his scopum nostrum videre nondum possumus et proinde illis non assentimur etiam. Qui autem scripturis illam confirmant, parum eos attentos fuisse, hac quidem in parte, putamus in locorum quos urgent interpretatione, id quod mox perspicue satis ostendemus, non quidem ut nomen cuiusquam perstringamus, sed ut doctrinae nostrae veritatem citra cuiusquam contumeliam comprobemus. Atque o veterum sane monumentis controversia nostra non ita facile discuti potest, tum quod de asserenda impugnandave corporali hac praesentia non magnopere sollicíti fuisse videntur, tum quod non semper scripturis confirmant sua, quae eadem facilitate et reiici et recipi possunt, quemadmodum alicubi ipse Lutherus docet et ipsimet non semper constant sibi, sed dum se auditorum affectibus accomodant, nonnumquam secum ipsi pugnant, atque in eo potissimum corporalis praesentiae argumento ita subinde variant in verbis suis, ut alicubi vestram, alicubi vero nostram sententiam sequi videri possint. Nolo nunc collectis per te veterum testimoniis veteres rursum atque adeo illos ipsos quos tu citas opponere. Non libenter enim deflexis a proprio scopo nostro oculis alia mihi praesidia quaero. Sed quoniam Chrysostomum dicebam nobiscum alicubi sentire, et tu te in illo id reperire non posse scribis, proferam tibi unum atque alterum ipsius locum, non ut illius antoritate doctrinam nostram stabiliam (firmiore enim fundamento nitimur) sed ut intelligas nos non temere a partibus nostris illum in colloquio nostro statuisse. Primum igitur in ea ipsa, quam tu quoque citas 83ª in Mattheum homilia, in ipso mox initio Iudam mysteriis ineffabilibus, non autem corpori ipsi aut sanguini Christi, communicasse docet, et postea semper coenam ipsam mysterium vocat, ut ostendat diversa esse, quae in coena sensibilia exhibentur ab iis, quae postea νοητά appellat. Ad extremum autem ubi nos monet, ne in iis quae sensus aut ratio nobis suggerunt solis

haereamus, sed in rebus sensibilibus sublimiora etiam, verbo Dei instructi, semper intueamur, magisque verbo quam sensibus fidamus, ibi demum explicat qualia nobis dona in rebus sensibilibus tradiderit Dominus noster, tam in coena sua, quam in baptismo. Et quum latinus interpres non prorsus meutem autoris expressit, addam (57) tibi graeca, ut tu ipse iudices. Haec igitur sic habant: *οὐδὲν γὰρ αἰσθητὸν παρέδωκεν ἡμῖν ὁ Χριςός, ἀλλ' αἰσθητὰ μὲν τὰ πράγματα, πάντα δὲ νοητά.* Ac mox baptismum cum coena ipsa confarans subdit in huno modum: *οὕτω καὶ ἐν τῷ βαπτίσματι δι' αἰσθητοῦ μὲν πράγματος γίνεται τοῦ ὕδατος τὸ δῶρον, νοητὸν δὲ τὸ ἀποτελούμενον ἡ γέννησις καὶ ἀνακαίνωσις.* Reliqua omitto, uam haec ad causam nostram sufficiunt. Si enim Chrysostomus negat nobis a Christo iu coena sensibile quidqnam datum esse, si item ad eundem modum nobis corpus Christi in coena traditur, quemadmodum in baptismo regeneratio et renovatio, id quod equidem Chrysostomus, (facta bic baptismi eum coena collatione) apertissima testatur, certe iuxta Chrysostomnm ipsum, quemadmodum aqua non est regeneratio ipsa, sed eam in mysterio designat potius et diversum est id quod est sensibile ab eo quod mente percipitur, ita et in coena panis non est substantia corporis, sed per panis esum designatur nobis in mysterio communio corporis Christi potius, quoties coenam Domini peragimus, et diversum est panis mystioi elementum ab eo quod menta percipimus, nempe a corpore Christi, cuius corporalem praesentiam meus fidalis non requirit. Alter locus est in aliis super eundem Matthaeum commentariis, qui si non sunt Chrysostomi, sunt certe hominis ita in sacris versati, ut in hac parte Chrysostomo facile conferri possit. Ego tamen qnia inter opera Chrysostomi habentur, quod illic annotavi, in Chrysostomo me annotasse putabam. Sic autem illic habetur: „Si „vasa sanctificata ad privatos usus transferra peccatum est ac peri„culum, sicut docet nos Balthazer, qui bibens in calicibus sacratis „da regno depositus est et de vita, si, inquit, haec vasa sanctificata „ad privatos usus transferre periculosum est, in qnibus *non est* verum „corpus Christi, sed mysterium corporis Christi continetur, quanto „magis vasa corporis nostri, quae sibi Deus ad habitaculum praepa„ravit, non debemus illis locum dare dyabolo agendi quod vult." Quid, obsecro, bis verbis clarius! si locum videre cupis, is est operis imperfecti in Matth. homil. XI, adnotatus ab Erasmo in Censura sua in editione Frobeniana, etiamsi id Erasmus improbara videatur. Cur vero id reprehendatur in hoc autore, quod in Basilio (Chrysostomi praeceptori) nemo hacteuus damnavit, cum tamen is aliquanto magis peregrine da coenaa symbolis iu sua liturgia sit loquutus? Qnaa enim hic mysteria voce magis apposita vocat, ea ille non Paulo

remotiore sensu ἀντίτυπα corporis et sanguinis Christi appellat. Habes igitur, vir humanissime! nos non frustra Chrysostomum in causa nostra appellasse, cuius nos tamen autoritate non nitimur, quemadmodum neque Patrum omnium, etiamsi praestantissimos illorum a partibus nostris habeamus. In ornandis enim dogmatis Ecclesiaeque commendandis Patrum autoritatem libenter amplectimur. Ceterum in statuenda doctrina aliqua veritateque illius adstruenda a scopo nostro oculos deflectere non possumus, multominus ad hominum autoritatem transferre. Quare ut omnes simul Patres omniaque Concilia contra nos facerent, nobis sola scripturae autoritas satis est ad doctrinae nostrae confirmationem, qua nos sola nitimur et omnibus nitendum esse putamus, solamque esse docemus, *quae certamina conscientiae omnia discutere ac tranquillare debeat.* At vero et vos scripturae inniti dicitis eamque a vobis stare, si simplex verborum coenae significatio retineatur, eam porro retinendam esse, cum non videatur quoquomodo opus esse, ut per tropum verba, per se alioqui dilucida, interpraetemur. Scio haec a vestris dici, sed nos initio mox negamus opus non esse ullius tropi remedio in verborum coenae interpretatione, et fatemur quidem libenter ad scripturae id dignitatem pertinere, ut illius simplicitas, quoad eius maxime fieri potest, retineatur, sed non minus id ad illius dignitatem pertinere etiam arbitramur, ne illam pugnantem secum aut quoquomodo mendacem faciamus. Quodsi nos ostenderimus ex verbis coenae simpliciter intellectis, aut ita, ut vos vultis, interpretatis, necessario scripturae repugnantiam nasci, — utri quaeso hic scripturas fidelius tractabunt, vos ne qui dam simplicem verborum sensum intueri vultis, pugnas interim in scriptura (58) manifestas seritis, etiamsi omnes vobiscum Patres ac Concilia, ut vobis id iam donemus, habeatis, an vero nos qui tropi remedio verba coenae hac duntaxat in parte mitigamus, quatenus locorum in scripturis inducant repugnantiam, siquidem iuxta vestram interpretationem accipiantur. Neque vero nos pugnas hic ullas e rationis nostrae indicio comminiscimur, sed scripturae ipsius locos proferimus, qui si autoritatem suam habere debeant, vestram de corporali praesentia interpretationum plane non admittent. Scimus autem non esse fidelis interpretis, ita unius loci verbis mordicus adhaerere velle, ut reiecta aliorum collatione ex illo solo nova dogmata statuat. Exemplum eius rei in Christo Domino et Sathana habemus, cum hic unius loci autoritatem ad Dominum fallendum modis omnibus urgeret, ille vero locorum collatione fucum et indicaret simul et refelleret. Quare nos eam potius verborum coenae interpretationem amplectimur, quae ex plurium locorum conciliatione petitur, quam quae unius duntaxat loci verbis innititur, et aliis locis pugnas serit. Negari enim hoc non

potest, si in coena Domini corporis Christi substantia inest pani, corpus illic insensibile prorsus esse, ut neque usu, neque gustu, neque tactu deprehendi possit. Deinde cum infinitis locis coena uno atque eodem tempore peragatur, oportebit sane corpus Christi esse παντότοπον, si corporalem illius praesentiam in coena qualibet statuamus. Postremo frustra queramur nos non semper nobiscum habere Christum Dominum, frustra causemur sublatum a nobis esse sponsum, frustra eum donec rursus veniat, exspectemus, si illum iuxta etiam humanitatis suae carnem nobis hic iam adesse dicamus. Ut interim taceam verba verbis in coena ipsa non respondere, si de praesentia corporali sua Dominus in coenae suae actione quidquam omnino cogitasset. Alia nunc ne sim longus omitto, sed haec qui simul consistent, obsecro, statuere corpus Christi insensibile in pane et audire; „Videte et palpate, quia spiritus carnem et ossa non habet, quae me videtis habere"? Aut Christi corpus παντότοπον facere et ab Angelo post eius resurrectionem audire „Surrexit, non est hic"? Audire item; „Me non semper habebitis"? Audire de tollendo sponso? Audire „ita, ut visus est ascendisse, nimirum visibilis, palpabilis minimeque immensus, ita quoque exspectandum suo olim tempore esse ut veniat"? Imaginari praeterea corporalem Christi totius rememorationem sive reminiscentiam? Neque has pugnas comminiscitur nostra ratio, sed loci ipsi scripturae impugnant ἀναισθησίαν, impugnant et πανταχουσίαν corporis Christi, quam statui necesse est, si vestra interpretatio retineatur, etiamsi illam omnium patrum et conciliorum autoritate fulciatis. Hic igitur utrum aequius esse putabis, intrepretatio ne vestra ut scripturae repugnanti cedat, an vero scriptura vestrae interpretationi? Nos certe scripturae credere malumus, quam nobis omni prorsus ex parte sacrosanctam habendam esse putamus, iudicareque parum appositam esse vestram hoc loco interpretationem, etiamsi illius autores plurimi interim faciamus ac pro veris Ecclesiae Christi doctoribus habeamus etiam, imo vero illis potissimum debeamus secundum homines restitutam nunc suam Euangelio lucem atque autoritatem, qui sane gravatim merito ferre non poterunt, quod hic ab eis dissentiamus, praesertim cum id non temeritate nostra ulla, sed scripturae autoritate adacti faciamus. Nec me praeterit quo glossemate pugnas istas conciliare quidam conentur, nempe ut quae de insensibili immensaque corporis Christi substantia adferunt, invisibiliter haec illi ac coelesti quodam modo tribuant, quae vero nos in contrarium adducimus, ea visibiliter accipienda esse putent. Ac hoc dicere facilius est quam docere. Ubi enim ulla in scripturis de coelesti hac insensibilis immensique corporis praesentia mentio? Aut quo pacto invisibilem Christum in corpore suo statuamus, cum ipsemet visibilem

et palpabilem se esse testetur, et ne quid de insensibilitate sui corporis somniemus, vult ut hoc discrimine ipsum a spiritu quovis discernamus, quod spiritus sunt invisibiles et inpalpabiles, ipse vero in corpore suo, dum adest, et videatur et palpetur? Torquent Pauli locum apud Ephesios, ut suam confirment πανταχουσίαν et verbum πληρόω ad localem impletionem referunt de qua tamen Paulus nihil omnino cogitavit, sed absolvenda perficiendaque omnia esse iudicavit in Ecclesia, posteaquam Dominus, qui et descenderat, idemque quoque in coelum rursus ascendisset, quemadmodum (59) et Dominus ipse venisse se ait, ut legem, a Patre suo per Mosem latam, non solveret sed impleret, quod equidem ideo commemoro, ut intelligas nos non esse qui vel in locorum interpretatione nobis nimium permittamus, vel nostrae duntaxat rationis iudicium sequamur in impugnanda coelesti hac nescio qua insensibilis immensique corporis Christi in coena ipsius sub pane inclusione sive physica praesentia, sed eos potius qui cum utrumque id nobis magno quodam supercilio obiiciant, ipsi interim tamen fingunt corpus Christi insensibile, fingunt παντότοπον, fingunt ἀδιάμετρον, idque sine scripturae autoritate ulla, nisi quod hanc suam talis corporis praesentiam coelestem esse volunt atque huius nominis celebritate illam commendant. At vero id docendum esset, priusquam tanto impetu urgeatur. Nos nihil nobis credi postulamus, nisi quod apertis scripturae testimoniis confirmaverimus, quae ita equidem ad causam nostram accomodare studemus, ut in omni nostra doctrina et fidei sequamur analogiam, quod sane in nobis Paulus potissimum requirit, et nullas omnino in scripturis pugnas scientes et volentes seramus. Neque vero doctrinae nostrae de coena Domini autores habemus vel Carolostadium vel Zwinglium, quemadmodum tu suspicari mihi videris, etiamsi in utroque pietatem, in altero autem non vulgare iudicium cum summa eruditione coniunctum libenter agnoscamus. Illud nobis quidem commune cum eis esse ingenue fatemur, quod nos aeque atque illi physicam in pane corporis Christi inclusionem seu praesentiam (omnis alioqui papisticae idololatriae parentem) improbamus. Sed in verbis coenae explicandis non prorsus sequimur illorum interpretationem. Non quod studium illorum in hac parte damnemus, sed quod illos a proprio sacramentorum scopo nonnihil adhuc declinasse in sua interpretatione videmus, quem aut nondum plane tum assecuti fuerunt, aut si sunt assecuti, exprimere illum certe proprie non potuerunt, quemadmodum neque nos id nobis sumimus etiam, ut non multo olim felicius adhuc post nos argumentum hoc per alios explicetur. Ut autem nostram tibi in verbis coenae enarrandis sententiam paucis et quam simplicissime exponamus, nos neque in particula demonstrativa τοῦτο, neque item

in verbo ἐστί tropos eiusmodi ponimus, quos Carolostadius et Zwinglius ponebant, quandoquidem causam legitimam nullem videmus propter quam a simplici harum vocum significatione recedere debeamus, e qua sane temere recedendum nusquam esse putamus. Sed particulam τοῦτο non ad panis ipsius substantiam referimus, quemadmodum mox dicemus, sed ad totam coenae ipsius actionem sive institutionem, et in *corporis* nomine tropi remedium necessarium esse dicimus idque eam potissimum ob causam, quod corporis nomen simpliciter hic acceptum et verba mox subsequentia obscuret plane de Christi Domini in coena sua rememoratione et multorum praeterea, ut dictum est, locorum repugnantiam gignat, quae cum in scripturis nullo prorsus modo ferri possit, troporum sane remedio mitiganda ubique est, ut certum atque unanimem scripturae sensum omni prorsus ex parte retineamus. Neque interim primi sumus qui vocem hanc τοῦτο ad totam coenae actionem potius quam ad panis substantiam referamus, et in corporis nomine tropi remedium adhibeamus, sed Paulum ipsum nostri huius consilii autorem utrobique habemus, fidelem alioqui magistri sui interpretem et Ecclesiae doctorem. Quodque ad vocem τοῦτο attinet, hanc aperte docet Paulus non tam ad ipsam panis substantiam quam ad fractionem potius referri oportere, h. e., ad totam coenae institutionem, quam solo alioqui fracti panis nomine designari aliis locis videmus. Neque enim simpliciter ait: hic panis est communio corporis Christi, ut illum de panis substantia loquutum esse putemus, sed diserte addit: „panis, quem frangimus", nimirum ut ostendat, verba quae subsequuntur nihil omnino pertinere ad panem, qui non frangatur, h. e., in coenam exhibeatur iuxta Christi institutionem, sed tum sane primum pertinere ad panem, quae sequuntur, posteaquam frangitur, h. e., in coenam exhibetur, tumque demum esse panem mysticum, panem dominicum, sacramentum corporis Christi et βρῶμα (60) πνευματικόν, quemadmodum idem Paulus vocat. Deinde quod prius panem fractum vocavit id mox mensam Domini appellat, id quod equidem nobis documento esse debet, Paulum vocem hanc τοῦτο in verbis coenae non certe ad panis substantiam (quemadmodum multi interpretati sunt hactenus), sed ad totam coenae dominicae actionem seu institutionem retulisse. Quid quod verba ipsa coenae mutuo sibi respondere non possunt si pronomen demonstrativum τοῦτο pro panis substantia accipiamus, quocunque tandem modo nomen corporis interpretemur? Certum est enim aliud esse panis substantiam, aliud vero corporis, sive substantiam sive communionem, sed multominus adhuc cohaerebunt, si sub corporis nomine iuxta Paulum corporis communionem intelligamus. Quo pacto enim consistent haec verba: Huius panis

substantia est communio corporis Christi, cum nemo ita sit rudis ut non videat, non panis substantia hoc effici, ut in coena corpori Christi communicemus, sed ipsa fractione, h. e., Christi institutione. Perspicuum est igitur et ex Paulo et ex his quae diximus, pronomen demonstrativum *τοῦτο* referri oportere non ad panis substantiam, sed ad totum coenae quae tum instituebatur actionem, ut hic verborum coenae sensus: Quod nunc in coenae meae istius actione veluti testamento meo iam iam moriturus instituo sub panis huius fractione ac esu, sub poculi item huius potione et gratiarum actione, *hoc* ipsum totum *est corpus meum*, h. e., communio corporis mei, *est sanguis meus*, h. e., communio sanguinis mei. In hac porro interpretatione si reprehendimur, cum Paulo simul reprehendimur, huius interpretationis autore. Si vero non reprehendimur, facile apparet non suo loco ex verbis coenae colligi physicam illam seu realem corporis in pane praesentiam, nedum transsubstantiationem. Si enim neque pronomine *τοῦτο* neque corporis nomine aut panis aut corporis substantia designatur, sed alterum pro universa coenae actione accipitur, alterum vero pro corporis communione idque iuxta sacramenti rationem (quemadmodum mox dicetur), quid erit reliquum, obsecro, in verbis coenae, quo vel realis illa seu physica corporis in pane praesentia vel panis metamorphosis approbetur? Quare nobis parum attenti fuisse videntur omnes in verborum coenae interpretatione, qui et pronomen demonstrativum *hoc* et nomen *corpus* ad panis et corporis substantiam referenda esse putarunt, cum Paulus aperte huic interpretationi reclamet. Iam et in *communionis* apud Paulum interpretatione peccatum est ab iis, qui illam active pro distributione atque exhibitione, seu, ut crassius dicam, pro ipsa corporis per ministrum porrectione accipiendam esse crediderunt. Atque ita error demum errore confirmatus est. Cum enim viderent, fieri non posse ut corpus Christi vere distribueretur porrigereturque in coena, si non illic etiam vere ac realiter adesset, praesentiam rursus corporalem in pane necessariam esse existimarunt. At vero si et verba ipsa Pauli eo loco et argumentationem item ipsius intueamur, si item et quae alibi idem Paulus de coena Domini et sacramentorum natura docet, in unum conferamus, facile apparebit, eos qui hic *κοινωνίαν* apud Paulum active intelligunt a mente Pauli longe lateque declinasse et proinde consistere quoque non poterit physica illa corporis in pane praesentia, quae quidem colligitur ex praepostera communionis interpretatione. Primum autem in aperto est *κοινωνίαν* ancipitem esse vocem ut et active et passive possit intelligi, quemadmodum et apud latinos *communicare* dicimus, sive aliis impertiamus aliquid, sive ipsi cum aliis in participationem veniamus, unde et apud iurisconsultos

pro *societate* accipitur et qui eiusmodi societatem ineunt, κοινωνοί vocantur. Ita igitur hanc vocem accipi hoc loco oportebit, ut Paulinae primum argumentationi subserviat, deinde ut aliis quoque eodem loco verbis, quae vel praecedunt vel subsequuntur, respondeat, postremo vero (quod tamen primo ponendum erat) ne ullam in scripturis repugnantiam inducat. Iam si κοινωνία active hic accepta neque Paulinae argumentationi ita subserviat, neque item aliis eodem loco verbis ita respondeat, quemadmodum factura est si passive accipiatur, praeterea si manifestas quoque (61) aliis locis pugnas serat, quae tamen ex passiva interpretatione suboriri nullae possint, quaeso vir humanissime! an non hic passivam interpretationem activae tu ipse anteponendam esse putabis, si iustam modo scripturarum dignitatis rationem habere velis, etiamsi activam interpretationem omnium et Patrum et Conciliorum autoritate niti donemus. Age vero passivam nos tibi exponemus et tu activam cum illa conferre postea per otium possis. Observare autem nos ante omnia oportet scopum Paulinae eo loco disputationis, ad quem sane et verba omnia et ipsam adeo Pauli argumentationem referri oportebit. Scopus igitur Paulinae hoc loco disputationis est, ut Corinthios, qui praesertim Christum professi iam essent, ab epulis imolatitiorum abducat, ponitque eis ob oculos illarum turpitudinem, ut eos ab illis abhorreat. Ac primum illas idololatriam vocat, deinde docet aliud nihil esse quam ipsam daemoniorum κοινωνίαν, et epularum istiusmodi convivas κοινωνοὺς τῶν δαιμόνων appellat. Docet item fieri non posse, ut simul consistant Christi et daemoniorum communio, quod altera per alteram profanetur prorsusque violetur. Huius porro doctrinae rationem adfert deducto argumento a contrariorum natura (quorum semper effectus contrarios esse oportet) ad hunc modum: 1. Quod coena Domini est omnibus, qui ad illam iuxta Domini institutionem accedunt, epulae quoque imolatitiorum necessarie esse debent omnibus, qui se illis quoquomodo admiscent, praeter Domini voluntatem. 2. Coena Domini est communio Christi iuxta corpus ac sanguinem illius propterea quod ipsemet illam et instituit et voluit a suis in honorem ac memoriam sui, donec rursum veniat, observari. 3. Ergo epulae quoque imolatitiorum aliud esse non possunt convivis suis omnibus, quam ipsa demoniorum cummunio. Non quod idolum per se aliquod sit, sed quod totum quod illic agitur demoniorum opus sit et in cultum ac honorem illorum, Dei vero contumeliam peragatur. Confirmat autem Apostolus suam hanc argumentationem typico Israelis iuxta carnem exemplo et docet eos qui victimas olim iuxta Mosis institutionem edissent, non epularum modo illarum quas edissent, sed sacrarii quoque, h. e., divinorum mysteriorum, atque

adeo Dei ipsius etiam κοινωνίαν quodammodo habuisse. Iam si in Israele qui hostias edebant summis quoque illarum mysteriis communicabant, quae non poterant nisi divina esse, — multo equidem magis nunc, inquit Paulus, mensa seu coena Domini, quae panis fractione constat, est κοινωνία non eorum modo quae edimus, nempe panis et vini, sed summorum quoque illius mysteriorum, h. e., corporis et sanguinis Christi, et proinde iuxta doctrinam contrariorum epulae quoque imolatitiorum quae mensae daemoniorum sunt, alind esse non possunt convivis suis omnibus quam ipsissima κοινωνία demoniorum. Hanc esse Pauli hoc loco argumentationem non negabis opinor, nam id verba ipsa Pauli apertissime testantur, etiamsi hunc in illis ordinem Apostolus non observarit. Neque item negabis voces in quibus vis ipsa argumentationis maxima ex parte posita est in tota argumentatione eodem modo accipi omnino oportere, ne vitiosam minimeque sibi cohaerentem argumentationem faciamus, et ita interim oportere accipi, ut sententiae quae defendenda suscipitur modis omnibus subserviat. Itaque cum in communionis voce situm sit hoc loco pondus omne totius Paulinae argumentationis, (docet enim eadem ratione epulas imolatitiorum κοινωνίαν esse demoniorum) perspicuum est communionis vocem aliter accipi non posse in tota hac Pauli argumentatione, quam accipitur in ea propositione, qua docet, epulas imolatitiorum esse demoniorum κοινωνίαν et illarum convivas demoniorum κοινωνούς appellat. Hic vero active exponi non potest neque énim demonia in idololatrarum epulis distribnuntur aut manibus ministrorum porriguntur, sed passive potius pro eorum societate quadam ac participatione, quam Paulus ipse mox μετοχήν vocat, quae active sane exponi nullomodo potest. Quare ne in reliquis quidem Paulinae hoc loco argumentationis partibus active ea vox exponi potest omnino, ne Apostoli argumentationem violemus. Quid! quod neque in ipsa argumenti Paulini confirmatione ab exemplo (62) Israelis petita active intelligi ea vox quoquomodo potest, dum Paulus in Israele eos, qui hostiis vescerentur, non hostiarum modo iuxta carnem, sed divinorum quoque mysteriorum κοινωνίαν habuisse docet? Neque enim tum distribuebatur aut manibus porrigebatur ipse Deus. Quo pacto igitur in medio argumento aliter exponamus id, quod et in themate ipso et in confirmatione totius argumenti nonnisi passive exponi oportere videmus, ut interim taceam verba ipsa Pauli non admittere hic activam communionis interpretationem. Si enim Paulus sub communionis nomine διανομίαν aliquam intellexisset, aliam sane illius rationem adduxisset, dixissetque haud dubie nos *fieri* unum corpus, non *esse*, idque propter corporis participationem. Nunc cum diserte dicat, nos unum corpus *esse*, non autem *fieri*, nempe Christi,

idque propter panis unius participationem, non antem propter corporis distributionem, manifestum est, eum de corporis distributione seu porrectione nihil hoc loco cogitasse, sed docere potius voluisse, nos qui pane Domini in ipsius coena vescimur, panis quoque mysteriorum i. e. corporis Christi communionem habere, etiamsi aliud sit panis ille, aliud vero panis mysterium, nempe corpus Christi, quemadmodum in Israele qui hostias edebant hostiarum quoqne mysterii communionem habebant, etiamsi aliud essent hostiae ipsae, aliud vero hostiarum mysteria, neque mysteria hostiis ipsis inessent, multominus autem manibus porrigerentur. Quare cum passiva communionis interpretatio magis hoc loco subserviat Paulinae argumentationi magisque item verbis subsequentibus ut dictum est respondeat quam activa, non potest sane non magis placere nobis etiam, qui hic Paulum ipsum aut Christum in Paulo potius sequi malumus, quam humana indicia, quibuscunque tandem titulis exornentur. Iam et illud in causa quoque est, quo minus sequi hoc loco possimus activam communionis interpretationem, quod manifestam et in Paulo ipso et in aliis item scripturae locis repugnantiam inducat, si rem ipsam propius intueamur. Etenim si communionem per distributionem, si corpus item ac sanguinem per corporis ac sanguinis substantiam hoc loco accipiamus, quod equidem fieri oportet, si doctrina vestra consistere omnino debeat, negari profecto non potest, oportere hunc esse Pauli sensum, ut doceat, ipsa corporis et sanguinis in coena distributione id effici, ut cum Christo Domino in corpore et sanguine suo iuxta substantiam ipsam, h. e., iuxta naturam humanitatis suae, communionem habeamus. Diserte enim addit Paulus, nos ideo unum cum Christo corpus esse, qnod de uno illius pane simul participamus. At vero huic doctrinae et Paulus ipse plurimis locis et tota adeo scriptura manifeste reclamat. Docet enim expresse Paulus, Christum Dominum non equidem distribuere nobis corporis et sanguinis sui communionem (quod praesertim ad illorum substantiam attinet), sed ipsummet venisse in nostrae carnis et nostri item sanguinis communionem, dum formam servitutis nostrae assumpto Abrahae semine induisset. Docet et universa scriptura, iam tum nostram cum Christo et illius nobiscum vicissim communionem coepisse (iuxta corporis et sanguinis sui substantiam), iam tum et pacem omnibus in terra ubiqne hominibus per angelos denuntiatam esse, qui modo illam non contemnerent, simul atque verbum, qnod initio Deus erat, factum in carne nostra Emanuel, habitaculum sibi in nobis delegisset per naturae nostrae participationem. Quo pacto vero haec simul consistent, nos per distributionem substantiae corporis et sanguinis Christi participare Christo, et Christum ipsum in eius, quae dudum antea nostra erat, et

nullius alterius carnis aut sanguinis communionem venisse, idque ex nobis, h. e., e semine David, quemadmodum Paulus docet? ac tum demum iam delatam nobis omnibus pacem e coelo Angelorum testimonio. Pugnant sane haec, neque simul utraque vera esse possunt. Et proinde nos scripturae autoritate adducti activam illam communionis interpretationem amplecti non possumus, etiamsi illius autores viros esse summa et pietate et eruditione praeditos non ignoremus. Nolo autem pluribus eam rem hic persequi, neque enim tam impugnandae doctrinae vestrae causam suscepi, quam nostrae tuendae potius, idque citra cuiusquam contumeliam quoad eius maxime fieri potest. Sed tu ipse videre potes, quantus hic esset dicendi campus in traducenda activa hac communionis interpretatione, si quis illam accuratius excutere vellet, cui tamen physicam hanc corporis in pane praesentiam seu inclusionem maxime sane ex parte debemus. Mihi satis est (63) indicasse repugnantiam quae vitari nullomodo potest, si communionem hoc Pauli loco active pro distributione accipiamus, ut intelligas nos non temere id facere, quod illam passive exponere malumus. Habemus igitur apud Paulum et sub panis fracti nomine non panis substantiam, sed totam coenae actionem designari, et communionem active exponi non posse pro distributione seu porrectione, sed passive potius pro participatione corporis et sanguinis Christi. Iam si iuxta Pauli interpretationem in verbis coenae neque pronomen τοῦτο pro panis substantia neque corporis nomen pro corporis substantia accipi potest, unde quaeso nobis doctrinam vestram de physica corporis in pane praesentia seu inclusione approbabitis? Nos certe doctrinae nostrae Paulum autorem habemus. Iam si queras quomodo corpori Christi in coena participemus, siquidem illud nobis non distribuitur, Paulum hic doctrinae nostrae propugnatorem statuemus. Quidquid enim hic docemus, id totum ex Paulo docemus, quem dum sequimur, non equidem nos a recta via aberrare putamus. Docet ille autem non nostram modo sed et veterem quoque Ecclesiam habere duplum corporis et sanguinis Christi communionem. Ait enim veterem Ecclesiam eandem nobiscum prorsus escam spiritualem edisse et idem bibisse poculum, nempe corpus et sanguinem Christi (haec enim Christus ipse verum Ecclesiae suae et cibum et potum esse testatur, sine cuius alioqui communione nemo unquam servari potuit), nisi quod Patres nostri promissum Christum eminus adhuc intuebantur, nos vero exhibitum nobis iam atque ad Patris nostri coelestis dexteram in carne adeo nostra residentem habemus. Docet item proposito nobis circumcisionis exemplo, sacramenta esse σφραγῖδας, h. e., sigilla acceptationis nostrae in gratiam Dei vocatque hanc nostri acceptationem fidei iustitiam, quod gratis per misericordiam nobis delata fide sola apprehen-

datur. Refert autem totam hanc nostram acceptationem sive iustitiam ad Christum ipsum, unicum videlicet animarum omnium ab initio ad finem usque pontificem ac servatorem, et interim illam priorem fuisse docet circumcisione, a qua demum reliqua sacramenta omnia et veteris et nostrae Ecclesiae defluxerunt, et quae iam tum etiam communionem corporis et sanguinis Christi promissione delatam in Abrahamo et eius familia obsignabat. Itaque et nos, qui omnem utriusque Ecclesiae acceptationem ac salutem in unius Christi Domini corpore et sanguine a mundi usque origine conclusam adeoque et obsignatam esse non dubitamus, certi item veterem Ecclesiam eadem ipsa corporis et sanguinis Christi communione (extra quam nulla est salus) servatam esse, etiamsi corpus ac sanguis Christi nondum revera exstarent, nedum exhiberi aut distribui iuxta substantiam suam possent, — docemus nos ante natum etiam Christum Dominum cum vetere olim Ecclesia parente nostra corporis et sanguinis Christi communionem habere, sed nunc multo evidentius, quandoquidem exhibitum nobis iam atque in coelis adeo in carne nostra sedentem habemus, quem maiores nostri promissum duntaxat eminus exspectabant, et proinde non coenae usu hoc effici, multo minus autem corporis in coena distributione, ut Christo Domino in corpore et sanguine suo participemus, quasi illius communionem non antea habuissemus, sed coenam Domini dicimus esse obsignationem nostrae cum Christo communionis in corpore et sanguine ipsius, delatae a mundi origine toti Ecclesiae Dei in verbi Divini promissionibus, quae Christum Dominum hauddubie intuentur omnes, sine quo nemo ad Patrem pervenire potest. Atque hanc eiusmodi obsignationem sacramentalem communionem corporis et sanguinis Christi in coena Domini, Paulum sequuti, vocamus, quemadmodum a Mose circumcisio etiam *foedus* iuxta sacramenti rationem vocatur, propterea quod foedus Dei cum Abrahamo aliquanto antea ictum, tam in ipso, quam in eius familia obsignaret. Vocamus igitur coenam Domini corpus Christi ac sanguinem ipsius, quemadmodum verba coenae habent, h. e., communionem corporis et sanguinis Christi iuxta Pauli interpretationem. Vocamus et coenae symbola cum Paulo σφραγῖδας, h. e., sigilla eius ipsius communionis, quae dum illa iuxta Domini institutionem sumimus, proponunt oculis nostris in mysterio eam ipsam communionem animisque nostris renovant, ac nos totos in certa illius indubitataque fide, spiritu sancto id operante, (64) obsignant, etiamsi nullam in eis physicam aut realem corporis aut sanguinis Christi inclusionem ponamus. Iam ea ipsa coenae symbola, quae nos cum Paulo sigilla esse diximus, Chrysostomus *mysteria*, Basilius ἀντίτυπα, Augustinus *signa*, Tertullianus et Origenes σχήματα corporis et sanguinis Christi

appellant, eodem sane spectantes hi omnes, quos etiam sequutus videtur sanctae memoriae Oecolampadius, nisi quod religiose magis quam diserte rem hanc sibi olim tractandam esse putarunt, praesertim cum nulla ea de re tum controversia adhuc exstaret.

Habes nostram de coena Domini sententiam, vir ornatissime! non e refractariis ullis, sed ex ipsis scripturae fontibus desumptam, consentientem toti scripturae, fidei analogiam retinentem et proinde ab orthodoxa catholicaque Ecclesia minime alienam. Mitto hic Patres quorum praestantissimos quosque a partibus nostris habemus. Mitto Concilia, quorum celeberrima quaeque pro nobis faciunt, id quod facile est videre ex Oecolampadii, Bullingerii et Vadiani monumentis. Mitto, inquam, haec omnia, quandoquidem solius scripturae autoritas nobis satis est, cui nitimur et extra quam nihil hic nos docere certi sumus. Plura me de his ad te scribere non patitur tum valetudo mea, tum negotiorum moles. De mea istuc vocatione rem omnem in arbitrio vestro pono, modo ut Princeps nostra assentiatur, quamquam hic plus satis negotii habeam, neque facile abesse possim. Vale vir humanissime! Uxor mea te salutat et tuam. Dominus te servet. Amen.

FINIS TOMI I.
